EX BIBLIOTHECA
DOMINICANORUM
MONTIS POLITIANI
1786.

5 C/. 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIALECTICA,

SEU

LOGICA MINOR

Tribus Diſputationibus circumſcripta,

AUTHORE

P. JOANNE DE ULLOA MADRITANO,

Societatis JESU Theologo.

ROMÆ, MDCCXI.

Ex Typographia Pauli Komarek in via Curſûs.

SUPERIORUM PERMISSU.

Poſuerunt in Bibliotheca S. Agnetis
PP. Congregationis S. Marci de Flor.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

B. ALOYSIO GONZAGA

OLIM

Collegii hujus, atque Univerſitatis Gregorianæ Alumno;

NUNC

Collegii Ejuſdem, atque Univerſitatis Advocato

JOANNES DE ULLOA SOCIETATIS JESU THEOLOGUS

O. C. D.

E*CCE jam ſecundò ad Aras tuas redimus*, BEATISSIME ALOYSI *Secundam hanc noſtræ adverſus Te reverentiæ teſſeram Altari tuo appendimus: Secundum Candelabrum ante Cineres tuos accendimus. Non pœnitet prioris obſequii eos, qui ſecundum exhibent, & tertium pollicentur. Cuſtodiendi ergo Paradiſum, non Angelum, non Archangelum, non Principatum, aut Poteſtatem, non demum Seraphinos ipſos, ſed Cherubinum elegit Deus, nam*, Collocavit ante Paradiſum Gen. 3.

Digitized by Google

voluptatis Cherubim, *doċturus, ni fallimur, genus humanum inde exulare juſſum, non niſi per Scientiam, & Sapientiam, cujus plenitudo dicitur Cherubim, redeundum eſſe ad Arborem vitæ. Per Sapientiam utique illam ſupernè illapſam; ſed ordinaria Providentia non ſinit illabi illam, niſi adhibitis humanis mediis, atque præparationibus. Non enim ſocordibus, & in utramque aurem dormientibus promittitur Sapientiæ nectar, ſed* qui

Prov. 8. mane vigilant ad me invenient me, & qui obſervat ad

Luc. 21. poſtes oſtii mei, *ſicut Populus ille, qui* Manicavat ad eum in templo audire eum. *Qui una nocte cunctos Primogenitos Ægypti occidit, & nocte alia centum, & ſeptuaginta millia Aſsyriorum trucidavit, valebat ſane ſine inſidiis tradere Joſve Urbem Hai; noluit tamen,*

Ioſ 8. *ſed juſſit* Pone inſidias Urbi poſt eam. *Similiter qui toties ante Davidem Philiſtæas phalanges profligavit, par erat*

2. Reg. 5. *eaſdem profligando, quando dixit:* Non aſcendas contra eos, ſed gira poſt tergum eorum. *Voluit tamen, & ęter-*

Deuter. 6. *na lege ſancivit præceptum illud,* Non tentabis Dominum Deum tuum. *Hoc eſt, quod homines non appellent miracula, ſed proportionatis, licitiſque humanis mediis utantur.*

Hanc ergo parvulam noſtram, & per humum adhuc ſerpentem Sapientiam, præparantem verò ad illam alteram ſuper cœleſtem Tibi committimus Alme Aloysi, *quàm ut vigil Cuſtos impertiaris Juventuti huic Gymnaſium frequentanti, quod Tu olim illuſtrabas. Bene noſti communem Magiſtrum proferentem verba*

ſui

ſui Prophetæ, quos ſic vocaverat Doctos, Univerſos Filios tuos doctos à Domino, *vocaviſſe dociles*: Eſt ſcriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. *Et meritò, ſicut enim ſuperba contumacia perinde ſe habet, ac ignorantia, ita rationalis docilitas quaſi convertibilis eſt cum poſſeſſione Doctrinæ. Impertire igitur ex Deo huic Tuæ Juventuti tuis modò inſiſtenti veſtigiis docilitatem; non dicimus arundineam illam, qua* Qui credit citò levis eſt corde, *quæque* omni vento Doctrinæ circumfertur; *ſed Cœleſtem alteram, qua nolint.* Altum ſapere ſed timeant; *qua vereantur* Plus ſapere quàm oportet ſapere, *ſed ſapiant* ad ſobrietatem; *Jubemur quippè omnes à Doctore Gentium* non ſublimè ſapere. *Sapiebas Tu quondam, Sacratiſſime Juvenis, uſque adeo, ut ſecurus nunc à Superbiæ faſtu dicere poſſis*, ſuper omnes docentes me intellexi; *non ſolum quia Teſtimonia Divina meditatio tua erant, ſed etiam quia memor ſententiæ, cui ſeverus Judex totam prolem humanam ſubjecit* In ſudore vultus tui veſceris pane, *robore virili, atq; conſtantia contra morbos aſſiduos, quibus Te Deus exercebat, ſtudebas, ſudabas, laborabas, ingenium exercebas*: *& ſcriptum eſt*, Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Alacrem hunc animi vigorem, virilem hanc conſtantiam inſere Juventuti, quę Tibi ſucceſſit in hac Schola, ut polita, levigata, & exculta ſi non digna, ſaltem non indigna ſit, quæ intra Æternæ Sapientiæ Cancellos admittatur.*

Iſ. 54. Io. 6. — Eccli. 19. — Ad Eſeſ. 4. — Ad Rom. 11. — 1. Ad Tim. 6. — Pſal. 118. — Gen. 3. — Pſal. 110.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiſc. Theodoſiæ, Viceſgerens.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Dialectica, ſeu Logica Minor tribus Diſputationibus circumſcripta*, Auctore P. Joanne de Ulloa Societatis noſtræ Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has Litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 22. Decembris 1710.

APPROBATIO.

D*ialecticam, ſeu Logicam Minorem tribus Diſputationibus circumſcriptam* ab admodum Reverendo Patre Joanne de Ulloa Madritenſi Societatis JESU Theologo, Reverendiſs. P. Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sac. Apoſt. Palatii Magiſter, meæ cenſuræ commiſſit: ſed in tanti Auctoris opere, nihil deprehendi, quod bonis moribus, vel ſanæ, & ortodoxæ doctrinæ contradicat, quin imò omnia valdè utilia reperi ad erudiendam Juventutem, eruditum enim opus eſt, in quo claritas, & ſubtilitas connectuntur amicè. Gaudeant ergo Magiſtri, quòd tanti Viri labor admirabilem doctrinam ducem præferat, exardeſcat Juventutis affectus, cùm & hinc non nemorum lac ſugat, ſed ſuccum ſanæ doctrinæ: verum undequaque mirandum opus aureum, nam præter re

rum

rum copiam, diſpoſitionis ordinem, quem continet, eſt opus Magiſtri eloquentia diſſertiſſimi, eruditione integerrimi. Hoc meum de tanto opere judicium (ſalvo meliori) ut meritiſſimè communi luce fruatur, & illuminetur poſteritas noſtri doctiſſimi Auctoris ſplendoribus. Faxit Deus, ut ad ulteriora progrediatur calamus. Romæ in hoc Divi Thomæ Collegio apud SS. Vincentium, & Anaſtaſium in Trivio Calendis Januarii Anno 1711.

Philippus de Caſtillion. Cleric. Regul. Min. Sac. Theologiæ Doctor, Lector Iubilatus, nec non pro Hiſpaniarum Provinciis Aſſiſtens Generalis.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD STUDIOSAM JUVENTUTEM.

Luc. 18. NEMO *bonus niſi ſolus Deus*, quia nemo alius ita purus eſt ab omni macula, vel per naturam inſita, vel per vitium contracta, vel per utrumque inhærente, ut defectibilis naturæ conditionem non ſapiat, qualitates non redoleat, exceptiones non patiatur. Sed num ideo probris, ac maledictis proſcribenda ſunt omnia, quæ ſupremus rerum Artifex condidit? Abſit. *Sol & homo generat hominem*, ut priſca vox clamat. Quot nihilominus homines, homo, & ſol occiderunt! Quot mortalium ſtrages ſingulis annis, ne dicamus ſingulis diebus, edit ferox elementum aquarum! Quot claſſes abſorpſit, & abſorbet! Quot theſauros rapuit, & rapiet! Sed non propterea non fabricavit ex ipſo Deus machinam totam, quam ſuſpicimus Orbium Cœleſtium, ſi Cy-
Cath. 9. rillo habenda eſt fides, *qui adorare debebant*, ajenti, *ex aquarum fluxa natura indeficientem Cælorum ſubſtantiam fabricantem*. Non propte-
Pſalm. 103. rea non evexit illud Deus ſuper firmamentum, *Qui tegis aquis ſuperiora ejus*, Non propterea non fuit electus Thronus Spiritus Domini,
Geneſ. 1. qui *ferebatur ſuper aquas*. Non propterea, non eſt janua Aulæ æterni
Joan. 3. Regis *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Nempe firmum eſt illud, licèt poeticum.

> *Nil eſt, quo non lædere quiſque queat.*
> *Igne quid utilius? Si quis tamen urere tecta,*
> *Comparat, audaces inſtruit Igne manus.*

Quam utiles fuerint Soboli humanæ ſeptem illi perennes fontes gratiæ, quos Jeſus Chriſtus aperuit nemo eſt qui dubitet ſi Catholicus eſt. Quanti autem abuſus Sacramentorum ſint, nemo eſt, qui ignoret, ſi humanæ miſeriæ ſibi conſcius eſt.

En, lectiſſima Juventus Collegii hujus, & Univerſitatis Gregorianæ, retuſum acutiſſimum illud telum, quod invidia, vel ignorantia, vel ambæ ſimul contra veſtrum ſtudium Scholaſticæ diſciplinæ, qua non nulli abutuntur (fatemur) vibrare ſolent. Supervacaneas eſſe has lucubrationes clamant. Plus nocumenti, quàm utilitatis in orbem Criſtianum invexiſſe. Oportere tricas arcere ab ingenua Indo-

le

le. Fruſtra teri tempus aridis ſpeculationibus. Præciſiones, formalitates, hypotheſes pabulum eſſe levioris ingenii, & otioſi; robuſtiores autem mentes cibis magis ſolidis inhiare. Atque ut plebejas animas in factionem attrahant, ſcurrilitatem non dedignantur, ajentes. A recipe Medicorum. A Textibus Juriſperitorum. A diſtinguo Theologorum libera nos Domine. Exprobrant nobis, quòd ſæpè uno in verbo hæreamus, ſuper una vocula integros Codices ſcribamus. Muſcarum autem, ac culicum eſſe Aranearum filis irretiri.

Ut hinc exordiamur: non meminerunt iſti, quam acre olim fuerit bellum inter Patres noſtros Eccleſiæ Doctores, atque Arianos ſubdolos ſuper & *Homouſion*, & *Homeuſion*, quæ vocabula unâ literâ differunt. Quàm acre etiam inter Concilium Calcedonenſe, & Eutychianos ſuper *In*, & *Ex*, quæ leviſſimè differre videbantur, fatente Dioſcoro ſe Chriſtum agnoſcere *ex duabus, ſed non in duabus naturis*, & Eccleſia docente non modò *ex*, ſed etiam *in* duabus Naturis. Calced. act. 1.
Quàm acer quoque conflictus inter Eccleſiam Latinam, & Græcam ſuper *ex*, & *per*, fatentibus Græcis Spiritum Sanctum eſſe *per* Filium, ſed non *ex* Filio. Nimirum ſicut olim, vel unius dumtaxat litteræ mutatio necem intulit corporibus, *Qui reſpondebat Sibboleth, eadem* Iud. 12.
litera ſpicam exprimere non valens. Ita vel unius dumtaxat voculæ, aut literulæ additio, omiſſio, inverſio, & mutatio necem inferre ſolet intellectui veritatis amanti. Et hinc non perfunctoriè commentantur Scholaſticæ Diſciplinæ. Diſcernunt ſubtiliſſimè, eaque indocto vulgo idem eſſe videntur, & apparet veritas, quæ latebat. Unium quæ diſtincta credebantur, & detegitur falſitas, quæ occultabatur. Et quod invidis, ignaris, aut malitioſis ſubtilitas aerea videbatur, potentiſſimus rei nervus eſſe ſolet.

Quo pacto egregius Medicus evades niſi Muſculos, Nervos, Fendones, membranas, cartilagines, articulos, oſſa, arterias, venas, & reliquam totam ſupellectilem corporis humani ſolertiſſimè percallueris quoad naturam, quoad quantitatem, quoad qualitatem, & quoad cætera omnia, quæ plebs rudis putat minutias, ſapientes autem Medici ratione, atque experientiâ inſtructi meritò credunt ad ſummam rei ſpectare? Quo pacto ſupremus rei maritimæ Præfectus claſſem gubernabit, ſi innumerarum rerum catervam ad Claſſem ſpectantium non benè notam habuerit? Valet utique illa vox, *guttis conflat Oceanus*, neque res magnæ humanæ fieri poſſunt abſque minimis. Præparant, perpolliunt, levigant Scholaſticæ Diſciplinæ rudes, & implexas mentes humanas, non ut eum venuſtate auribus lenocinentur, ſed ut

Digitized by Google

cum veritate intellectui non tam ſpecioſitatis, quàm veritatis avido obſecundent. Illa autem magna res ratiocinandi in quacumque materia, ſive Chriſtiana, ſive Politica, ſive Militari, ſive Naturali, ſive ſupernaturali, ſive Cœleſti, ſive ſupercœleſti, ratiocinandi, inquam, ſolidè, atque verè quomodo obtineri poteſt, quin intellectus ſolertiſſimè dividat uſque ad ultimas differentias, ſubtiliſſimè penetret uſque ad intimam quidditatem, atque eſſentiam rerum, nec non acutiſſimè inferat ex eis omnibus, quæ introſpexit, veritatem, quam amplecti debet, falſitatem, à qua debet fugere. En quod faciunt Scholaſticæ Diſciplinæ. Inſtruere humanas mentes, ut in quacumque occurrente materia ſubitò involent in quidditatem rerum, ſapienter dividant, quæ permixta ſunt, acutè ratiocinentur: quo fit, ut intellectus Scholaſticæ Diſciplinæ aſſuetus tandem tandem in Philoſophia, & Theologia pro humano modo aſſequatur pretioſiſſimam gemmam veritatis, quæ una eſt intellectus noſtri ſcopus, atque finis.

Non negamus tempus quandoque teri ſuperfluis quodammodo ſpeculationibus. Sed neque illi Cenſores negare poſſunt multa, quæ rerum ſubſtantiæ ſuperflua videntur, rerum earundem ornatui neceſſaria eſſe. Fontes in Urbe, barba in mento, capilli in vertice, frondes in arbore, profectò non ita ſunt neceſſaria ſubſtantiæ, aut integritati Urbis, hominis, & arboris, ut ſine illis ſubſiſtere nequeant. Sed qualis Urbs ſine fonte, mentum ſine barba, caput ſine capillis, arbor ſine foliis? Citò orbabitur neceſſariis, qui ſuperflua omnia reſecare voluerit. Sed abſit, ut omninò ſuperfluas dicamus ſpeculationes illas paucas, quas ſugillant aliqui ut aridas, & infæcundas. Sunt enim neceſſariæ ad introſpiciendum quaſi fibras eſſentiæ, & quidditatis rerum, ad faciendum quaſi Anatomen veritatis, ad poſſidendum rem totam, ut ex nullo angulo erumpat clandeſtinus hoſtis veritatis: Nuſquam ſapientes Duces prætermiſerunt cautiones illas in bello, quas Tyrones putare ſolent ſuperfluas, atque ad ſolius militaris patientiæ exercitium neceſſarias.

Sed qui tandem ſunt iſti, qui adeo intonant contra ſpeculativas, atque Scholaſticas Diſciplinas? Licitum eſt innocenti reo exceptiones pandere, vitia manifeſtare nocentis accuſatoris. Duæ claſſes mortalium, aut clam inſidiantur, aut palam bellum indicunt ſpeculativis Diſciplinis. Hæretici, & nonnulli Catholici, qui vel numquam ingreſſi ſunt Philoſophiæ, ac Thologiæ Sacrarium, vel aliquando ingreſſi primas Sedes non ſunt adepti propter rationes, quas taciti apud ſe

agno-

agnoſcunt, ſed fateri erubeſcunt. Hæretici è re ſua faciunt exulare jubentes totam Scholaſticam facultatem, ſicut olim Philiſtæi volebant gladios, lonceas, tela cudi in Judæa, in qua ſola notus erat Deus. Timent illi ſuis erroribus à perſpicuitate, qua explicant, ab energia qua argumentantur illi, qui in ſpeculativam incubuerunt. Scriptum eſt enim. *Qui male agit odit lucem*. Et quemadmodum, *quando ortus eſt ſol in cubilibus ſuis collocabantur*, nempe volucres obſcæni, rapaces nocturnæ beſtiæ: ita oboriente Theologia ſpeculativa, quæ lucem offundit Catholicis veritatibus, ut cum reverentia ſuſcipiantur, nec non abſurdis erroribus, ut cum horrore vitentur, Magiſtri, & Magiſtelli hæreſeos in angulos hinc inde diffugiunt, in ſubterraneas ſuas ſpecus pavidi, irati, & tumentes irrumpunt. Quanti verò apud ſe faciant ſpeculativam, quam timent, tametſi à longe viſam, ipſi teſtantur, quando occulto Dei judicio Theologus aliquis Scholaſticus ab Eccleſia ad ipſos deficit. Tunc plauſus, tunc reciprocæ gratulationes, tunc magna ſpes factionem promovendi. Nempe inſiſtere veſtigiis videntur illius, de quo ſcriptum, *Cibus ejus electus*. Denique Hæretici odio implacabili proſequentes Theologos, & Philoſophos Scholaſticos fabulam renovant Luporum ſeriò ſuadentium Oves, ut a ſe arcerent moleſtum, & minimè neceſſarium moloſſorum contubernium.

1. Reg. 13.

Ioan. 3.

Pſalm. 103.

Habac. 1.

Quod attinet ad pauculos illos Orthodoxos, qui incautè hoc in bello cum ſpeculativa hæreticis dant manus, mirandum non eſt, cum jam olim præmoniti ſimus, *quæcumque ignorant blaſphemant*. Antiquum valde eſt humanæ ſuperbiæ non magni facere (ſaltem quoad externa ſigna) Margaritã illam, quã nec habuit, nec habet, nec habere ſperat. Renovamus paſſim fabulã Vulpis ſpernentis, ut acerbas Uvas, quas nanciſci non valebat. Raròvidebis rectis oculis intuentem nobiles familias eum, qui nec à Natalibus fungitur nobilitate, neque in via eſt illã aliquando fungendi. Raròaudies Carmina laudantem eum qui nec à limine ſalutavit Apollinem, vel ſi aliquando ſcandere conatus eſt per Parnaſſum, gravedine cerebri retrorſum præcipitatus eſt.

Iud. 1.

Vos igitur, lectiſſimi Iuvenes, utrorumque horum voces contra ſpeculativam, ne audiatis. Expertis credite, & ſcitote Schommata, Satyras, & invectivas unas ex invidia dimanare; alteras ex ignorantia, vel ſuperbia. Quis adeo ſtolidus, ut aquas bibat ex tam inſalubribus fontibus deſcendentes? Si vidiſtis unquam Alambicum, cujus beneficio Spiritus, ſal, ſuccus herbarum diſcernitur à parte terrea, vidiſtis in praxi facultatem totam ſpeculativam, cujus calore crudus, &

indi-

Google

indigeſtus cibus humanorum diſcurſuum concoquitur, cujus energia ánima,& nucleus illorum à cortice disiungitur, & corpore, cujus regulis, & exercitio quaſi nanciſcemini butyrum illud, & mel,quo pro humano modo ſcietis reprobare falſum, & eligere verum.

Unum vos præmonitos omnino volumus. Nihil in humanis æquè utile,ac neceſſarium pro ſpeculativa, quàm vivax ingenium: Et nihil ſimul æquè pernicioſum, ac ingenium ſolum, niſi judicio, & prudentiâ firmetur. Petulans Puer, niſi Pedagogi fræno cohibeatur, quid boni faciet: quid mali non faciet? Acutum, velox, ſubtile, volucre ingenium non prorsùs barbarè comparabitur vivaci puero. Oportet ergo,quòd prudentiæ, atque judicii habenis compeſcatur. Si mente deſignatis dicere, atque defendere quidquid non reſutetur evidentiâ palmari; heu in quantas, & quales Syrtes impingetis, in quàm abſurdas propoſitiones labemini! Abſit ab ingenua indole, ab anima docili, ab intellectu ſaltem mediocriter rationali pervicax illa audacia, effrænis illa libido dicendi, ac defendendi quidquid non convincitur falſitatis metaphyſicâ evidentiâ. Mementote ſolennis illius ſententiæ:*Omnes populi clamaverunt, & dixerunt:Magna eſt Veritas, & prævalet.* 3. Eſdræ. cap. 4.

DISPUTATIO I.

Cap. 1. *Quid ſint Nomen, Verbum, & Signum.*
Cap. 2. *De Cognitionum ſignificatione.*
Cap. 3. *Quid ſit Propoſitio vocalis, id eſt Humana Locutio.*
Cap. 4. *Quid, & quotuplex ſit terminus.*
Cap. 5. *Quid, & quotuplex ſit ſuppoſitio Terminorum.*
Cap. 6. *Quid, & quotuplex ſit enunciatio.*
Cap. 7. *Quot, quæ, & qualia ſint Inſtrumenta ſciendi.*
Cap. 8. *Explicantur octo Locutiones valdè frequentes.*

DIALE-

Digitized by Google

DIALECTICA.

CUM Dialectica, ſeu Logica Minor ſit facultas rectè diſſerendi, media ſubminiſtrat huic fini ſatis idonea. Primaria ſunt tria, quæ vulgò dicuntur *tria inſtrumenta ſciendi*; nimirùm Definitio, Diviſio, & Argumentatio. His accedunt alia, nempe Suppoſitio Terminorum, Quantitas, Qualitas, Converſio, Oppoſitio, Æquipollentia Propoſitionum. Hæc omnia explicanda ſuſcipimus, & incidentes non paucas quæſtiones hinc reſultantes. Totam igitur Dialecticam tribus Diſputationibus diſtinctam dabimus. In quarum Primâ vocabula omnia, ſive terminos Dialecticæ exponemus. In Secunda modos omnes legitimos, & illegitimos argumentandi. In Tertia Quæſtiones expediemus, quæ *Proœmiales* dicuntur, & ſunt non de Logica Magna poſteà danda, ſed de hac ipſa Dialectica, quam modò damus, & reflectunt ſupra eam examinando naturam, qualitates, & proprietates tum ipſius Logicæ Minoris, tum objecti, quod habet.

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

De Vocum Significatione.

OMnis humanus diſcurſus per affirmationes fit, aut negationes: utræque frequenter conſtant vocibus habentibus jam eundem jam diverſum ſenſum, ac ſignificationem: cùm enim primi Profeſſores linguarum non tractaverint, quæ minutiſſimè, ac ſubtiliſſimè modò diſputantur, non reliquerunt nobis præciſa, caſtigataque verba pro difficultatibus omnibus explicandis, quæ modò excitantur. Hinc 1. Barbaries illa vocabulorum paucis ab hinc ſeculis inventorum, quibus ſcatere ſolent ſcholaſticæ diſciplinæ; ſed jam non ſunt barbara, quorum aſſueti ſunt viri doctiſſimi. Hinc 2. Moleſtus ille mos diſtinguendi, ſubdiſtinguendi, dividendi, ſubdividendi, ut multis ſaltem verbis aperiamus mentem noſtram, quam unico verbo aperire nequimus. Hinc 3. Naſcitur æquivocatio inter diſputandum; ſæpè enim ambo contendentes judicant idem apud Deum, qui comprehendit ipſorum mentem; vociferantur tamen validè ambo, quia unus intelligit in uno ſenſu, quæ audit ab altero, & hic dicit illa in alio ſenſu. Hinc 4. Sophiſtarum lucrum: animadvertentes namque hi æquivocationem vocum, torquent, & detorquent illas clam tranſeuntes de uno ſenſu ad alium, illaqueandi gratiâ incautum Adver-
Eccl. 1. ſarium. Forſan ob hanc cauſam ſcripſit Salomon: *Hanc occupationem peſſimam* (id eſt moleſtiſſimam) *dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

CAPUT I.

Quid ſint Nomen, Verbum, & Signum.

1. NOmen eſt *Vox ſignificativa ad placitum ſine tempore finita, & recta*. Quid ſit, & quotuplex ſignificatio ad placitum dicemus mox. Dicitur nomen ſignificare *ſine tempore*: ubi adverte. Aliud eſt ſignificare tempus, aliud connotare tempus, aliud conſignifi-

Digitized by Google

gnificare tempus; primum, & ſecundum conveniunt nomini, unde non excluduntur per illud *ſine tempore*; quoniam hæ voces, *Hora*, *Dies*, *Menſis*, *Annus*, & ſimilia ſine dubio ſunt nomina: & ſine dubio etiam ſignificant tempus: præterea hæ, *Jentaculum*, *Prandium*, *Cœna*, ſunt quoque nomina: & certè connotant tempus: qui enim audit illas voces, & conſuetudinem ſcit hominum, illicò venit in cognitionem temporis aut matutini, aut meridiani, aut nocturni: ergo voces illæ ſuppoſita hominum conſuetudine connotant, ſive alludunt, ſive innuunt tempus: tertium igitur eſt, quod negatur de nomine in hac definitione, quippe quod proprium eſt, ſeu characteriſticum verbi, ut jam dicemus.

2. Porrò nomen dicitur *vox finita*, quia ſi caſtigatè loquamur, nomina infinita non ſunt propriè nomina, quia non ſignificant rem ullam, aut ſpeciem, aut genus determinatè: dicuntur autem nomina infinita, ſeu potiùs *infinituta* illa, quæ deſinunt ſignificare quod priùs ſignificabant, & tranſeunt ad ſignificandum quod antea non ſignificabant (quod non poteſt contingere nominibus illis tranſcendentibus, *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Unum*, de quibus poſteà) v.g. hęc vox *Homo* ſignificat hominem dumtaxat; infinitatur autem, ſi ei præponas voculam illam, *non*, & dicas, *non homo*; quia jam non ſignificat hominem, ſed omnia illa, quæ non ſunt homo, quocirca qui in ſenſu infinitante dicit: *non homo volat*, dicit: *id, quod non eſt homo, volat*, quod verum eſt intelligendo volucrem.

3. Ubi cautè procedendum eſt propter Sophiſtas tranſcurrentes interdum ex ſenſu purè negante ad infinitantem, & vice verſa: ſi illa vocula, *non*, habeat ſenſum purè negantem, nihil aliud præſtat, quàm negare quidquid poſt ſe invenit, atque idcircò vocatur *malignantis naturæ*: nam quidquid poſt ſe invenit deſtruit cum proportione: unde fit, quòd propoſitio, in qua invenitur, eſt purè negativa.

4. Sin verò habeat ſenſum infinitantem, propoſitio evadit affirmativa, ut conſtat in exemplo poſito; & poteſt habere novem ſenſus valde diverſos. Primum Univerſalem, *Omne quod non eſt homo volat*. Alium particularem: *Aliquid quod non eſt homo volat*. Alium ſingularem: *Illud, quod non eſt homo, volat*; & cùm unuſquiſque ex his tribus poſſit præſcindere ab eo quòd homo volet, nec ne: & poſſit etiam hoc implicitè negare: & poſſit hoc implicitè affirmare, jam vides numerum, qui reſultat. Quando autem illa vocula habeat ſenſum purè negantem, quandò infinitantem, & ex iis quando ha-

beat unum, quando alium, id regulandum eſt per adjunctas circumſtantias, quæ ſi lucem ſufficientem non præbeant, utendum eſt diſtinctione, & conceſſa propoſitione in ſenſu vero, negetur in falſo.

5. Denique nomen dicitur vox *recta*, quia licèt alii caſus diſtincti à nominativo poſſint etiam eſſe ſubjectum, aut prædicatum enunciationis, v.g. *Hominis eſt caſus obliquus*, tunc ponuntur materialiter,& non pro ſuo ſignificato,& ſubintelligitur nominativus quidam, nempe, *hæc vox*: nominativi autem ſoli ſive ſint declinabiles, ſive indeclinabiles, ſubſerviunt enunciationibus, v. g. *Homo eſt animal*: item *Hominem eſſe animal eſt eſſe vivens ſenſibile*. Hactenus de Nomine.

6. Verbum eſt *Vox ſignificativa ad placitum finita conſignificans tempus, & eſt ſemper eorum, quæ de altero enunciantur nota*. Priores particulæ intelligendæ ſunt ſicut in definitione Nominis: verbum autem dicitur *conſignificare tempus*: quoniam non ſolùm ſignificat rem aliquam, ſed etiam tempus, in quo illa eſt. V. g. *Amo* ſignificat amorem, & tempus præſens. *Amavi* ſignificat amorem, & tempus præteritum. *Amabo* ſignificat amorem, & tempus futurum: tempus, inquam, non quidem *extrinſecum*, quale eſt motus Firmamenti, qui motus vocatur tempus eò quòd utamur illo tanquam menſura ad deprehendendum majorem, aut minorem durationem rerum; ſed tempus *intrinſecum*, hoc eſt durationem ipſam illius rei, quæ ſignificatur per verbum, ut *Amo* ſignificat amorem, & hanc præſentem durationem amoris: *Amavi* durationem ejuſdem amoris quæ fuit, & jam non eſt: *Amabo* durationem, quæ erit, & nondum eſt.

7. Ultimum illud: *Eorum quæ de altero &c.* ſignificat verbum imbibere ſemper (quando utimur illo propriè ut verbo, & non purè materialiter, ſicut ſolemus uti aliis vocibus) aliquid, quod de alio enunciatur, ſive per affirmationem, v. g. *Homo laborat*, ſive per tacitam negationem, v. g. *Homo quieſcit*, *Homo otiatur*: unde omne verbum ut tale eſt nota, ſive index, ſive ſignum illius, quod de alio enunciatur. Non diximus, *prædicatur*, ſed *enunciatur*; quia prædicari magìs innuit affirmationes; enunciari autem eſt vox univerſalior ſignificans affirmationes, & negationes: & poterant objici tibi aliqua verba, v.g. otiatur, quieſcit, ac ſimilia, quæ magìs ſunt negativa, quàm affirmativa, ac proinde magìs ſunt eorum, quæ de altero negantur, quàm eorum, quæ prædicantur, nota.

Lib. 2. de Doc. Chr. c. 1. 8. Tandem ſignum, juxta S. Auguſtinum, eſt *Id, quod præter*

ſpe-

ſpeciem, quam ingerit ſenſibus facit aliquid aliud in cognitionem venire. Loquitur de ſolis noſtris ſignis humanis · quoniam cùm Angeli habeant etiam ſua ſigna, quorum uſu colloquuntur (non enim formant Rempublicam Mutorum) nec non animæ ſeparatæ à corporibus: & tam hæ, quàm illi careant ſenſibus corporalibus, idcircò non eſt de eſſentia omnis prorsùs ſigni, quòd ſpeciem ingerat *ſenſibus*, ſed tantùm de eſſentia ſigni humani; eò quia anima noſtra degens in carcere corporis non cognoſcit naturaliter, niſi dependenter ab obſcura ea luce, quæ illabitur per aliquem ex ſenſibus corporalibus. Hac luce diverſimodè combinata, & adjecta tum ſupernè per auxilium Dei, tum infernè per experientias quotidianas, & per temperamentum optimum, aut mediocre, quo cerebrum noſtrum conſtat, taciti apud nos formamus omnes noſtras cognitiones, & judicia, & diſcurſus, obſcura profectò omnia, & imperfecta (excepto quando cognoſcimus accidentia aliqua materialia) ſicut eſſent actus illi quibus videret homo in ſubterranea ſpecu incluſus, & remotiſſima luce adjutus.

§. II.

9. Signum eſt triplex. *Naturale*. *Ex conſuetudine*. *Ad placitum, ſive ex inſtitutione*. Omittimus ſignum, quod aliqui vocant *Formale*, nimirùm noſtras ipſas cognitiones, quia hæ non ſunt propriè ſignum humanum, quandoquidem non percipiuntur per ſenſus. Signum *Naturale* eſt illud, quod ſuaptè eſſentia indicat aliud, ut *Fumus* ignem: cùmque res poſſit indicare aliam inſtar naturalis effectus illius, ut riſus indicat rationalitatem, (nemo enim, niſi qui fuerit rationalis, poteſt verè ridere) vel inſtar cauſæ, ut *Ignis* indicat flammam; vel inſtar rei, quæ nec eſt cauſa, nec effectus alterius, ut ventus ſolet indicare procellam Maris, quatenùs ventus, & procella naſci ſolent ab eadem cauſa, ſcilicet à furioſis exhalationibus ex Terræ viſceribus erumpentibus, & agitantibus omnia quæ ſupra ſe inveniunt ſive illud ſit aqua, ut contingit in Mari, ſive infima hæc regio aeris, ut experimur in Terra: cùm hæc, inquam, ita ſint, hac de cauſa ſignum naturale eſt triplex, nempe *à priori*, hoc eſt tanquam cauſa, *à poſteriori*, hoc eſt tanquam effectus, *à comitante*, hoc eſt tanquam à ſocio, ſeu confratre, qui nec eſt cauſa, nec effectus.

10. Rursùs cùm cauſa poſſit eſſe vel intrinſeca, vel extrinſeca; & hæc vel phyſica, vel moralis, juxta ea, quæ dicemus in Phyſica, dete-

deteges hinc multitudinem magnam ſignorum naturalium; lacrymæ autem, ſingultus, gemitus non ſunt ſigna naturalia interni *doloris*: ſicut nec riſus, *alacritatis*: nec alia humana libera indicia ſunt ſigna naturalia affectionis internæ ipſis aliàs reſpondere ſolitæ; quia homines multoties fingunt externè affectionem, quam non habêt internè.

11 Signum ex conſuetudine eſt illud, quod ducit nos in alius rei cognitionem, eò quòd experientià didicerimus contingere hanc rem quoties ſit illud: v. g. lugubris campanarum ſonus eſt *ex conſuetudine* ſignum Mortui; alius verò ſonus ſignum feſtivitatis, alius ſerpentis ignis &c. quia experientià novimus eos ſonus diverſas illas res ſignificare: cùmque hæc conſuetudo poſſit eſſe humana, aut belluina (ſiquidem Venatores, Aucupes, & Piſcatores obſervantes belluas nanciſcuntur ſigna, ſeu indicia fauſti, vel infauſti eventus in ſuo exercitio) inde eſt quod ſignum ex conſuetudine eſt duplex, nimirùm *rationale*, *& irrationale*. Rursùs cùm inter humanas conſuetudines unæ ſint communes omnibus hominibus, alteræ peculiares aliquibus: ideò ſignum ex humana conſuetudine eſt duplex; unum *abſolutum*, & *univerſale*; alterum *reſpectivum*, & *particulare*.

12. Signum ad placitum, ſeu ex inſtitutione (cum quo illud alterum *ex conſuetudine humana* coincidit, ſiquidem ideò viget illa conſuetudo, quia homines id voluerunt, licèt non ſemper ac volunt detur illicò conſuetudo) eſt illud quod cùm ſit ex ſe indifferens ad ſignificandum, vel non ſignificandum rem A. v. g. perſona utitur illo, quia ipſa vult, vel alii voluerunt ad ſignificandum determinatè rem illam: hæc autem ſignificatio debet eſſe nota illi, cui ſit illud ſignum, aliàs reſpectu illius non erit ſignum; *nota*, inquam, vel per cognitionem ſpiritualem, quali funguntur homines, vel per materialem, & impropriam, qualem habent multa bruta: unde virgam elevare ſolet eſſe ſignum ad placitum hominum reſpectu equi, canis, felis, quia hæc animalia imperfectis ſuis cognitionibus imperfectè advertunt imminere ſibi plagam quando homines faciunt actionem illam, quæ alioquin ex natura ſua non eſt ſignum plagarum.

13. Hoc ſignum eſt triplex juxta triplicitatem rationalis naturæ quam novimus. 1. Ad placitum *Divinum*, nempe res illa, quam ſolus Deus inſtituit ad aliquid ſignificandum creaturis. Hujuſmodi ſunt Sacramenta noſtra, quia cùm Baptiſmus v. g. foret ex ſe indifferens ad ſignificandum, vel non ſignificandum gratiam dandam ritè baptizato, Deus elegit, atque inſtituit illum, & ipſi annexuit gratiam: quocirca hujus eſt ſignum ad placitum Divinum: hujuſmodi

etiam

etiam eſt Iris : nam cùm ea ſit indifferens ex ſe ad ſignificandum , vel non ſignificandum immunitatem à Diluvio , quod ſaltem poſtridie ingruere poterat , Deus , quia voluit , uſus eſt illa ad ſignificandum hominibus nunquam ampliùs futurum Diluvium : *Arcum meum ponam in nubibus , & erit ſignum fœderis &c.* Unde quoties arcum eum videmus , quamvis non teneamur poſitivè credere , poſſumus tamen , Diluvium non ampliùs futurum : & tenemur non judicare oppoſitum , quia phœnomenon illud eſt locutio , eſt vox , eſt teſtimonium Divinum de Diluvio non ampliùs futuro , quia licèt ſit effectus naturalis eorum trium principiorum , *Lucidum* , *Roridum* , & *Obſcurum* : eo nihilominùs effectu naturali voluit Deus uti ad ſignificandum id , cujus non eſt ſignum naturale arcus ille . Hujuſmodi autem ſignorum , quibus uti ſolet Deus ad loquendum cum hominibus , ſupra 40. ſpecies notavimus ex Scriptura Diſp. ult. de Fide . Geneſ. 9.

14. 2. Ad placitum, ſeu ex inſtitutione *Angelica*; nempe res illa, quā Angelus , vel Angeli probi , aut improbi inſtituunt quia volunt , ad ſignificandum aliquid hominibus , vel Angelis aliis , cujus rei obvia ſunt exempla in Scriptura. 3. Ad placitum *humanum* : & hoc tripliciter etiam . 1. Quando unus ſolus homo , ſed qui eſt aliorum caput , eligit rem aliquam ad ſignificandum cæteris aliquid , ut ſolent facere Duces Exercituum mutatione vexillorum , ſonitu tubæ , aut tympanorum. 2. Quando unus Privatus paciſcitur cum alio de ſignificatione talis, aut talis ſingularis actionis, ut pepigit Jonathas cum Davide in quadam jaculatione , quā voluit ipſum monere de imminente periculo . 1. Reg. c. 20.

15. 3. Quando Communitas ipſa , ſeu major pars omnium illorum eligit aliquid ad ſignificandum aliud : & hoc modo voces verba , vocabula , characteres , hieroglyphici , emblemata , quibus homines utuntur ad loquendum , vel ſcribendum ſunt ſigna ad placitum , ſive ex humana inſtitutione ; quia cùm hæc omnia ſint ex ſe indifferentia reſpectivè ad ſignificandum illa , quæ jam ſignificant ; homines tamen quia voluerunt, convenerūt in eo quòd tales res ſignificent : & admittentes Succeſſores priorem eam conventionem , invaluit Lex , quòd hoc nomen v.g. *Cælum* potiùs ſignificet ſupremam Mundi regionem , quàm lapidem , vel arborem , ad quæ ſignificanda potuerunt homines uti ea voce . Unde contumacibus contra ſignificationem verborum , ex qua pendet ſæpiſſimè intelligentia quidditatis , & eſſentiæ rerum , obſtruendum eſt os per unicam hanc rationem à priori : *Ita voluere Priores* .

16. Si-

Digitized by Google

16. Signis reſpondent duo conceptus. Unus vocatur *Non ultimatus*; & eſt reflexa cognitio, quam habemus de ſigno ipſo, v. g. cognitio de hoc nomine ſcripto, vel pronunciato *homo*. Alter vocatur *Conceptus ultimatus*; & eſt cognitio directa, quam habemus de re illa ſignificata per ipſum ſignum, v. g. cognitio non tam de hac voce, *homo*, quàm de homine ipſo.

§. III.

17. UT hæc omnia meliùs capias, adverte quinque. Cùm ægrè admodùm poſſent homines initio Mundi convenire in ſignificatione vocum abſque aliis vocibus, quibus ſe ſe mutuò intelligerent, & quibus de hac ipſa conventione convenirent, dicendum eſt. Infudiſſe Deum ut Authorem & Magiſtrum humanæ Reipublicæ Adamo, & Evæ notitiam, atque facilitatem multarum vocum, nec non ſignificationis earundem, ut poſſent invicem colloqui, Evaque intelligeret linguam, quâ Diabolus ſenſibiliter loquebatur in ſerpentem transfiguratus; unde quando dicitur: *Omne enim, quod vocavit Adam Animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus*, v. g. quando Evam *Geneſ. 2.* nuncupavit *Viraginem*, non eſt quia Eva haberet ex ſua eſſentia vocari illo nomine, aut quia ea vox *Virago* haberet ex ſua eſſentia ſignificare fœminam de viro ſumptam; nam hæc eadem vox potuit aſſumi ad ſignificandum ſaxum in alia nominum derivatione.

18. Sed quia poſito quòd Deus ut primus Magiſter primi Hominis hunc docuerit voces externas, quas voluit, & eas habere, ſaltem aliquas, ſignificationem, quam ipſe Deus voluit, Adamus inter vocabula, quæ habebat infuſa per Deum, elegit hoc v. g. *Virago* ad ſignificandum Evam, quod vocabulum erat omnium propriiſſimum, non quidem ex ſua eſſentia, ſed ex ſuppſitione quòd Deus voluerit hanc vocem ſignificare fœminam de viro ſumptam, ſeu ex ſuppoſitione, quòd radix primitiva, ex qua derivabatur hæc vox haberet ſignificationem conſentaneam Evæ: & ſimiliter de aliis nominibus, quæ Adamus indidit rebus aliis, quæ nomina erant propria earum, non proprietate innata vocabulis, aut rebus ipſis; ſed quia ex Divina inſtitutione ſignificabant eſſentiam, & proprietatem ipſarum rerum.

19. Similiter nomen illud Dei, *Adonai*, quod ipſe Deus dixit, *Exod. 6.* *Non indicavi eis*, ſcilicet antiquis Patriarchis non eſt proprium Dei proprietate eſſentiali aut ipſi Deo, aut vocabulo illi, quia illo eodem

dem vocabulo potuit ſignificari Creatura in alia rerum periſtaſi; ſed dicitur proprium Dei ex ſuppoſitione ſignificationis, quam voluit Deus ipſi annectere: & quia annexuerat jam ſpecialiſſimam quandam ſui ipſius cognitionem. Idem dicendum de illis 72. linguis (conſule tamen Pererium) diſtributis inter illas 72. Familias, à quibus propagatum fuit genus humanum, ſcilicet Deum infudiſſe unicuique perſonæ uniuſcujuſque Familiæ notitiam, & facultatem ſpecialium vocabulorum, quæ Deus voluit, nec non ſignificationis, quam Deus voluit; ne inſtar mutorum ſolis ſignis manuum ſe ſe intelligerent etiam perſonæ illæ, quæ ejuſdem erant Familiæ, donec ſtatuerent certas voces, & ipſarum ſignificationes. *Lib. 16. in Geneſ. diſp. 10.*

20. Adjuti ergo primitivi illi homines ab Authore, & Magiſtro rationalis naturæ ſubſidio aliquarum ſaltem vocum, ipſi poſteà, & ſui Nepotes potuerunt inducere alias, ex quarum combinatione tum inter ſe, tum cum aliis vocibus aliarum Familiarum reſultavit ingens linguarum copia, quam experimur. Quamobrem primæva illa nomina, & verba ſignificarunt ad placitum *Divinum*, (Angeli enim impares ſunt infundendo ſaltem naturaliter nobis ſpirituales cognitiones quidquid ſit de poteſtate, quâ funguntur alterandi noſtram phantaſiam, quâ ſimiles ſumus brutis) reliqua verò ad placitum *humanum*.

21. Adverte 2. Vocis ſignificatio non eſt regulanda per vocem ipſam ſolam; ſed multoties per alias etiam adjunctas, ſive antecedentes, ſive ſubſequentes: & hanc ob cauſam hæ ſolæ voces, *non eſt Deus*, ſonant atheiſmum; adjuncta verò hac, *mendax*, faciunt veritatem Catholicam: è converſo, *Deus eſt*, dant ſenſum verum; adjuncta verò hac, *ignarus*, dant ſenſum blaſphemum; vis ergo energia, & ſignificatio aliquarum vocum plerumque non ſtat in eis ſolis, ſed in eis, & aliis concurrentibus: unde jure dicitur eruendum eſſe ſenſum textuum non ſolùm ex *textu*, ſed etiam ex *contextu*; & jure etiam reprehenduntur illi, qui inter diſputandum non ſinunt alterum abſolvere orationem; ſed ubi primùm audiunt quidpiam ipſis aſperum, exardeſcunt, inſiliunt, & vociferantur irridentibus aliis phanatico aerem verberanti: nec ſolùm ſtat ſenſus in adjunctis aliis verbis, ſed etiam in adjunctis aliis ſignis diſtinctis à verbis, ſic quamvis hæc verba, *iſte eſt ingenioſus*, aliàs ſint laudativa, ſi tamen ea proferas ſubridens, aut digitum vel caput utrinque agitans, certè non ſignificant laudem abſolutè, & ſimpliciter; nempe quia ſunt multi humani modi loquendi: loquimur enim ore, fron-

te, oculis, capite, manibus, pedibus, digitis, lacrymis, tono, accentu, riſu, ſilentio &c. ergo ſigna illa cadentia ſupra verba ore prolata prævalent multoties contra illa, adimuntque ſignificationem, quam aliàs haberent ex ſua inſtitutione, ut conſtat ex ironiis.

22. Adverte 3. Significatio vocum neque ſtat in ſolis vocibus adjunctis quoque aliis externis ſignis editis à loquente· ſed ſtat etiam in aliis circumſtantiis humana conſuetudine introductis, tametſi fuerint contra priſcam inſtitutam ſignificationem illarum vocum: ſic qui neque oſculatur, neque oſculari cogitat alterius manus, citra mendacium dicit, urbanitatis gratiâ: *Oſculor tuas manus*. item *Congratulor*: *Condoleo*; tametſi neque lætitiâ, neque dolore afficiatur; quoniam civilis mos utendi his vocabulis urbanitatis tantùm gratiâ, ſicut his aliis, *Excellentiſſimus*, *Sereniſſimus &c.* prævaluit contra aliàs inſtitutam ipſorum ſignificationem, & facit nè ſignificent hìc & nunc quod aliàs ſignificabant. Idem dicendum de verbis comminatoriis, quibus Parentes terrere ſolent filios, & famulos ſine ulla intentione infligendi plagas illas. Idem de multis, ſed non de omnibus promiſſionibus ſolius urbanitatis, aut moleſtiæ vitandæ causâ factis: nec propterea vitiatur humanum commercium, quod mediis verbis habetur: etenim uſus locutionum earum eſt adeò frequens, ut ſolùm decipiatur qui idioma non capit civile in eis, & ſimilibus circumſtantiis uſitatum. Quod ſi patitur humana ſocietas, ipſi homines inflexerunt ſibi hoc vulnus.

23. 4. Nec ſignificatio vocum ſumitur ex ſolo abuſu jam converſo in uſum, ſed etiam ex circumſtantiis adhærentibus perſonæ loquenti: nam multoties qualitas illa afficiens apertè innuit, volenti intelligere, ſenſum alium ab eo, quem præſeferunt verba: ſic Sacerdos ad eas anguſtias redactus ut niſi clarè, expreſsè, ac formaliter dicat: *Non audivi tale crimen in Confeſſione*, & hoc confirmet juramento, & inſuper addat ſe non uti reſtrictione ulla mentali: ſi inquam hæc non faciat illicò deveniendum ſit in cognitionem, quòd crimen illud audivit in Confeſſione, poteſt ſine mendacio aut perjurio illa dicere, tametſi crimen verè audierit, intelligendo intra ſe: *Non audivi cum facultate revelandi*; quoniam licèt illa verba ſola, *non audivi*, aliàs ſignificent falſum; complexum tamen ex illis, & ex inviolabilis ſigilli obligatione, quâ tenetur ille Sacerdos (in quo complexo verborum, & aliarum circumſtantiarum conſiſtit locutio) ſufficienter innuit, volenti intelligere, ſenſum illorum verborum eſſe hunc disjunctivum, *vel non audivit tale crimen*, *vel ratione*

invio-

inviolabilis ſigilli utitur iſte aliqua mentali reſtrictione directa, aut reflexa, qui ſenſus disjunctivus verus eſt; quocirca mentalis illa reſtrictio non eſt *purè mentalis*, ſed ſufficienter noſcibilis, ſaltem ſub disjunctione ab eo, qui advertere velit circumſtantiam, quæ afficit perſonam loquentem, vi cujus hic non poteſt rationabiliter dicere, quæ audivit in Confeſſione.

24. Non ita quando ille, qui interrogat habet jus interrogandi, v. g. Judex, qui legitimè procedit cum Reo; quia tunc hic tenetur reſpondere juxta ſignificationem ipſam verborum: quocirca ſi utatur mentali reſtrictione contra ſenſum, quem præſeferunt verba, illa reſtrictio erit purè mentalis, & conſequenter non erit licita, quia erit mendax; neque quòd Judex ſciat deſiderium illius accuſati, vitandi mortem, torturam, dedecus &c. facit ne ſit purè mentalis, & conſequenter ne ſit illicita reſponſio illa, *non feci iſtud*, cum hac mentali reſtrictione, *ut tibi dicam*; quoniam ſupponimus non adeſſe ullam circumſtantiam, quæ Reum illum excuſet in conſcientia à reſpondendo veritatem Judici procedenti legitimè; ergo deſiderium iſtud nequit prævalere contra obligationem aperiendi veritatem: ergo quòd iſtud deſiderium ſit notum Judici non probat huic eſſe notum aliquid, per quod verba externa rationabiliter conſtituantur in eſſe locutionis humanæ aliud ſignificantis ab eo, quod ſonat in verbis; cùm verò oppoſitum accidat in caſu Confeſſarii, ideò eſt diſparitas.

25. 5. Mentitur omnis, qui edit ſignum aliquod indicativum rei, quam ipſe putat falſam, atque ex intentione ut alius rem illam putet eſſe veram: v. g. qui ex intentione ut alius judicet ſe habere dolorem de peccatis genuflexus ante Imaginem Chriſti Domini percuteret pectus, quando nullum prorsùs habet dolorem ſuorum peccatorum: item qui plangeret ex intentione, ut alius crederet ſe mœſtum, quando internè eſt hilaris, aut è converſo: item qui Davidem, aut Saulem depingeret cucullatos ex intentione, ut alii crederent illos fuiſſe Monachos: omnes inquam iſti mentiuntur, ſi hæc faciùnt non quidem ex reflexa intentione, ut alius decipiatur ex ſua ignorantia occaſione eorum ſignorum externorum (quia hoc non tam eſſet decipere alium, quàm occaſionem præbere, ut ille alius à ſua ignorantia decipiatur) ſed ex directa, abſoluta, & immediata intentione, ut alius credat illa. Ratio eſt: omnis, qui loquitur contra propriam mentem, mentitur: ſed omnis, qui edit ſignum manifeſtativum rei, quam ipſe putat falſam, atque illud

ſignum edit ex intentione directa, & abſoluta, ut alius credat talem rem, loquitur illam contram propriam mentem.

26. Probatur: uſu, & experientiâ novimus, non omnem modum humanum loquendi reduci ad ſola verba; ſed eſſe multos alios uſitatos modos loquendi, ut num. 21. notabamus, qui modi loquendi capaces ſunt veritatis, ac falſitatis; ergo oportet aſſignare aliquem conceptum genericum, aut ſpecificum, in quo omnes illi conveniant: ſed non videtur alius magìs idoneus, quàm hic *edere aliquod ſignum ex directa, & abſoluta intentione, ut alius, vel alii judicent, ſeu credant rem A. v. g.* ergo omnis qui hoc facit, loquitur locutione inter homines uſitata: ergo ſi ipſe putat rem illam eſſe falſam, loquitur contra mentem; ergo mentitur. Sed Capite proximè ſequente magìs explicabimus hoc.

CAPUT II.

De Cognitionum Significatione.

27. QUæſtio alia eſt. An cognitiones, quæ etiam vocari ſolent conceptus formales, ſignificent ad placitum non minus quàm voces, & verba: an potius habeant per ſolam ſuam eſſentiam ſignificare objectum, quod ſemel ſignificant, ita ut cognitio hæc vg. *Homo eſt animal* in omni, & pro omni caſu poſſibili ſignificet hominem animal, & utriuſque identitatem? Cenſeo non eſſe prorſus improbabile, actus intellectus, ſive cognitiones, ſive conceptus formales, quos habemus in hac vita non habere per ſuam ſolam eſſentiam ſignificare objecta, quæ ſignificant. Et probari poteſt loquendo de prædicta cognitione, ac de hac altera *Paries eſt albus*, & ſimiliter de reliquis omnibus cognitionibus, quas *modo ordinario* habemus in hac vita, quid quid ſit de cognitionibus, quas Angeli, & animæ ſeparatæ à corpore habent: imò quid quid ſit de cognitionibus ſpecialiſſimè infuſis per Deum hominibus etiam in hac vita: quia præſcindimus ab his omnibus, & duntaxat loquimur de cognitionibus modo habitis ordinario, idest dependenter à ſenſibus, à quibus ſupernaturales etiam cognitiones noſtræ pendent juxta illam Apoſto-
Ad Rom. 10. licam conſequentiam. *Ergo Fides ex auditu.*

28. Nil ſine quo exiſtere potuerunt ambo illa judicia interna, & mentalia, eſt illis eſſentiale, ut conſtat: ſed judicium illud *homo eſt animal* potuit exiſtere quin ſignificaret hominem eſſe animal: & illud alte-

alterum *Paries eſt albus* potuit exiſtere quin ſignificaret parietem eſſe album; ergo non eſt illis eſſentiale ſignificare hæc. Pr. minor. Eſto quod illa verba, ſeu vocalis enuntiatio *homo eſt animal*, inſtituta forent per homines ad ſignificandum parietem eſſe album, ut inſtitui potuerunt, quia verba ſignificant ad placitum humanum, vel divinum, & ſicut defacto illa ex uſu, & placito hominum ſignificant hominem eſſe animal: ita ex eodem uſu, & placito potuerunt ſignificare aliud diverſum vg. parietem eſſe album, & hoc intelligeremus tunc, & judicaremus ſimul ac verba illa audiremus. Eſto ſimiliter quod hæ voces *Paries eſt albus*, inſtitutæ eſſent, ut inſtitui potuerunt, ad ſignificandum hominem eſſe animal. In hoc caſu judicium mentale ſic tendens *homo eſt animal* non ſignificaret hominem eſſe animal, ſed ſignificaret parietem eſſe album: & judicium hoc, *Paries eſt albus* non ſignificaret quod modo, videlicet parietem eſſe album; ſed ſignificaret hominem eſſe animal.

29. Quoniam mentale illud judicium ſignificaret quod tunc ſignificarent illa verba, *homo eſt animal*, per quæ exterius manifeſtaretur illud judicium, atque ad quorum ſonitum illud judicium conciperetur: at verba illa ut ſupponimus, non ſignificarent quod modo ſignificant, nempe hominem eſſe animal; ſed ſignificarent parietem eſſe album (& idem reſpectivè de illo altero judicio: *Paries eſt albus*) ergo mentale illud judicium non ſignificaret mentaliter hominem eſſe animal, ſed parietem eſſe album. Itaque ſicut modo auditis iſtis vocibus *homo eſt animal*, illico formamus mente judicium ſic tendens *homo eſt animal*: & per hoc iudicium cognoſcimus hominem eſſe animal, quia id eſt, quod modo ſignificant illæ voces: ita in caſu dicto auditis eiſdem vocibus formaremus mente judicium ejuſdem tendentiæ, & per illud cognoſceremus parietem eſſe album, quia id eſſet quod in eo caſu ſignificarent illæ voces ut ponimus.

30. Explicatur: qui tunc judicaret hominem eſſe animal, vel explicaret hoc ſuum judicium his verbis *homo eſt animal*: vel his. *Paries eſt albus*. Si primis, ergo malè explicaret ſuum judicium, quia ſupponimus illa verba non ſignificatura tunc hominem eſſe animal, ſed parietem eſſe album; explicare autem judicium de eo quod homo ſit animal verbis ſignificantibus parietem eſſe album, eſſet mala, & diſparata explicatio, ſicut eſſet modò diſparata explicatio ejuſdem judicii per hæc verba *paries eſt albus*, quæ modo ſignificant parietem eſſe album. Immo caſu quo ex hominum uſu, ac inſtitutione *eſt* ſignificaret negationem, & *non eſt* ſignificaret affirmationem ut potuit contingere

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem ambo verba ſignificant ad placitum hominum, judicium mentis affirmativum explicare per *eſt* foret mendacium, & negativum explicare hoc verbo, *non eſt*, foret etiam mendacium; ergo dicendum, quòd in caſu dicto internum illud, ac mentale judicium de eo quòd homo ſit animal, non debebat explicari, ac manifeſtari verbis illis, *homo eſt animal*, ſed ers alteris, *paries eſt albus*, quæ ſola verba in caſu illo ſignificarent ex hominum placito & uſu hominem eſſe animal; tunc ſic: judicium illud internum de eo, quòd homo eſt animal, aut haberet hunc mentalem modum tendendi *homo eſt animal*; aut hunc, *paries eſt albus*: primum dici nequit, tum quia aliàs verba externa, & judicium internum non concordarent, ſiquidem verba haberent hanc expreſſionem, ſeu tendentiam, *paries eſt albus*, & judicium hanc, *homo eſt animal*, quæ ſunt invicem diſparatæ; tum quia de facto verbis ſignificantibus hominem eſſe animal, non reſpondet hoc judicium, *paries eſt albus*, nec verbis ſignificantibus parietem eſſe album, reſpondet hoc judicium, *homo eſt animal*; nempe quia expreſſio, ſeu tendentia mentalis, atque vocalis debent univocari, non quidem in omnibus aliis ut patet; ſed in modo proferendi, atque enunciandi.

31. Ergo caſu quo illa verba, *paries eſt albus*, inſtituta forent ad ſignificandum hominem eſſe animal, judicium illis reſpondens, & quo ſciremus hominem eſſe animal, non eſſet hoc, *homo eſt animal*, ſed hoc, *paries eſt albus*; tum quia ſi vox *eſt* foret inſtituta ad negandum, & vox *non eſt* ad affirmandum, internum judicium affirmativum non tenderet ſic *eſt*, quia judicio affirmativo non correſpondet ſine mendacio vox negativa, ſed tenderet ſic, *non eſt*, & vice verſa; ergo verbis illis, *paries eſt albus*, ſignificantibus hominem eſſe animal, judicium illis reſpondens, quo judicaremus hominem eſſe animal, non eſſet hoc, homo eſt animal, ſed hoc, *paries eſt albus*, quæ erat ſecunda pars dilemmatis poſiti num. præcedente; ergo judicium ſic tendens, *paries eſt albus*, ſignificaret tunc, hominem eſſe animal; ſed nunc non ſignificat hoc, ut patet, ergo judicium hoc poteſt non ſignificare illud, quod nunc ſignificat; ergo non habet per ſolam ſuam eſſentiam ſignificare quod ſignificat.

32. Ubi adverte duo. Non contendimus, quod ſit idem numero, ac quoad individuum judicium (quamvis & hoc contendere poteramus, quoniam hoc individuum, & ſingulare judicium poteſt exiſtere, ſive homines inſtituerint illas voces, *paries eſt albus* ad ſignificandum parietem eſſe album, ſive ad ſignificandum aliud quidpiam

ſiqui-

ſiquidem hominum placitum, & inſtitutio per accidens prorsùs ſe habet reſpectu illius judicii) contenti ſumus eo, quod ſit idem quoad ſpeciem: nempe unum judicium ſic tendens, *paries eſt albus* poſſe ſignificare parietem eſſe album: & aliud judicium ſolo numero diſtinctum, atque ejuſdem penitùs tendentiæ, nempe *paries eſt albus* poſſe ſignificare *hominem eſſe animal*: adverſarii autem erit, hoc poſito, probare unum ex eis habere per ſolam ſuam eſſentiam ſignificare parietem eſſe album; alterum autem habere per ſuam ſolam eſſentiam ſignificare hominem eſſe animal, alterum eſt, poſito caſu, cui inſiſtimus in tota hac quæſtione, nimirùm quod ex hominum uſu, atque inſtitutione mutata eſſet ſignificatio earum vocum. *Eſt*; *non eſt*. *Homo eſt animal*. *Paries eſt albus*, cognoſceret quidem intellectus hominem eſſe animal v. g., & de hoc maneret certus, ac ſecurus: non eſt quæſtio de hoc: difficultatis cardo ſtat in expreſſione, ſeù tendentia judicii, quo id cognoſceret: nos dicimus, ſi illæ voces *paries eſt albus*, ſignificarent hominem eſſe animal, judicium, quo intellectus id cognoſceret, non fore hoc *homo eſt animal*, quia hoc ſignificaret parietem eſſe album, ſicut ſignificarent illæ voces *homo eſt animal*, ſed fore hoc. *Paries eſt albus*, quia hæ forent voces, quibus externè ſignificaretur hominem eſſe animal.

33. Jam ratio à priori poteſt eſſe. In hac mortali vita formamus noſtras mentales apprehenſiones, judicia, & diſcurſus habentes modum tendendi, ſive internum, & ſpiritualem ſonum, ut ita dicamus, exactè reſpondentem ſono materiali, & externo verborum, quæ audimus ab aliis, aut proferimus nos, ut conſtat experientiâ, quis enim audiens, aut proferens hæc verba, *homo eſt animal*, formet hanc mentalem expreſſionem, ſeù vocem, ſeù tendentiam, ſeù judicium, *paries eſt albus*, & non potiùs hanc *homo eſt animal*, habentem eamdem expreſſionem, ſive tendentiam, ſive internum ſonum, quem habent illa verba? & idem de audiente, ſive proferente illa altera verba: *Paries eſt albus*, quis non habet tunc, ſi res procedat ſine mendacio, & amphibologiis, judicium ejuſdem ſoni, ac tendentiæ, ideſt *Paries eſt albus*? Idem de judiciis disjunctivis, conditionalibus, cauſalibus, quæ habent tendentias, ſeù modum exprimendi reſpondentem expreſſioni vocali externæ, ergo etiam caſu, quo ob placitum, & inſtitutionem hominum mutata fuiſſet ſignificatio eorum verborum ita ut illa *paries eſt albus*, ſignificarent hominem eſſe animal, audiens, & proferens illa verba formaret judicium ejuſdem tendentiæ, ac ſoni mentalis, nempè formaret hoc judicium *Paries eſt albus*: ſed in eo caſu judicium hoc
non

non ſignificaret, quod modo ſignificat, ſed ſignificaret hominem eſſe animal, quia ſignificaret quod verba, quibus reſpondet, ſignificant (alias mente diceremus unum, & ore aliud, unde continuis mendaciis, & confuſionibus ſcaterent humana colloquia etiam Sanctorum), ponimus que verba illa ſignificare hominem eſſe animal; ergo judicium hoc in caſu illo non ſignificaret, quod modo ſignificat; ergo non eſt ipſi eſſentiale ſignificare, quod ſignificat: in nullo quippe caſu poſſibili poteſt res ulla carere eo, quod ſibi eſt abſolutè eſſentiale.

34. Cumque idem argumentum poſſit fieri ſuper omni cognitione ſive apprehenſiva, ſive judicativa, ſive diſcurſiva, quam ordinario modo habemus in hac vita, palam fit omnem noſtram cognitionem per ſe ab intrinſeco eſſe capacem ſignificandi aliud omnino diſtinctum ab eo, quod modo ſignificat; ubi jam vides rationem totam ſtare in eo, quod pro hoc miſero ſtatu non cognoſcimus niſi dependenter à phantaſmatibus, ſeù ſpeciebus, ſeù ſignis illapſis animæ noſtræ per ſenſus; nam de omni noſtra cognitione verificatur reſpectivè, quod
Act. 8. de cognitionibus fidei docet Paulus loco citato: *quomodo credent ei, quem non audierunt!* Item *ergo fides ex auditu*. Item quod Philippo quærenti. *Putas ne intelligis, quæ legis*, reſpondit bonus ille Æthiops, *quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi*, ergo ſi mutaretur, ut mutari potuit, ſignificatio verborum, aut aliorum ſignorum, quæ illabuntur animæ per ſenſus, mutaretur etiam ſignificatio eorum actuum internorum, quos modo concipit anima noſtra ad præſentiam eorum verborum, aut ſignorum.

§. II.

35. Obii 1. Judicia eſſentialiter vera, qualia ſunt judicia fidei, & multa judicia naturalia v. g. exiſtit Deus, quodlibet eſt, vel non eſt, & reliqua principia metaphyſicè evidentia. Item judicia eſſentialiter falſa, v. g. *Non eſt Deus*: utraque inquam judicia eſſentialiter habent enunciare, quod enunciant; alias prima poſſent eſſe falſa, & ſecunda poſſent eſſe vera: & conſequenter poſſet eſſe falſum hoc judicium, *quodlibet eſt, vel non eſt*, & hoc, *Deus exiſtit*: nec non poſſet eſſe verum hoc *Deus non exiſtit*: ergo aliqua ſaltem judicia habent per ſuam eſſentiam ſignificare, quod ſignificant. Diſtinguo antecedens, eſſentialiter *abſolutè* vera, aut eſſentialiter abſolute falſa, nego ſuppoſitum, quia in hoc ſtatu mortali nulla id generis habemus juxta ordinariam providentiam, juxta quam nulla habent eſſentiali-

Digitized by Google

tialiter ſignificare, quod ſignificant: & ex ſignificatione pendet etiam, quod ſint vera, aut falſa; eſſentialiter vera, aut eſſentialiter falſa *conditionatè* ſub conditione, quod ſignificent illud, quod ſignificant, concedo antecedens: & ſimiliter diſtincta probatione, nego conſequentiam.

36. Explicatur: quemadmodum vocalis hæc propoſitio *Exiſtit Deus*, utpotè una ex creaturis, eſſentialiter connectitur cum Deo, & conſequenter cum ſua veritate, & conſequenter eſt eſſentialiter vera; non quidem abſolutè, ſed tantùm conditionatè ex ſuppoſitione nimirùm, quod ſignificet affirmativè exiſtentiam Dei, quæ tamen ſuppoſitio eſt ei accidentalis, quia non ex ſua eſſentia, ſed ex hominum placito ſignificat exiſtentiam Dei: unde iſta eadem propoſitio vocalis potuit eſſe eſſentialiter falſa, ſi nimirùm homines inſtituiſſent voces illas, ut potuerunt ad negandum exiſtentiam Dei, & potuit eſſe contingenter vera, ſi homines inſtituiſſent illas voces ad affirmandum ſolem ſplendere in noſtro Emiſpherio (idem, ac eodem modo dic de principiis evidentibus vocalibus, ſive ore prolatis): item quemadmodum vocalis hæc propoſitio: *Non eſt Deus*, eſt eſſentialiter falſa non quidem abſolutè, ſed ex ſuppoſitione quod ſit negativa Dei, quæ ſuppoſitio eſt ipſi accidentalis: unde hæc eadem vocalis propoſitio *Non eſt Deus*, potuit eſſe eſſentialiter vera, ſi nimirum homines inſtituiſſent illas voces ad ſignificandum affirmativè exiſtentiam Dei, ut potuerunt inſtituiſſe: quemadmodum inquam, res ita evenit in propoſitionibus vocalibus.

37. Ita hoc mentale judicium *Deus exiſtit*, eſt eſſentialiter verum, & hoc alterum *Deus non exiſtit*, eſt eſſentialiter falſum *ex ſuppoſitione*, quod primum ſignificet affirmativè, & ſecundum negativè exiſtentiam, hæc autem ſuppoſitio eſt accidentalis eis vocibus, & verbis intellectualibus: hæc debent ſignificare idem, quod verba externa, per quæ manifeſtantur aliis, ne contingat, quod unum dicat intellectus intra ſe, & aliud proferat lingua: cumque verba utraque externa potuerint permutaſſe ſignificationem, quam certe ex mero uſu, & inſtitutione hominum habent, inde eſt, quod etiam voces illæ, & verba interna intellectualia potuerunt permutaſſe ſignificationem; ergo quod una ſignificent affirmative, & altera negative exiſtentiam Dei, eſt illis accidentale. Idem dico de principiis evidentibus v.g. *quodlibet eſt, vel non eſt &c.* ſunt utique eſſentialiter vera *ex ſuppoſitione*, quod ſignificent id ipſum, quod modo ſignificant; ſed hæc ſuppoſitio eſt ipſis accidentalis; unde ſicut hæc vocalis propoſitio *bis tria*

Digitized by Google

ſunt ſex, *quodlibet eſt*, *vel non eſt*, & ſimilis quævis potuit eſſe falſa, imo neceſſario falſa, ſi voces illæ fuiſſent per homines inſtitutæ ad aliud ſignificandum; ita propoſitio mentalis ipſis correſpondens quoad modum tendendi, ſeù ſonandi mentaliter.

38. Quod attinet ad mentales propoſitiones de Fide, ut *Verbum caro factum eſt*, & reliquas omnes, unum eſt extra controverſiam, nimirùm quòd abſolutè loquendo omnes illæ ſunt eſſentialiter veræ, ac infallibiles, ſicut etiam ſunt propoſitiones vocales illis reſpondentes, & quibus confitemur, ac proteſtamur ore quod corde credimus; *corde enim creditur ad juſtitiam*; *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, juxta Apoſtolum. *Ad Rom. 10.* Cæterùm quòd hæc infallibilitas, ſeu eſſentialis determinatio ad veritatem (de qua infallibilitate ambigere non licet) identificetur adæquatè cum ſolo actu interno ſpecificativè ſumpto, ita ut in omni caſu poſſibili, in quo intellectus habeat dictum judicium, illud ſit actus Fidei, eſt quid merè ſpeculativum, & non videtur verum: nam certe caſu quo Verbum non incarnaſſet, ut potuit; vel Deus incarnationem non revelaſſet, ut etiam potuit; poterat intellectus concipere hoc judicium, *Verbum caro factum eſt*: & certè tunc non eſſet actus Fidei Divinæ.

39. Igitur quemadmodùm prædictum judicium, ſi vocale ſit, non habet per ſolam ſuam eſſentiam eſſe verum, aut pendere ab habitu Fidei, aut inniti revelationi Dei; ſed ſolùm connectitur cum his *conditionatè* ſub conditione, quòd voces illæ ex hominum placito ſignificent id, quod eſt Incarnatio Verbi, & non aliud diverſum: ita judicium dictum, *Verbum caro factum eſt*, non habet per ſolam ſuam eſſentiam eſſe verum, certum, infallibile, aut pendere ex habitu Fidei, aut inniti revelationi Dei; ſed tantùm eſt connexum cum his omnibus *conditionatè* ſub conditione, quòd ſignificet mentaliter Incarnationem Verbi, & non aliud diverſum (& in hoc ſenſu intelligenda ſunt quæ de infallibilitate actuum Fidei docet Theologia;) cùmque illa conditio ſit ipſi accidentalis, atque variabilis juxta variationem ſignificationis verborum externorum, quibus reſpondere debent ſignificationes verborum internorum intellectus; idcircò judicium illud ſecundùm ſe præcisè inſpectum non habet ullum ex nuper inſinuatis capitibus infallibilitatis: unde fit, quòd ſicut judicia vocalia ſecundùm ſe inſpecta, æqualia ſunt capacitate veritatis, ac falſitatis, ſubeunt unam, vel alteram contingenter, aut neceſſariò conditionatè ſub conditione, quòd ex placito hominum ſignificent unum, & non aliud: ita judicia interna,

Digitized by Google

na, quorum unum abſolutè, ac ſimpliciter eſt Fidei, & alterum abſolutè, ac ſimpliciter eſt hæreticum; ubi ne confundas, ut jam monuimus, *judicare rem*, & *judicare per judicium talis determinatæ tendentiæ*: illud poteſt eſſe abſolutè infallibile; hoc poteſt eſſe abſolutè falſum.

40. Objicies 2. Amor, (& ſimiliter de reliquis actibus voluntatis) habet per ſolam ſuam eſſentiam eſſe amorem illius objecti, cujus eſt amor; ergo cognitiones habent quoque ex ſola ſua eſſentia eſſe cognitiones illorum objectorum, quorum ſunt cognitiones: nego conſequentiam: cognitiones namque cùm ſint expreſſiones, ſeu ſignificationes, ſeu verba, quibus intellectus loquitur intra ſe illud idem quod ore loquimur ad extra, oportet, quòd habeant tendentiam, ſive ſonum internum conſentaneum externo ſono; & ſignificationi verborum, quibus manifeſtantur; aliàs intercedet mendacium, vel diſparata expreſſio in noſtris omnibus locutionibus; ergo ſi mutatur ſignificatio verborum externorum retinentium eundem ſonum, ſeu tendentiam vocalem, oportet, quòd mutetur ſignificatio verborum internorum, hoc eſt, cognitionum retinentium eundem ſonum, ſive tendentiam mentalem: actus verò voluntatis non ſunt expreſſiones, aut imagines, aut ſignificationes ſuorum objectorum, (aliàs forent capaces veritatis, ac falſitatis formalis, quod eſſet confundere actus voluntatis cum actibus intellectus) ſed ſunt inclinatio, ſeu averſio, proſecutio, ſeu fuga reſpectu illorum; ergo non eſt neceſſe, quòd habeant tendentiam, aut ſignificationem conſonam tendentiæ, aut ſignificationi verborum; ergo eſt diſpar ratio inter actus intellectus, & actus voluntatis quoad rem præſentem.

41. Verum eſt, quòd actus voluntatis ſolemus explicare eodem verborum ſono, quo enunciationes mentales, & vocales: dicere enim ſolemus: *Volo A. quia eſt bonum. Nolo B. quia eſt malum*: ſed hoc facimus 1. ut mutuò intelligamur: 2. quando reflexè affirmamus, aut explicamus mente noſtros actus voluntatis, ſed non quia actus ipſi voluntatis formaliter in ſe ipſis habeant ejuſmodi ſonum, ſive tendentiam, ſive expreſſionem: aliàs formaliter in ſe ipſis forent affirmationes, aut negationes non minùs quàm actus intellectus, & non minùs veri, aut falſi formaliter, quocirca nupera volitio eſſet formaliter vera quando A. eſſet bonum, & formaliter falſa quando A. non eſſet bonum, quandoquidem non minùs quàm actus intellectus enunciaret A. eſſe bonum. Hinc fit, quòd ſi hæc vox, *Petrus*, inſtituta eſſet, ut potuit, ad ſignificandum Deum, & hæc

vox, *Deus*, ad ſignificandum Petrum, ut etiam potuit inſtitui, tunc cognitio, quam haberemus circa Deum, eſſet hæc, *Petrus eſt amabilis ſuper omnia*, & amor Petri tunc, ideſt objecti ſignificati per eam cognitionem, *Petrus*, eſſet amor Dei, & è converſo.

42. Explicatur. Eſto hominem, qui tunc vocatur *Petrus*, vocatum fuiſſe Joannem; tunc amor Petri eſſet amor Joannis; non quia amor, qui nunc eſſet Petri, mutaret objectum; ſed quia amor debet eſſe filius objecti, quod proponitur per cognitionem prævíam: cùmque cognitio tunc propria amori perſonæ illius eſſet hæc, *Ioannes*, ſicut modò eſt hæc *Petrus*, ideo amor ille tunc eſſet Joannis, non autem Petri, ideſt, eſſet amor objecti ſignficati per illam cognitionem *Ioannes*, non verò per hanc *Petrus*, quod tamen objectum eſt unum, & idem. Hoc dicimus in præſenti: & ratio eſt amor, odium, volitio, nolitio, complacentia, diſplicentia, & reliqui actus voluntatis dumtaxat habent ex ſua eſſentia eſſe amorem v.g. illius objecti, quod animæ obverſatur per cognitionem prævíam: at ſive cognitio hæc præivia habeat hunc mentalem ſonum, hanc tendentiam, ſive expreſſionem *Deus*, ſive hanc *Petrus*, eò quod mutata fuerit ſignificatio vocum, & conſequenter ſignificatio cognitionum ſubſiſtit, quod objectum eſt idem: quoniam mutatio non ſtat in objectis, ſed in ſignificatione vocali, ac mentali eorumdem: ergo amor v. g. erit ſemper objecti ejuſdem, ſive prævia cognitio habeat unum modum tendendi ſive alium. Hoc autem non contingit cognitionibus collatis cum verbis externis, nam illæ habent eumdem modum tendendi, ſonandi, ſeù exprimendi, quem habent externa verba: & ſolum eſt differentia, quod illæ ſunt actus ſpirituales; hæ verò materiales, ac externi.

43. Ut cætera ſolvas, adverte 1. Dicimus verba intellectualia, ideſt cognitiones, quas habemus in hac vita ſignificare ad placitum hominum; non quidem immediate ac directe, ſed mediate ac indirecte, quatenùs naturaliter ſignificāt iuxta ſignificationem vocum externarum, quæ ſubſtituuntur pro illis, & per quas illæ manifeſtantur: cumque harum vocum ſignificatio pendeat ex placito, uſuque hominum, ideo mediate, ac indirecte pendet ex placito eodem ſignificatio vocum, & verborum internorum, ideſt cognitionum. 2. Cum animæ ſeparatæ à corporibus, & Angeli, & longe melius Deus ipſe, non forment ſuas cognitiones dependenter à ſignis externis ingredientibus per organa corporis, quod non habent, ideo neceſſe non eſt, quod illæ cognitiones habeant eumdem modum tendendi, ſeù mentaliter

liter ſonandi, quem habent illa ſigna externa, quæ ſignificant ad placitum; ergo non eſt neceſse, quod mutata tendentia, ſive ſignificatione horum ſignorum mutetur aut mentalis ſonus, aut ſignificatio illarum cognitionum; ergo ratio cui inſtitimus dicentes cognitiones, quas modo habemus poſſe mutare ſignificationem ſuorum objectorum, nequit inſervire probando idem de cognitionibus, quas habent animæ ſeparatæ, Angeli, ac Deus. 3. Caſu quo homo eſſet cæcus, ſurdus, omnibuſque ſenſibus externis captus, ita ut per nullum illaberetur animæ illi ſignum ullum objectorum cognoſcendorum, neſcimus quales cognitiones formaret, & an Deus illi ſuccurreret ſicut animæ ſeparatæ in ordine ad cognitiones formandas, nam anima illa vere eſſet quaſi ſeparata à corpore in ordine ad cognoſcendum, quando quidem ponitur nullum ſuſcepturam ſubſidium ab organis corporis.

44. Adverte 4. Si inter duos privatim conveniret, quod hæc vox *Non* ſignificaret affirmationem, verum eſt, quod unus ex illis audiens illam vocem non formaret judicium hujus tendentiæ, ſive ſoni mentalis *Non eſt*, ſed potius contradictorium: hoc autem naſceretur ex privata illa conventione, cui quoad illas duas perſonas cederet generale hominum placitum: locutio quippe illa ſtaret in complexo ex illa voce, & conventione illa privata, unde tunc dicere *Non* eſſet revera dicere *eſt*: in caſu autem, quem produximus probaturi concluſionem, non eſſet privata, ſed generalis hominum voluntas, quod illæ voces *paries eſt albus*, ſignificarent hominem eſſe animal, & quod hæ alteræ *homo eſt animal*, ſignificarent parietem eſſe album. 5. Verum eſt, quod actuale, abſolutum, formale, ac immediatum exercitium ſignificandi rem A v. g., per ſolam ſuam eſſentiam habet illam ſignificare, ne abeamus in infinitum: cæterum ſicut actuale formale, ac immediatum, & abſolutum exercitium ſignificandi *verbaliter* Petrum non eſt hæc ſola vox *Petrus*, quia hæc potuit inſtitui ad ſignificandum verbaliter papyrum, vel Deum, vel aliud quidpiam; ſed eſt complexum ex hac voce, & voluntate efficace hominum de eo, quod illa vox ſignificet verbaliter Petrum; ita exercitium actuale abſolutum, formale, & immediatum ſignificandi *mentaliter* eumdem Petrum v. g. non ſtat adæquate in ſola hac cognitione ſic tendente *Petrus*, nam certè aliam habebit tendentiam, ſeu mentalem ſonum cognitio circa eamdem perſonam, quam formabunt homines aſſueti alius idiomatis, in quo vox alia valde diverſa ſignificet Petrum: ſtat igitur prædictum exercitium in complexo ex illa cognitione, & ex ſignificatione, ac tendentia illorum verborum, quorum ſignificationi, ac ſo-

ac ſono externo aptantur noſtræ cognitiones: ſed complexum non identificatur adæquate cum noſtra cognitione, ut patet; ergo prædictum exercitium non identificatur adequate cum noſtris cognitionibus. Pleraque argumenta contraria retorquenda, & explicanda ſunt per ipſa verba externa, quorum ſignificatio ſine dubio eſt ad placitum hominum, & conſequenter eſt mutabilis, ſi non conſequenter ad inſtitutionem; at ſaltem antecedenter.

45. Adverte 6. Hucuſque diximus non eſſe eſſentiale actibus intellectus, quos in hac vita ordinariè habemus ſignificare objectum, quod hîc, & nunc ſignificant, quod vero attinet ad alias eorumdem proprietates, oportet diſtinguere inter illas, quæ nec directe, nec indirecte, nec immediate, nec mediate pendent ex hominum voluntate, atque illas, quæ mediate ſaltem, ac indirecte pendent ex illa: primæ dicendæ ſunt eſſentiales actibus intellectus; ſecus ſecundæ. Explicatur hoc ſicut reliqua exemplo verborum, & vocum exteriorum, quibus reſpondent verba, ſeù voces interiores prolatæ ab intellectu, tametſi pendeat ex hominum placito, quod verba hæc, ſeù voces exteriores *Homo eſt*. *Homo non eſt*, ſint affirmationes, aut negationes, ſint aſſenſus, aut diſſenſus externi, eo quod potuerint inſtituere vocem *eſt* ad negandum, & vocem *non eſt* ad affirmandum; item quamvis ex eorundem placito pendeat proferre, ac non proferre tales, aut tales voces, verùm tamen quod vox ſit vox, quod acuta ſit acuta, quod gravis ſit gravis, non pendet ex humano arbitrio, ſed eſt eſſentiale voci, quæ ſemel profertur, quæ ſemel eſt acuta &c.

46. Similiter de vocibus, ſeù verbis mentis, quæ ſunt cognitiones noſtræ. Quod hæc interna judicia *Homo eſt*. *Homo non eſt*, ſint affirmationes, aut negationes, ſint aſſenſus, aut diſſenſus intellectuales, ſint approbatio, aut reprobatio mentalis, & reliqua, quæ hinc ſequuntur, pendet mediate, atque indirecte ex hominum placito, unde non eſt illis adæquate intrinſecum, & eſſentiale: ſi enim voces externæ *homo eſt*, inſtitutæ fuiſſent ad negandum, judicium internum ſimiliter tendens, ac ipſis correſpondens, non eſſet affirmatio, aut aſſenſus, ſed negatio, & diſſenſus, & non ſignificaretur (extrinſice utique) a veritate ſui objecti, ſed a falſitate, & hanc non verò illam haberet ut objectum formale, quia actus intellectus inſpecti ſecundùm ſolã ſuam entitatem non habent eſſentialiter reſpicere unum objectum formale, quam aliud, ſicut neque voces exteriores; ſed ſolùm reduplicative ut affirmationes, aut negationes, ac ex ſuppoſitione, quod affirmationes v. g. ſint. Idem reſpective dici-

dicimus, ſi voces illæ, *homo non eſt*, inſtitutæ fuiſſent ad affirmandum, quoniam tunc etiam judicium internum ipſis reſpondens, eſſet hoc ſimiliter ſonans, *homo non eſt*, & hoc judicium foret affirmatio intellectualis, aſſenſus, & approbatio mentalis ſui objecti; quocirca licèt de facto judicium hoc ſit negativum, eò quia habeat negationem præpoſitam copulæ, & omne tale judicium eſt negativum juxta præſentem inſtitutionem hominum; hoc tamen non eſt illi eſſentiale inſpecto ſecundùm ſolam ſuam entitatem, & pro omni caſu poſſibili; ubi facillimam æquivocationem cave; cùm enim ex una parte loquamur utentes vocibus, in ſignificatione, quam de facto habent, & cujus aſſueti ſumus ab infantia: & ex alia pronunciemus de ipſis, atque de cognitionibus, quæ ipſis reſpondet contrariam ſignificationem, quâ donari potuiſſent ab hominibus in alia providentia, facilem ingreſſum habebunt parallogiſmi, ac æquivocationes, ni frequenter diſtinguas inter id, quod de facto contingit, & id quod ſemper ac neceſſariò in omni poſſibili providentia contingere debet, eò quòd ſit eſſentiale vocibus externis, atque internis.

47. Cæterùm quòd prædicta judicia ſint actus intellectus, ſint actus ſpirituales, vitales, clari, obſcuri, intuitivi, abſtractivi, & ſimilia, eſt ipſis reſpectivè penitùs intrinſecum, & eſſentiale, & nullo prorsùs modo pendens ex hominum placito, ſuppoſito, quòd ſemel concipiantur ab intellectu, ut modò ſupponimus ex Philoſophia Animaſtica: quòd autem ſint determinati, aut disjunctivi, conditionales, aut abſoluti, aut modales, univerſales, aut particulares, aut ſingulares, aut contrarii, aut contradictorii, aut æquipollentes, pendet quoque mediatè, ac indirectè ex hominum placito, ut fateri debemus de judiciis externis, & vocalibus habentibus reſpectivè has proprietates; ſi enim notam illam disjunctionis *vel* inſtituiſſent homines ut potuerunt, ad ſignificandum hypotheſim, & vocem illam *ſi*, quæ eſt character conditionalitatis inſtituiſſent ad ſignificandum disjunctivum, & ſignum illud, *omnis*, ad ſignificandum unum tantùm, & pronomen illud, *Hic*, ad ſignificandum cuncta: in his caſibus poſſibilibus ſine dubio hæc propoſitio vocalis, ſeu mentalis, *Petrus exiſtit, vel non exiſtit*, eſſet conditionalis: & hæc vocalis, ſeu mentalis, *ſi Petrus exiſtit eſt homo*, eſſet disjunctiva: & hæc, *omnis homo currit*, eſſet ſingularis &c. modus tendendi per *vel*, per *ſi* &c. eſſet idem quoad entitatem, hoc eſt, perſeveraret idem *vel*, idem *ſi*: cæterùm illud *vel* intellectuale eſſet quod modò eſt ac ſignificet *ſi* intellectuale.

§. III.

§. III.

48. EX hucuſque dictis inferuntur quatuor. 1. Sicut non omnis externa vox eſt relatio tranſcendentalis ſui ipſius ad objectum, quod de facto ſignificat: quia hæc eadem vox, *chimæra*, potuit inſtitui ad ſignificandum hominem, & hæc eadem, *homo*, ad ſignificandum chimæram; unde fit, quòd neque illa habet per ſuam ſolam eſſentiam, quòd ſemper ſuum objectum ſit impoſſibile; neque hæc habet per ſolam ſuam eſſentiam, quòd ſemper ſuum objectum ſit homo, in quo ſtaret relatio tranſcendentalis ad ſuum objectum: ita propter eandem rationem deſcendentem ex hactenùs dictis, non omnis cognitio humana ex iſtis ordinariis, quæ utique eſt verbum, ſeu vox interna prolata per intellectum, eſt relatio tranſcendentalis ſui ipſius ad objectum, quod de facto habet; quia hæc cognitio, ſeu intellectualis vox, *chimæra*, ſignificaret hominem caſu, quo vox externa illum ſignificaret externè: & hæc mentalis vox, *homo*, ſignificaret mentaliter chimæram, caſu, quo externa vox, *homo*, externè ſignificaret chimæram; ergo neutra habet per ſolam ſuammet eſſentiam, quòd ſemper ſit objectum ſuum id quod eſt de facto; ſed in hoc ſtat, quòd non ſit relatio tranſcendentalis ſui ad objectum, quod habet de facto; ergo.

49. Secundum: quemadmodum non eſt abſurdum quod dentur voces ſeu verba externa nil ſignificantia: vg. *Biltri ſcindapſus*, & quæ fingi poſſint ab otioſis; ita abſurdum non eſt quod otioſæ ac frivolæ dentur cognitiones nullum habentes objectum, v.g. hujus ejuſdem tendentiæ *Blitri*, cognitio, ſeu vox intellectualis, hujus ejuſdem ſoni *ſcindapſus* verbum internum ſive cognitio: intellectus quippe non minus quam, potentia locutiva eſt capax prorumpendi mentaliter in voces, ſeu verba ſeu ſonos, ſeu tendentias frivolas, otioſas, aut nugatorias, unde ſi quæſieris, quid cognoſcit intellectus per talem cognitionem? Reponemus: quid dicit per hanc vocem *Blitri?* quid per hanc *ſcindapſus?* nil dicit hic, & nil cognoſcit ibi, quia utrobique otiatur utravis potentia, nempe locutiva, & cognoſcitiva, ſi dixeris, omnis cognitio alicujus rei debet eſſe cognitio, quia eſt imago, ſeu repreſentatio ſui objecti, & poſſeſſio ejuſdem, & addideris multa, quæ vulgo jactantur de cognitionibus; in primis ſicut hæc ſunt falſa de vocibus, ac verbis externis, ita falſa ſunt ſi dicantur in ſenſu prorſus univerſali, & nullam penitus patiente exceptionem de verbis, ſive

voci-

vocibus intellectualibus: nam certe quæ reſpondent quoad ſonum, atque modum tendendi illis vocibus externis non ſignificativis, nullius rei ſunt ſignificativæ: cognitio ſic tendens *Blitri*, cognitio ſic ſonans mentaliter *ſcindapſus* cujus rei ſunt imago, repræſentatio, ſeu poſſeſſio? deinde iſta omnia quæ vulgò jactantur, & merito de cognitionibus, ſunt vera de cognitionibus rationabiliter habitis ac juxta communem uſum hominum; non verò de omni prorſus cognitione etiam fatua, otioſa, & quæ ſit merum exercitium potentiæ cognoſcitivæ. Profecto quæcumque hic obieceris retorquentur facile in exercitiis potentiæ locutivæ, quæ nil penitus ſignificant.

50. Tertium, quod infertur eſt reſolutio famoſæ illius quæſtionis, an ſcilicet propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam, & vice verſa, id eſt, an hæc propoſitio, vg. *Petrus nunc vivit* prolata hodie quando Petrus vivit, & durans uſque ad craſtinam diem inclusivè poſſit cras eſſe falſa. Cardinalis ratio Authorum negantium poſſibilitatem hujus tranſitus eſt, quod dicta propoſitio mentalis ſemper debet ſignificare mentaliter id quod ſemel ſignificat, eo quia eſſentiale eſt omni actui intellectus ſignificare, quod ſemel ſignificavit: cumque illud *nunc vivit* non ſignificet diem craſtinam, ſed hodiernam, ideo propoſitio illa ſi duret uſque ad diem craſtinam, cras etiam ſignificabit Petrum vivere hodie: ſed hoc eſt verum, tametſi cras moriatur Petrus; ergo cras etiam erit vera hæc propoſitio Petrus nunc vivit, tametſi cras moriatur Petrus.

51. Hic tamen diſcurſus non valet, niſi ſuppoſito, eſſe actibus intellectus eſſentiale repræſentare, ac ſignificare quod ſemel ſignificant: quod ſi ſuppoſitum hoc falſum ſit, poterit propoſitio mentalis tranſire abſolutè de vera in falſam: cumque hactenus haud improbabiliter dixerimus ſuppoſitum illud eſſe falſum, id circo haud improbabile eſt propoſitionem mentalem poſſe tranſire de vera in falſam, & vice verſa. Igitur cum voces, & verba & internæ locutiones intellectus debeant correſpondere quo ad modum tendendi, & quo ad rem ſignificatam, vocibus & verbis externis, ne contingat quod potentia locutiva dicat unum, & potentia intellectiva dicat aliud: cumque illæ voces externæ *nunc vivit* prolatæ hodie ſignificent, ex hominum uſu, ac inſtitutione diem hodiernam, ſonantes vero cras ſignificent diem craſtinam, idcirco mentalis vox intellectus ſeu verbum mentis correſpondens illis vocibus hodiernis ſignificat etiam diem hodiernam, & correſpondens illis vocibus ſonantibus cras ſignificat diem craſtinam: ergo mentalis ea propoſitio *Petrus nunc vivit* durans uſque

ad craſtinam diem; ſignificaret cras Petrum tunc, id eſt cras, vivere; ſed fieri poteſt quod cras jam non vivat, ſed moriatur ergo fieri poteſt quod hæc propoſitio hodie vera, cras ſit falſa: ergo non ſolum propoſitio vocalis, ſed etiam mentalis, & quidem propter rationem eamdem, tranſeat de vera in falſam, aut vice verſa.

52. Quartum, quod infertur eſt lux aliqua, donec res magis explicetur in Philoſophia animaſtica, circa modum, quo cognoſcimus apprehendentes, & diſcurrentes in hoc miſero ſtatu mortali. Duplicem modum cognoſcendi habemus: unum *purè imaginativum* oriundum ex phantaſia, qui ſane eſt vaſtus, materialis, incultus & quaſi terreus ſcilicet (& nonnunquam multo minor) quem habent multa bruta: elephas enim, ſimia, vulpes, & canis videntur timere, dubitare ſuſpicari tendere inſidias, & mira quædam facere, quorum nullum eſt rationis ſed phantaſiæ opus, quo phantaſia, ſive imaginatio quo vividior fuerit, eò ſagaciora facit illa bruta; hoc modo cognoſcendi fruuntur pueri ante uſum rationis, & phrenetici, & ſtolidi, & ebrii, & nos omnes inter dormiendum: ſomniamur quippe, cognoſcimus, amamus, dolemus, appetimus, reſiſtimus, volumus dormientes; ſed hæc omnia proficiſcuntur ex phantaſia ſola plerumque, & hac de cauſa non ſunt actus rationales, ſed affines actibus brutorum, quæ organis phantaſiæ melius diſpoſitis fruuntur.

53. Alterum *verè rationalem*, quamvis redolentem ſemper miſeriam incarceratæ animæ; hic naſcitur immediatè ex intellectu quando expeditus, & compos ſui eſt; & hoc fruuntur animæ ſeparatæ à corporibus: hic modus cognoſcendi purus, rationalis, atque ſpiritualis pendens quidem in nobis à corpore, & à phantaſia, ſed in ſe ipſo diſtinctus ab omni fece materiæ, eſt multiplex: interdum enim cognoſcimus quaſi attoniti neque affirmantes, neque negantes, nec adhuc dubitantes, ſed quaſi ore aperto contemplantes aliquid, & ibi hærentes; & vocatur *ſimplex apprehenſio*; interdum conferimus, combinamus, comparamus mente unum cum alio; explorandi ergo conveniant necne invicem; & hæc vocatur *comparatio ſimplex*: interdum proferimus mente ſententiam pro, vel contra eorumdem convenientiam, vel diſconvenientiam; & vocatur *judicium*: interdum hæremus ſuſpenſi, non audentes pronunciare ſententiam eò quia pro neutra parte detegimus fundamentum ſufficiens; & vocatur *dubium negativum*: interdum hæremus, quia pro utraque parte deprehendimus æqualia fundamenta; & vocatur *dubium poſitivum*: interdum denique ex uno colligimus, ſeu inferimus aliud; & vocatur

Digitized by Google

catur *diſcurſus*: quod totum explicari poteſt exemplo Fabri mechanici aſſumentis ligna, lapides, ferra &c. comparantis unum cum alio, & æſtimantis conveniant nec ne, repellentis una, conjungentis alia, & ſuper illa ædificantis.

54. Igitur quemadmodùm per potentiam locutivam compingimus noſtra reciproca colloquia ex variis diſcurſibus, & hos ex variis propoſitionibus vocalibus modò affirmativis, modò negativis; & has ex variis vocabulis jam repudiantes una ut inepta, vel minùs apta, jam eligentes alia ut magìs idonea, juxta ſignificationem, quam habent ex hominum inſtitutione: ita quando per potentiam intellectivam ratiocinamur nobiſcum ad intra, compingimus totam noſtram meditationem, & internum colloquium variis diſcurſibus, & hos ex variis judiciis, & hæc ex variis apprehenſionibus, quæ ſunt quaſi vocabula, voces, & verba intellectus, quandoque repudiantes unas cognitiones (non quidem ſignatè, ac reflexè ſemper, ſed vel ſignatè, vel exercitè) ut ineptas ad rem præſentem, quandoque indagantes alias ut idoneas, juxta proportionem, quam in ſua ſignificatione, atque modo tendendi intellectuali habent cum ſignificatione, atque modo tendendi materiali vocum: cùmque hæc vocum ſignificatio potuerit mutari, & conſequenter non ſit eſſentialis ipſis vocibus, ideò ſignificatio quoque earum vocum intellectualium, quibus noſtros intellectuales diſcurſus fabricamus, potuit etiam mutari; ergo non eſt illis eſſentialis.

55. Sic meditantes, & taciti apud nos ratiocinantes circa Myſterium Incarnationis v. g. utimur his cognitionibus ad formandum noſtros diſcurſus: *Verbi Perſonalitas*, *Natura Divina*, *Humanitas*, *Unio*; non verò his: *Apogæum*, *Perigæum*, *Iupiter*, *Satelles primus*, *Satelles ſecundus*; nempe quia illæ primæ cognitiones, ſecùs hæ ſecundæ reſpondent huic externæ propoſitioni: *Verbum caro factum eſt*; quòd ſi vocum earumdem ſignificatio fuiſſet mutata, & & hæc vox *Apogæum* ſignificaret Unionem, & hoc *Iupiter* ſignificaret Verbum, ut potuit contingere: tunc meditantes apud nos, & diſcurrentes purè intellectualiter circa Myſterium Incarnationis, uteremur his cognitionibus, Apogæum, Jupiter &c. & non illis, *Verbum*, *Unio*; quia tunc primæ eſſent pertinentes, & hæ ſecundæ impertinentes, non minùs, quàm de facto ſunt impertinentes illæ primæ: eſt itaque intimum, & eſſentiale propoſitionibus vocalibus, non minùs, quàm mentalibus conſtare eis terminis, quibus conſtant, unde vocalis hæc propoſitio, *Petrus movetur*, non eſſet ea-

dem , ſi in loco illius vocis , *Petrus* , ſufficeretur hæc alia , *ſaxum* ; eſt verò contingens, & accidentale propoſitionibus mentalibus (nempe his vulgaribus , quas ordinariè habemus, ut monui) non minùs , quàm vocalibus quòd habeant cum ſenſum, ſignificationem , ac objectum , quod modò habent ; quia hæc omnia mutarentur mutato ſenſu , ſignificatione , ac objecto propoſitionum vocalium , quibus reſpondent , quamvis non mutarentur entitates ipſæ cognitionum , ſicut nec mutarentur entitates ipſæ vocum .

56. His non obſtantibus , quæ in toto hoc capite diximus, cùm opinio contraria docens conceptus formales , id eſt, cognitiones habere per ſolam ſuammet eſſentiam ſignificare id , quod ſignificant, & non ſignificare id , quod non ſignificant , ſit longè frequentior ; hac de cauſa multoties loquemur , præſertim Diſp. III. juxta illam , ſupponentes illam veram eſſe ; & hac etiam de cauſa non diximus ſupra , rem hanc eſſe veram ; ſed non eſſe prorſùs improbabilem .

CAPUT III.

Quid ſit Propoſitio Vocalis , id eſt , Humana Locutio .

57. NOn ſuſcipimus explicandam locutionem Divinam , quæ vocatur *ad intra* , nempe quâ æternus Pater loquitur
Pſ. 109. ad Filium ; *Dixit Dominus Domino meo , ſede à dextris meis* : item :
Iſ. 29. *Dominus dixit ad me* , *Filius meus es tu* : & quâ ad Spiritum Sanctum , de quo inquit Christus Dominus : *Quæcumque audiet , lo-*
Ioan. 16. *quetur* ; ad Theologos enim ſpectat hæc explicare : nec locutionem, quâ Deus loquitur ad extra cum hominibus in ſecreta cordis ſchola :
Oſe. 2. *Ducam eam ad ſolitudinem* , *&* *loquar ad cor ejus* : nec locutionem Angelicam , quia Angeli etiam mutuò colloquuntur , ut conſtat ex
1. ad Corint. 13. Paulo : *Si linguis hominum loquar* , *&* *Angelorum* ; nec non ex Zacharia , qui audivit unum Angelum dicentem alteri : *Curre* , *lo-*
Zach. 2. *quere ad puerum iſtum* : nec demùm propoſitionem humanam , quæ non ſit locutio, eò quia proferatur ab homine abſque omni advertentia : ſolùm igitur diſputamus modò propoſitionem vocalem , quâ externè aliquid affirmamus , aut negamus verbis , aut aliis conſuetis ſignis : & quæ mereatur nomen humanæ locutionis .

58. Locutio igitur humana , eſt , ut diximus Cap. I. *Productio ſigni manifeſtativi rei ex rationali intentione directa* , *&* *abſoluta* , *ut alius judicet , ſeu credat rem illam , vel aliam* ; in primis eſt *Productio* ,

Digitized by Google

ctio, quia loqui eſt actus vitalis; non enim loquuntur ſaxa, vel cadavera præcisè ut talia; de ratione autem actus ut talis, præſertim creati eſt, quòd ſit actio, ſeu productio: & quanquam ſilentio ipſo interdùm loquamur, ideò eſt, quia voluntatem habemus illius ſilentii in illis circumſtantiis, quo ſilentio ſignificare volumus aliquid, ut ſolet evenire in contractu matrimoniali; ergo ſemper intervenit productio aliqua. Debet inſuper eſſe *ſigni manifeſtativi rei*; quia humana locutio ſufficitur in locum internarum noſtrarum cogitationum, ad manifeſtandum aliis rem aliquam; manifeſtandum inquam, vel *quoad efficaciam*, ſi res illa neſciebatur: : vel ſaltem *quoad ſufficientiam*, quatenùs locutio ex ſe apta nata eſt ad manifeſtandum rem illam; etenim ſecreta noſtri cordis neque Angeli ipſi certò penetrant niſi Deus revelet, qnia ſcriptum eſt: *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*; ergo ad hoc ut Angeli, & multò meliùs alii homines noſcant, quæ nos taciti cogitamus, opus eſt ſigno aliquo manifeſtativo illius rei. 3.Reg.c.8

59. Dicitur *ex rationali intentione*; non quia intentio illa ſit ſemper præcedens, ſed quia debet naſci ex potentia rationali; aliàs cùm bruta non raro edant ſigna manifeſtativa ſuæ mœſtitiæ, vel alacritatis, dici poſſent *loqui*: abſit, quia non operantur ex cognitione ulla rationali adhuc imperfecta, ex qua operantur homines, quando propriè, ac ſimpliciter loquuntur; ſed operantur ex actu phantaſiæ ſimili eis, quos inter dormiendum habemus plerumque: Ebrii autem, Infantes, Amentes, & ſimiles, licèt non habeant intentionem, quæ ſit actus rationis plenus, aut ſemiplenus quantùm ſufficit ad peccandum; loquuntur tamen, quia edunt ſigna ſignificativa rerum ex intentione utcumque rationali; non enim conſiſtit hoc in indiviſibili; quòd ſi hæ Perſonæ nulla prorsùs fungantur operatione rationis, non poſſunt dici loqui, ſed voces illas edere ex conſuetudine inſtar brutorum: dicitur *directa*, & *abſoluta* propter exceptionem datam Cap. I. num. 25.

60. Denique *Intentio debet eſſe ut alius judicet, ſeu credat rem illam*. Ob hanc rationem non mentiuntur Poetæ Catholici, licèt ex intentione ut alii intelligant, ſeu ſciant tales, & tales fabulas concinnent verſus ſignificantes illas; quia non loquuntur, ſed materialiter recitant fabulas; non enim habent intentionem, ut alii intelligant res illas ut veras, ſed dumtaxat habent intentionem lenocinandi auribus, & placendi ingenio; ergo caſtigatè loquendo illi pronunciant quidem, ſed non loquuntur res illas contra mentem, & conſequenter non mentiuntur.

61.

61. Hinc 1. qui conſulit ſuum Confeſſarium, & ipſi aperit hæreſim, in quam incidit, loquitur ei purè materialiter hæreſim ſuam, hoc eſt, loquitur res illas non ex intentione ut Confeſſarius judicet res illas eſſe veras; ſed eſſe verum, ſe judicare res illas veras eſſe: unde in ea conſultatione, quam rationabiliter adhibet ut inſtruatur, non committit novam hæreſim formalem externam. 2. Quando aliqui colloquuntur, & ſupervenit Excommunicatus non toleratus, quo cum loqui non licet, non tenentur ſilere, aut abire; quoniam aliud eſt loqui *coram*, aliud *cum* illo Excommunicato; illud non eſt prohibitum, ſed hoc: atqui homines illi non loquuntur *cum* Excommunicato; nam licèt proferant verba indicantia illi talem rem, poſſunt non proferre illa *ex intentione* ut ille talem rem judicet; & hoc erat neceſſarium, ut dici poſſent loqui cum illo; ergo poſſunt non loqui *cum illo*, tametſi loquantur *coram illo*, immò tametſi revelent illa, ſeu materialiter doceant illum, ut verè tunc contingeret; quoniam ſi aliunde urgeret obligatio rem illam celandi ei Excommunicato, non poſſent coram illo invicem colloqui rem illam.

62. Hinc 3. Militaria ſtratagemmata interdum ſunt mendacium, interdum non: vel enim qui fugam ſimulant, faciunt actionem illam ex intentione abſoluta, & directa de eo quod *hoſtes putent* ſe impares eſſe reſiſtendo, & verè atque ex animo fugere: vel ex intentione de eo, quod aliunde ob propriam inadvertentiam hoſtes decepti *ſe inſectentur*, & ſic incidant in rete; ſi primum eſt mendacium ob rationem datam ſupra: ſi ſecundum non mentiuntnr neque poſitivè, ac directè decipiunt hoſtes, ſed occaſionem eis exhibent, ut illi propria inadvertentia, vel furore correpti decipiantur, & ſic incidant in inſidias. Hinc 4. qui prævidens a nemine ſe obſervari, & conſequenter non habens ullam intentionem de eo, quod alius intelligat rem A, eam exprimit ſigno aliquo exſterno. v. g. verbis, ſcriptione, vel alia quacumque actione determinatè indicante rem illam, verum eſt, quod illam non loquitur *quoad efficaciam*, ſiquidem intentionem non habet, quod alius illam judicet, aut intelligat: cæterum illam quatenus eſt ex parte actionis, quam facit, manifeſtat, ac loquitur; ergo ſi res illa fuerit hæreſis aliqua, jam committit hæreſim externam licet occultam, & loquitur illam *quoad ſufficientiam*: ſed hoc ipſo quod hæreſim formalem externam loquatur quoad ſufficientiam, incidit in peccatum reſervatum; ergo incidit in illud.

63. Hinc demùm licet Deus quando a ſe, & ex ſe ut cauſa ſpecialis producit in homine ſalutarem cognitionem, verè, & propriè loqua-

loquatur ad cor hominis, quia extra ſe edit ſignum nempe illam cognitionem ex intentione, ut homo judicet talem veritatem, (quæ non eo ipſo eſt de fide abſolute, quia non conſtat ſufficienter illam cognitionem eſſe *vocem Dei*) veruntamen quando ut cauſa univerſalis producit alias cognitiones in nobis, non loquitur abſolute, & ſimpliciter per illas; quia ad rationem locutionis non ſufficit producere ſignum manifeſtatiuum rei indulgendi ergo concurſui cauſarum creatarum: ſed opus eſt, quod Deus a ſe, & ex ſe ut cauſa ſpecialis ſpecialitate manifeſtandi rem illam producat ſignum manifeſtativum illius: ſed hoc non contingit, quando Deus producit in nobis noſtras cognitiones, ut cauſa univerſalis, atque ob exigentiam cauſarum creatarum tunc concurrentium; ergo tunc non loquitur nobiſcum.

64. Quod ſi dixeris Deum cum omnibus loqui in ſcriptura, & tamen non habere intentionem de eo, quod omnes intelligant omnia, quæ ibi dicuntur, alias non dixiſſet per Jſajam *Liga teſtimonium, ſigna legem in Diſcipulis meis*: neque per Gabrielem Archangelum *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum*, quibus & aliis textibus docemur nolle Deum, quod omnes intelligant, quæcumque dicuntur in Sacris Scripturis: unde fiet quod non ſit de ratione locutionis eſſe ſignum *ex intentione*, quod res illa intelligatur, aut credatur. Reſp. diſtinguendo aſſumptum: cum omnibus loqui in Scriptura, a quibus vult intelligi mediate, aut immediate, eſt verum (& de his non procedunt textus iſti) cum omnibus, a quibus intelligi non vult, eſt falſum: quia certe non loqueretur tecum ille, qui te audiente diceret aliquid idiomate, quod ſcit eſſe tibi penitus ignotum; ergo non loquitur tecum, qui non vult intelligi a te.

Iſaia 8.

Dan. 12.

CAPUT IV.

Quid, & quotuplex ſit Terminus.

65. ARiſtoteles ſic definit illum: *Terminum voco, in quem reſolvitur propoſitio ut prædicatum, & de quo prædicatur.* Fatemur non omne, in quod reſolvitur utcumque res eſſe conſtitutiuum intrinſecum, id eſt partem eſſentialem ipſius: quoniam non inepte dicitur lignum reſolvi in cineres, nec non abire in fumum; & tamen neque cineres, neque fumus ſunt conſtitutiva ligni: rurſus non omne conſtitutivum rei eſt id, in quod reſolvitur res: quoniam omne, quod non perſeverat, quando res reſolvitur, ſeu deſtrui-

1. Prior. c. 1.

ſtruitur, non eſt id, in quod reſolvitur res: reſolvi quippe in aliquid, manifeſte dicit perſeverantiam hujus alicujus: at aliquando non perſeverat, quando res reſolvitur, ſeu deſtruitur illud, quod erat conſtitutivum ipſius: ſiquidem omnium brutorum animæ ſunt conſtitutiva eorumdē reſpectivè: & certe non perſeverant, quando bruta moriuntur, quia omnes illæ animæ ſunt corruptibiles, & ſola rationalis eſt immortalis, & incorruptibilis; ergo non omne conſtitutivum rei eſt id, in quod reſolvitur res.

66. Cœterum cum voces ſignificent ad placitum non cujuslibet; ſed Profeſſorum dumtaxat facultatis, quæ utitur illis vocibus: & Profeſſores ſcholaſticæ facultatis utantur hac voce *Terminus* (ſicut etiam his *extremum*; *extremitas*) ad ſignificandum ſubjectum, & prædicatum propoſitionum, nec non alia ſive adverbia, ſive obliqua, quæ utrilibet adjunguntur: hac de cauſa quidquid ſit de ſpeculationibus, in quibus aliqui abſorbentur hic, contra illas omnes invaluit uſus, & terminus ſtat juxta ſcholaſticam phraſim in omni illo, quod propoſitionem conſtituit ſive ut ſubjectum ſive ut prædicatum, ſive ut affectio alterutrius, ſive etiam copulæ, tametſi hæc non ſoleat vocari *terminus*.

67. Quocirca dum reflectimus ſupra hanc propoſiionem *equus hominis eſt infallibiliter Creatura Dei*, ſine ſcrupulo dicimus, ille terminus *Equus*, ille terminus *hominis*, ille terminus *infallibiliter &c.* quod ſi vox nullam adhuc habeat ſtatutam ſignificationem, ut hæ *Blitiri*, *ſcindapſus &c.* quæ fingi poſſunt, poteſt etiam eſſe terminus, non quidem formalis, ideſt acceptus pro ſuo ſignificato (quandoquidem nullum habent ſignificatum) ſed materialis, nempe acceptus pro ſe ipſo; quoniam vera eſt hæc enunciatio *Blitiri eſt vox* & falſa hæc *Blitiri eſt ſcindapſus*.

68. Jam cum enunciatio, ſive propoſitio dici ſoleat duplex, nimirum *ſubjectiva*, ideſt actus ipſe affirmans, vel negans aliquid de aliquo, & *objectiva*, ideſt res ipſæ affirmatæ, aut negatæ & rurſus cum propoſitio ſubjectiva poſſit eſſe interna, & mentalis, nempe judicium illud quo taciti apud nos judicamus *A. eſſe B.* aut *A. non eſſe B*; & poſſit eſſe *externa*, ſcilicet actus ille, quo manifeſtamus judicium noſtrum internum, & demum cum hæc enunciatio externa poſſit fieri verbis, literis, hieroglyphicis, nutibus, & multis aliis ſignis: cum inquam hæc ita ſint, jam vides terminos poſſe eſſe objectivos, vel ſubjectivos, & hos multiplices.

69. Termini objectivi ſunt res illæ, quæ affirmantur, vel negan-

gantur de alio, & vocantur *prædicatum*: item res illæ, de quibus aliquid affirmatur, vel negatur, & vocantur *ſubjectum*. Rursùs cum prædicatum, & ſimiliter ſubjectum multoties non ſit una res ſimplex, ſed compoſita ex multis: & interdum contingat, quod enuncietur de ſubjecto complexum reſultans ex illis omnibus: interdum unum dumtaxat ex illis: hac de cauſa prædicatum eſt duplex (idem dic de ſubjecto) unum dicitur importari *ut quod* ſive in recto: & eſt illud, cujus identitas cum ſubjecto affirmatur, aut negatur per propoſitionem: alterum importari *ut quo*, ſive in obliquo: & eſt illud, cujus identitas cum ſubjecto non affirmatur, aut negatur; eſt tamen conſtitutivum illius cujus rectum enunciatur identificari cum ſubjecto.

70. V.g. in hac enunciatione *Petrus eſt homo*, cujus prædicatum eſt res compoſita ex corpore, & anima, prædicatum in recto non eſt ſolum corpus, non ſola anima; ſed complexum ex utroque: unde utrumque importatur in recto, ſive ut quod, licet inadęquatè, quia Petrus non eſt corpus ſolum, non eſt anima ſola, non eſt corpus habens animam, non eſt anima unita corpori; ſed eſt quoddam totum coalitum, ſive compactum ex corpre, & anima unitis: in hac verò enunciatione *Petrus eſt albus*, & in cæteris, quæ ſunt accidentales, prædicatum ut quod & in recto eſt res illa, *quæ habet albedinem*, ſeù cui albedo eſt unita: quia identitas hujus rei cum Petro eſt, quæ affirmatur; albedo autem eſt prædicatum *ut quo*, ſive in obliquo, quia non affirmatur identitas ipſius cum Petro (alias falſa eſſet affirmatio hæc), eſt tamen conſtitutivum eſſentiale hujus concreti, ſive compoſiti *Album*, cujus rectum identificatur cum Petro.

71. Has phraſes *rectum. Venit in recto. Obliquum. Venit in obliquo, ut quod, ut quo*, bene notas habeas, quia frequentiſſimè occurrunt, & ex prava ipſarum intelligentia pravæ naſcuntur conſequentiæ. Putant aliqui rem importari *in obliquo*, *ſive ut quo* perinde eſſe, ac rem eſſe acceſſoriam, & extra eſſentiam: dicunt verum ſi rem illam conferant cum eo, quod venit in recto, ſive ut quod: nam huic multoties eſt acceſſoria res quæ venit ut quo, atque in obliquo, & patet in exemplo nupero; ſiquidem ſubjecto habenti albedinem, hæc acceſſoria eſt, atque extra eſſentiam: dicunt tamen falſum ſi rem illam conferant cum concreto ipſo ſive denominatione albi v.g. quoniam hæc intrinſecè atque eſſentialiter conſtituitur per albedinem, & hac de cauſa diximus illud venire, ut quo, ſive in obliquo, quod eſt conſtitutivum concreti, ſive denominationis, cujus

rectum enunciatur identificari cum ſubjecto.

72. Hæc intelligenda ſunt de recto, & obliquo *in ſenſu ſcholaſtico*: in ſenſu autem *purè grammatico* non ita contingit: quare dicimus quod in hac propoſitione *Petrus eſt creatura Dei*, venit Deus in obliquo ex parte prædicati, quin ullatenus ſit conſtitutivum prædicati: quia venit in obliquo purè grammatico, quatenus vox illa *Dei* non eſt nominativus, qui ſolus vocatur a Grammaticis *rectum*, ſed eſt genitivus: quod autem conſtitutiva obliqua, ſeù in obliquo verè, ac rigorosè ſint conſtitutiva, ſcies poſtea in phyſica, quando audies materiam, formam, & hujus privationem eſſe principia intrinſeca, hoc eſt conſtitutiva eſſentialia, & non mera connotata entis naturalis in fieri per mutationem: cum enim ens naturale ſic inſpectum dicat in recto ſolam mutationem, ideſt ſolam generationem formæ, fit quod illa tria ſint conſtitutiva tantùm in obliquo: & tamen non dicuntur pura connotata, ſed principia intrinſeca mutationis. Scies item in Theologia, ubi audies auxilium gratiæ, Omnipotentiam Dei, hujuſque applicativum decretum non eſſe pura connotata extrinſeca, ſed intima, & eſſentialia conſtitutiva noſtræ libertatis indifferentiæ ad bene operandum; & tamen ſunt conſtitutiva dumtaxat in obliquo: quia libertas illa dicit in recto, & ut quod ſolam noſtram voluntatem, quippe ſola hæc meretur, aut demeretur, obedit, aut reſiſtit auxilio, & ſola illa vivit per eam operationem bonam, aut malam.

§. II.

73. Sed redeamus ad inceptam diviſionem. Termini ſubjectivi propoſitionis ſunt expreſſiones, ſeù ipſius propoſitionis partes, quibus ſignificamus id, quod enunciatur, & id de quo enunciatur: unde reſultat ſecunda diviſio: hæ namque expreſſiones poſſunt eſſe vel pure *mentales* (ideſt cognitiones ipſæ, quas apud nos formamus de rebus) aut *vocales*, aut *ſcriptæ*, aut alio quovis modo materiali prolatæ, ut hæc vocabula *Homo eſt animal*: ubi adverte: quando dicimus prædicatum affirmari, aut negari de ſubjecto, loquimur de prædicato, & ſubjecto *objectivis*, ideſt de rebus ipſis; non autem de *ſubjectivis*: quoniam unas expreſſiones vocales, aut mentales non affirmamus de alteris, ſed una objecta affirmamus de alteris: quando enim dicimus *Homo eſt animal*, non dicimus hanc vocem, ſeù hanc cognitionem *Homo* eſſe hanc vocem, ſeù cognitionem *animal*; ſed hominem ipſum ut diſtinctum a verbis, & cognitionibus

nibus

nibus eſſe animal diſtinctum quoque a cognitionibus, & vocibus: voces ergo, atque cognitiones ſunt ſubjectum, & prædicatum *quo*, nam ſunt id, quo utimur ad enunciandam unam rem de alia; non autem ſunt ſubjectum, aut prædicatum *quod*.

75. Tertia diviſio. Utrique termini dicti ſolent eſſe aut *complexi*, aut *incomplexi*. Terminus complexus eſt ille, qui componitur ex duobus, v. g. *Homo juſtus placet Deo*; illud, *Homo juſtus*, eſt terminus complexus: incomplexus eſt ille, qui non componitur ex duobus in communi uſu, quidquid ſit de rigore grammatico, v. g. *Petrus*, & etiam *Reſpublica*, *Proconſul &c.* qui licèt in eo rigore ex duobus componantur; in uſu tamen philoſophico unicus terminus ſunt.

76. Quarta diviſio. Terminus incomplexus ſolet eſſe, attenta ſua ſignificatione, aut *ſimplex*, nempe quando ſignificat rem omnis compoſitionis expertem, ut hic terminus *Deus*; aut *copulativus*, nempe quando ſignificat rem compoſitam ex multis, ut hi termini, *Collegium*, *Populus*, *Exercitus*; cùmque hæc plurium copulatio poſſit eſſe purè moralis, quatenus illa plura habent eundem Principem ut *Regnum*; vel quatenus profitentur eandem Religionem, ut *Eccleſia*; vel quatenus deſcendunt ab eadem Perſona, ut *Familia*. Item cùm ea copulatio poſſit eſſe purè localis, quatenus illa plura ſint in eodem loco, ut *cœtus*; vel terminationis, quatenus ex illis pluribus terminetur ad alterum, ut *viſum*, *cognitum*, *amatum*, ubi viſio, cognitio, amor ſuapte natura tendunt in rem, quæ dicitur viſa &c. vel unionis phyſicæ accidentalis, ut album, ſiquidem albedo phyſicè unitur, ſed accidentaliter ſubjecto; vel unionis phyſicæ ſubſtantialis, ut homo, cujus anima, & corpus phyſicè ſubſtantialiter uniuntur; cùm inquam hæc ita ſint, jam vides copioſam ſegetem terminorum copulativorum.

77. Quinta. Terminus ſimplex ſolet eſſe *abſtractus*, nempe qui ſignificat formam, aut quaſi formam alicujus complexi, ut *albedo*, quæ eſt forma phyſica accidentalis; *anima*, quæ eſt forma phyſica ſubſtantialis; *rationalitas*, quæ eſt forma metaphyſica, eò quòd non diſtinguatur à ſubjecto rationali; *univerſalitas*, quæ eſt forma logica: aut poteſt eſſe *ſubſtractus*, nimirum, qui ſignificat rem illam, quæ denominatur reſpectivè per aliquam ex iſtis formis; cùmque quatuor ſpecies formarum numeraverimus, & conſequenter quatuor ſpecies ſubjectorum, jam habes, quòd terminus abſtractus poteſt eſſe quadruplex, & ſimiliter terminus ſubſtractus.

78. Sexta. Terminus Copulativus alius eſt *merè connotativus*, alius *concretus*, ſeu *concretivus*. Primus eſt, qui directè, ac primariè ſignificat unum; propter ſpecialem verò relationem illius cum alio, ſignificat etiam, ſeu innuit hoc aliud, quatenus in nobis excitat cognitionem hujus aliùs, ut *Pater*, qui terminus excitat cognitionem Filii, ut *Magiſter*, qui excitat cognitionem Diſcipuli, ut *Creatura*, qui terminus excitat cognitionem Creatoris. Terminus Concretus eſt ille, qui apertè magis ſignificat ea duo, ſed unum tanquam ſubjectum, ſive ſubſtractum, & alterum tanquam formam, ſeu abſtractum; v. g. hic terminus *Homo*, qui ſignificat corpus, & animam, illud tanquam ſubjectum, hanc tanquam formam: item *album*, ubi ſingificatur corpus tanquam res, quæ denominatur alba: & ſignificatur albedo, tanquam forma, per quam immediate corpus eſt album; & plerumque ſunt id generis nomina adjectiva, quoniam plerumque aut ſemper ſignificant ſubjectum, & formam, ut *ſanctus*, *ſapiens*, *doctus &c.* cùmque concretum ſit quadruplex, nimirum phyſicum ex forma ſubſtantiali, vel accidentali, metaphyſicum, aut logicum, juxta nuper dictam diviſionem abſtractorum, & ſubſtractorum, habebis terminum concretum eſſe quadruplicem.

79. Septima. Terminus alius eſt Singularis, alius Communis. Singularis eſt, qui unum ſolum ſignificat, ut *Deus*, & *hic Homo*; tametſi enim de ſingulis hominibus dicere poſſimus *hic Homo*, unde videtur, quòd ſit etiam terminus communis multis; ſed hoc provenit ex defectu vocum ita præciſarum, & contractarum, ut nonniſi uni aptari poſſint; loquimur autem de illo termino, quando propter adjunctas circumſtantias non poteſt ſignificare niſi unum; ubi adverte terminum ſingularem eſſe incapacem ut ipſi adjungatur immediatè ullum ex eis ſignis, *omnis*, *nullus*, *aliquis*, aut quodvis aliud multitudinẽ ſignificans; unde fit, quòd nonniſi falſa ſuppoſitione dicatur, *omnis Deus*, *nullus Deus*, *aliquis Deus*, *uterque Deus*, *neuter Deus*, *alter Deus*; poſſunt verò adjungi mediatè, id eſt, poſſunt adjungi hæc ſigna termino alii, de quo prædicetur terminus ſingularis, vel qui prædicetur de termino ſingulari; nam verè dicimus: *Omnis Perſona Divina eſt Deus*; item: *Deus eſt omnis perfectiò ſua*.

80. Terminus Communis eſt ille, qui ſignificat multa, & eſt triplex, nempe *Univocus*, *Æquivocus*, & *Analogus*. Univocus eſt qui ſignificat rem verè convenientem multis, ita ut in illis multiplicetur (& per hoc differt à termino *Deus*, qui licèt ſignificet Dei-

tatem

tatem identificatam cum tribus Perſonis, non tamen multiplicatur in illis, quia non ſunt tres Dii) ſed non aperit ipſorum multiplicitatem, v. g. hic terminus, *Homo*, qui ſignificat naturam humanam, quæ utique eſt multiplex, ſed attenta illa ſola voce non diſcernimus ſint nec ne multi homines. Terminus Æquivocus eſt, qui ſignificat *plura ut plura*; quia cùm ſit unus, ſignificat res diverſas diverſis convenientes, v. g. hic terminus, *Gallus*, qui cùm ſit unus, ſignificat res valde diverſas, nempe hominem cujuſdam regionis determinatæ, & etiam Marem Gallinaceum. Terminus analogus eſt, qui ſignificat plura *partìm ut eadem*, id eſt ut ſimilia, *partìm ut diverſa*, id eſt ut diſſimilia, v. g. hic terminus, *Canis*, qui ſignificat Canem terreſtrem, & marinum, & quandam Stellam: hæc inquam ſignificat ut ſimilia in aliquo accidente, ſed ut prorsùs diſſimilia in eſſentia: ſinguli ex his tribus terminis ſunt capaces, ſed longè meliùs terminus Univocus, ut ipſis adjungantur illa ſigna, *omnis*, *nullus*, *aliquis*.

81. Octava. Terminus Univocus alius eſt amplus, ſeu non reſtrictus; alius reſtrictus, ſeu non amplus: ille dicitur, qui comparatus cum hoc latiùs patet, licèt comparatus cum alio pateat minùs, v. g. *Animal*; nam hic terminus latiùs patet quàm homo, cùm ſint plura animalia, quàm homines; ſed minùs quàm vivens; quia pauciora ſunt animalia, quàm viventia; vivunt namque arbores etiam. Terminus Reſtrictus, ſeu non amplus eſt ille, qui comparatus cum alio minùs extenditur, v. g. hic terminus, *Homo*, eſt reſtrictus, ſeu non amplus reſpectu animalis; hinc fit, quòd ab amplo ad ſuum non amplum arguitur benè negativè: *Non eſt animal, ergo non eſt homo*; item: *Non eſt homo, ergo non eſt homo albus*; ſed malè affirmativè: *Eſt animal, ergo eſt homo*: è converſo à reſtricto, ſeu non amplo arguitur bene affirmative, ſed male negative ad amplum, ſeu non reſtrictum: *Eſt homo, ergo eſt animal*; bene: *Non eſt homo, ergo non eſt animal*; male.

82. Nona. Terminus Amplus alius eſt tranſcendens, alius non tranſcendens; hic non invenitur ubilibet, v. g. *Homo*, *Animal*, quia non quodvis, quod eſt, eſt homo, ſeu eſt animal. Tranſcendens vocatur ille terminus, qui ſignificat rem omnibus prorsùs rebus poſſibilibus convenientem, & eſt quintuplex ſignificatus barbaro illo vocabulo, *Reubau*, cujus unaquæque litera ſignificat unum terminum omnia prorsùs tranſcendentem, videlicet *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*; non eſt aſſignabile quidquam poſſibile,

bile, quod non ſit *res*, quod non ſit *verum* (id eſt, quod non ſit capax ut cognoſci poſſit per veram cognitionem enunciantem illius ſaltem poſſibilitatem, id eſt, quod ſit verum veritate condiſtincta à fictione, & idcircò vocari ſolita *veritas tranſcendentalis*) item quod non ſit *bonum* (id eſt, quod non fruatur ſua eſſentia, quidditate, ac natura, tametſi aliàs ſit malum, quia eſt contra conſcientiam, ut peccatum; aut contra vitam, ut eſt mors; aut contra honorem, ut eſt infamia &c. & hæc bonitas vocatur *purè tranſcendentalis*) item quod non ſit *aliquid*, id eſt, (quod non habeat aliquam eſſentiam) & demum quod non ſit *unum* aliqua ſpecie unitatis; & hæc eſt, quæ vocatur *unitas tranſcendentalis*.

83. Inter terminos tranſcendentes, & non tranſcendentes eſt diſcrimen, quòd illi non poſſunt infinitari: & poſſunt hi infinitari; namque terminum eſt, ut jam diximus, quòd propter ſibi præpoſitam negationem tranſeat ad ſignificandum omnes res, quas priùs non ſignificabat; ergo quoties terminus ſit talis, ut præpoſita ſibi negatione non ſignificet rem ullam, non infinitatur: & quoties fuerit talis ut præpoſita ſibi negatione ſignificet res multas, poteſt infinitari: at quoties terminus eſt tranſcendens, contingit primum, (quoniam hi termini: *Non res*; *Non ens*; *Non verum &c.* non ſignificant rem ullam; ſed ad ſummum carentias, nihila, & chimæras, quæ omnia non ſunt *res*, tametſi loquamur de illis quaſi de rebus) & quoties non eſt tranſcendens, contingit ſecundum, quia *non homo* ſignificat quidquid non eſt homo; ſunt autem multæ res, quæ non ſunt homo; & ſic de aliis: ergo terminus non tranſcendens poteſt infinitari, ſecùs terminus tranſcendens.

§. III.

84. DEcima. Termini præſertim non tranſcendentes alii ſunt *Pertinentes*, alii *Impertinentes*; hi vocantur qui inepti ſunt, ut ex uno inferatur quidquam pro, vel contra alterum, v. g. *album*, *dulce* quia ex neutro horum ſequitur alterum, aut alterius excluſio. Pertinentes dicuntur, qui apti ſunt ut ex uno arguamus ad alterum, & ſunt in duplici differentia; nam interdum ex unis arguimus contra alteros, v. g. calidum ſummè, & frigidum ſummè; ex ſumme namque calido arguimus non eſſe ſummè frigidum ob phyſicam incompoſſibilitatem harum contrariarum intenſionum; & hi vocantur termini pertinentes *repugnantiâ*, ſeu ob mutuam repugnantiam.

85.

85. Ex aliis verò arguimus poſitivè ad alios, ut homo, & animal; quoniam ex homine bene infertur animal; & hi vocantur pertinentes *ſequela*, id eſt, propter ſequelam unius ex altero; cùmque ſequela hæc poſſit eſſe mutua, ut inter hominem, & animal rationale, quandoquidem ex uno ſequitur alterum: & viciſsim: & poſſit eſſe non mutua, ut inter hominem, & animal, ſiquidem ex primo ſequitur ſecundum, & non è converſo; idcircò termini pertinentes ſequela, bini ſunt, nimirùm ſequela reciproca, vel ſequela non reciproca.

86. Denique terminus alius eſt *Cathegorematicus*, nempe qui adhuc quando eſt ſolus habet perfectam ſignificationem, ut hic terminus *homo*; & *ſyncathegorematicus*, ſcilicet qui dum ſolus eſt, non habet perfectam ſignificationem; illa tamen fruitur ſi adjungatur alii termino, v. g. *omnis: nullus; aliquis*, nec non adverbia, ut *ſapienter: neceſſariò* &c. item nomina adjectiva; hinc fit, quod multæ propoſitiones aliàs veræ evadant falſæ, aut vice verſa ratione adjuncti ſyncategorematis v. g. *homo eſt albus*, poteſt eſſe verum, *homo neceſſariò eſt albus*, neceſſariò eſt falſum.

87. Ubi accuratiſſime notanda eſt horum ſyncathegorematum *appellatio*, ideſt unio; ſive ſocietas, quam ſyncategoremata habent cum terminis propoſitionis; paſſim enim contingit, quod idem ſyncategorema cadens, ſeù appellans ſupra unum terminum faciat propoſitionem veram, appellans verò, ſeù cadens ſupra alium reddat propoſitionem falſam: cujus ratio eſt; quoties mutatur ſenſus propoſitionis, poteſt mutari veritas, aut falſitas: ſed quoties mutatur appellatio terminorum, mutatur ſenſus propoſitionis, ut patet in his *Petrus albus eſt Monachus. Petrus Monachus eſt albus*; quarum prima ſignificat Petrum eſſe album, ſecunda vero eſſe albas veſtes Monachales, quas induit, (quæ ſignificationes ſunt valde diverſæ) ergo quoties mutatur appellatio terminornm, ſeù ſyncathegorematum, poteſt mutari veritas, aut falſitas propoſitionis: & cum aliqui ob inſcitiam, vel ob præcipitantiam, vel ob aſtutiam ſoleant clam mutare dictam appellationem, & ex hac mutatione emergant ſophiſmata, hac de cauſa oportet attente invigilare, ne fiant hæ mutationes appellationum.

88. Interdum ea mutatio ambiguam relinquit propoſioionem, quia ambiguum dat ſenſum, quia ambiguum eſt, ſupra quem terminum cadat, ſeù appellet ſyncategorema v. g. *Perſona Divina omnis eſt Deus*: Tunc diſtinguenda eſt propoſitio ſic v. g. illo *omnis* appellante ſupra Perſonam Divinam, concedo, quia vere omnis Perſona Divina

eſt

eſt Deus; illo *omnis* appellante ſupra Deum, nego, quia unus ſolus eſt Deus, unde non poteſt dici omnis Deus,

89. Hinc cum termini in concluſione debeant habere eamdem ſignificationem, quam habebant in præmiſſis, conſequens eſt, quod habeant eamdem appellationem: ergo ſi hęc mutetur, diſcurſus nihil valet, & eſt tam diſparatus, quam hic *eſt album: ergo eſt dulce*, aut quam hic, *eſt album: ergo non eſt dulce*; ob hanc rationem fallit hic diſcurſus: *Illa avis eſt Mater*; *illa avis eſt tua*: *ergo illa avis eſt Mater tua*, quia illi termini *Mater*, & *tua* uniti in conſequente habent appellationem, & ſenſum diverſum ab eo, quem habebant in præmiſſis: quoniam *Mater* appellabat ſupra pullos, & in conſequente appellat ſupra te; tua appellabat ſupra dominium, & in conſequente ſupra tuam generationem: erit autem bonus idem diſcurſus, ſi in conſequente ſignificatur avim illam eſſe Matrem, *quæ eſt tua* propter dominium, non propter generationem.

CAPUT V.

Quid, & Quotuplex ſit Suppoſitio Terminorum.

90. Res accurate diſcenda; quoniam ex ignorantia, oblivione, abuſu, & confuſione ſuppoſitionum, quas habent termini ſeù vocabula, quibus utimur ad noſtros diſcurſus depromendos, multa ſophiſmata, & alia incommoda naſcuntur: ex Ariſtotele colligitur ſuppoſitionem definiri: *uſus ſeù acceptio vocis ad aliquid enunciandum*: quando utimur voce ad aliquid enunciandum de ipſa, eſt ſuppoſitio *materialis*, ut quando dicimus; *Homo eſt commune duum*: & cum grammatica tota incumbat in voces ipſas, ideo regulæ omnes illius habent ſuppoſitionem materialem; quando utimur voce ad enunciandum non de illa, ſed de ſuo objecto, ea, quæ huic competunt a parte rei, hoc eſt independenter a noſtris cognitionibus, ut cum dicimus *Homo eſt animal*, eſt ſuppoſitio *formalis*, item *directa*, item *primò intentionalis*: & cum Phyſici utantur vocibus ad explorandum realitates ipſas, & eſſentias rerum, ſolet etiam vocari ſuppoſitio *phyſica*, *& realis*.

91. Quando utimur voce ad ſignificandum, quod ſuo objecto competit dependenter à certo quodam noſtro modo cognoſcendi, qui vocatur *ſecunda intentio*, ut cum dicimus *Homo eſt ſpecies*; *Animal eſt genus*, tunc terminus Homo, & Animal dicuntur habere ſuppoſitio-

ſitionem *ſecundò intentionalem*, ſeù *reflexam*; & quia Logici toti ſunt in his ſecundis intentionibus, per quas natura aliqua conſtituitur univerſalis, genus, ſpecies &c. ideo ſolet vocari ſuppoſitio logica, ideſt Logicorum propria: quando utimur voce ad ſignificandum internas noſtras cognitiones habere talem, vel talem qualitatem, ut quando dicimus, *Homo eſt ſimplex apprehenſio, eſt actus vitalis* &c. tunc etiā eſt ſuppoſitio reflexa, non autē ſecundò intentionalis (quia ſecundò intentionalis determinatè alludit ad illas proprietates cognitionum, quas expendunt Logici, jam inſinuatas) ſed reflexa, ideſt retrograda ad ſignificandum noſtras cognitiones; & quia Philoſophi Animaſtici utuntur vocibus ad diſputandum ſuper natura, & proprietatibus noſtrarum cognitionum, idcirco ſuppoſitio hæc poteſt vocari *Animaſtica*.

92. Hinc 1. dirimitur illa lis: an ſuppoſitio ſit acceptio pro re, quam ſignificat, an pro conceptu formali, ideſt pro noſtrjs cognitionibus? Reſp. quandoque eſt pro uno, quandoque pro altero, ut conſtat ex diverſis modis, quibus multæ nuper dictæ facultates utuntur circa voces, ſeù terminos: ſemper autem voces ſupponunt ſubjectivè, atque exercitè pro conceptu formali, quatenus per ſe derivantur ex noſtris cognitionibus, & pro ipſis ſubſtituuntur, quandoquidem vocibus utimur ad manifeſtandum aliis noſtros conceptus.

93. Hinc 2. propoſitio dicitur *de ſubjecto non ſupponente* hoc eſt propoſitio ſupppoſitionis falſæ, quando enunciat prædicatum, quod non poteſt convenire niſi rei exiſtenti, & ſubjectum illius propoſitionis non exiſtit v: g. *Adamus eſt calidus*, *eſt albus*; negatur ſuppoſitum: quia quod non eſt in rebus, neque calidum, neque album eſt: item quando enunciat prædicatum, quod non poteſt convenire niſi ſubjecto poſſibili, & ſubjectum illius propoſitionis poſſibile non eſt v. g. *Alter Deus eſt res*, *eſt ens* &c. nego ſuppoſitum; item quando ſubjectum licet ſimplex videatur, eſt exercitè implicatorium in terminis, v. g. *incognoſcibile eſt incognoſcibile*, quæ videtur identica, ſicut *Petrus eſt Petrus*; & tamen falſa ſuppoſitione laborat, quia ſupponit eſſe cognoſcibile ab intellectu objectum: quod in ſe ipſo ſit incognoſcibile: idem de hac *diſtinctum adæquatè ab omni poſſibili, & impoſſibili eſt cognoſcibile*: nego ſuppoſitum, quia ſupponit objectum, quod in ſe neque ſit poſſibile, neque impoſſibile: omnes ergo ejuſdem farinæ propoſitiones negandæ ſunt, utpotè de ſubjecto non ſupponente, & ab otioſis excogitatæ irretiendi ergo incautos.

94. Contradictoriæ igitur aſſignandæ ſunt iſtis propoſitionibus

 fal-

falſæ ſuppoſitionis, proponendo negationem toti propoſitioni v. g. *non incognoſcibile eſt incognoſcibile*, ſumpto illo *non* in ſenſu negante, ſecus infinitante: item *non alter Deus naſcetur*, quæ propoſitio (& ſimiliter reſpectivè de aliis) dat hunc ſenſum disjunctivum verum: *vel non eſt poſſibile quidpiam, quod ſit alter Deus, vel illud non naſcetur*; ſi autem negatio non præponatur toti propoſitioni, ſed ponatur poſt ſubjectum, hoc reſtat indemne, quia negatio ſolum deſtruit, quod poſt ſe invenit, non quod eſt ante: ergo ſi ſubjectum ſit falſæ ſuppoſitionis, ambæ contradictoriæ erunt falſæ, ut iterum dicemus inter explicandum contradictorias: hæc nota propter multas fallacias, quæ inſurgere ſolent ex hujus doctrinæ oblivione: quod ſi propoſitio nec expreſsè enunciet, nec adhuc tacite ſupponat exiſtentiam ſubjecti, non erit de ſubjecto non ſupponente, etiam quando hoc non exiſtit v. g. *Adamus eſt cognitus*; eſt vera tametſi Adamus non exiſtat: item *homo eſt animal*; eſt vera, quia reddit ſenſum conditionatum, nempe ſi homo exiſtat, neceſſariò erit animal: quod eſt verum tametſi homo nec exiſtat, nec extiterit, nec extiturus ſit.

§. II.

95. SEcunda. Jam ſuppoſitio alia eſt *ſingularis*, videlicet quando utimur vocabulo ad unum ſolum ſignificandum v. g. *Hic homo IESUS CHRISTUS ſedet ad dextram Patris*, ubi terminus *Homo* habet ſuppoſitionem ſingularem; alia eſt *communis* juxta explicationes hujus termini datas capite antecedenti: ſuppoſitio communis alia eſt *completa*, ſcilicet quando utimur termino communi ad ſignificandum omnes ſuas ſpecies, atque individua, ideſt ſingulas individuorum ſpecies, & ſingula individua ſpecierum v. g. *omne animal eſt ſenſibile*, ubi terminus *animal* ſignificat omnia prorsùs animalia omnium prorsùs ſpecierum; alia *incompleta*, videlicet quando utimur termino communi ad ſignificandum non quidem ſingula generum, aut ſpecierum, ſed genera, aut ſpecies ſingulorum v. g. *omne animal fuit in arca Noe*, ubi terminus *animal* non ſignificat ſingula individua animalium, aliàs eſſet falſa illa propoſitio; ſed ſingulas ſpecies animalium, ideſt ſignificat ibi fuiſſe aliquod ex ſingulis ſpeciebus perfectorum animalium, quod verum eſt.

96. Tertia diviſio; ſuppoſitio alia eſt *ſimplex* alia *perſonalis*: hæc contingit quando utimur voce ad enunciandum de ſuo ſignificato id quod convenit illi a parte rei, hoc eſt independenter ab illis noſtris cogni-

cognitionibus, quæ vocantur *ſecundæ intentiones logicæ*, ut cum dicimus *Petrus eſt homo; homo eſt animal*: hæc ſuppoſitio coincidit cum illa, quam ſupra diximus *primo intentionalem*, ſeu *directam*: ſuppoſitio ſimplex accidit quando utimur voce ad enunciandum de ſuo ſignificato id quod competit dependenter ab eis noſtris cognitionibus, quæ vocantur *ſecundæ intentiones*. v.g. *Petrus eſt individuum ſubiicibile: homo eſt ſpecies: animal eſt genus*. Hæc ſuppoſitio coincidit cum ea, quam vocavimus ſecundo intentionalem: in hac autem *Petrus eſt cognitus* Petrus ſupponit perſonaliter; nam licet prædicatum non competat ei independenter ab omni cognitione, ut patet: competit tamen independenter ab eis cognitionibus, quæ ſunt ſecundæ intentiones; ſcilicet quæ objectum ſuum conſtituunt ſpeciem, genus &c.

97. Quarta diviſio: ſuppoſitio alia eſt *diſtributiva* ac *univerſalis*: alia *copulata*: alia *disjunctiva* ſeu particularis, quæ vocari etiam ſolet *determinata* quando contraponitur ſuppoſitioni confuſæ; alia denique *confuſa*: hæc quatuor explicabimus *diſp.* 2. *cap.* 4, quando notabimus argumentationes, quas præbent: interim ſcito 8. legitimas reſultare: quia unaquæque ex his quatuor præbet duas: unam quæ vocatur *aſcenſus*, & alteram, *deſcenſus*: aſcenſus eſt quando ex inferioribus legitimè numeratis progredimur ad rationem ipſis communem. *Hic homo eſt animal, & ille homo eſt animal, & in cæteris ſimili modo*: ſequitur bene: *ergo omnis homo eſt animal*. Deſcenſus è converſo eſt progreſſio ex ratione communi diſtributa ad ſingularia *omnis homo currit: ergo hic currit, & ille currit &c.*

98. Similiter in ſuppoſitione copulata: *Petrus, & Andreas, & Ioannes, & cæteri ſunt duodecim: ergo omnes Apoſtoli ſunt duodecim*: deſcenſus eſt è converſo progreſſio ex numero duodenario ad omnes ſimul: *omnes Apoſtoli ſunt* 12. *ergo Petrus, & Andreas &c. ſunt* 12. Ubi iam vides in utraque hac ſuppoſitione nullum debere prætermitti ex inferioribus *quando fit aſcenſus*, quia ex uno vel unis tantum male deduces; *omnis, vel omnes*: non tamen eſt neceſſarium numerare omnia quando fit deſcenſus ex ſuppoſitione diſtributiva: quia ex eo quod omnis homo currat infertur bene hæc propoſitio, licet ſit ſola, *hic homo currit*: oportet vero omnia numerare quando fit deſcenſus ex ſuppoſitione copulata: ex eo namque quod omnes Apoſtoli ſint 12. non infertur Petrum, & Andream ſolos eſſe 12.

99. In ſuppoſitione autem disjunctiva ſeu particulari arguitur etiam bene per aſcenſum: *hic homo currit, vel ille homo currit: ergò*

aliquis homo currit: hic non eſt neceſſarium numerare omnes homines, quia unus ſufficit ad verificandum quod aliquis currit: in deſcenſu verò oportet omnes prorſus numerare: quia ex eo quod aliquis currat non ſequitur hunc vel illum currere (poſſunt namque ambo hæc eſſe falſa, licet illud ſit verum) ſed hunc vel illum, vel illum alium, & ſic diſcurrendo per omnes nullo dempto: in ſuppoſitione etiam confuſa fit aſcenſus, *equus A. aut B. aut C. & ſimiliter de reliquis requiritur ad equitandum: ergo aliquis equus requiritur ad equitandum*: fit etiam deſcenſus *equus requiritur ad equitandum: ergo equus A. aut B. aut C. & in cæteris ſimili modo requiritur ad equitandum*: hæc ſuppoſitio poſcit quod tam in aſcenſu, quam in deſcenſu numerentur omnia ſingularia, vel addatur illud *& in cæteris ſimili modo*.

100. Quinta diviſio. Suppoſitio alia vocatur *per ſtatum*, alia *per ampliationem*: alia *per reſtrictionem*: alia *per alienationem* ſeu *diſtractionem*: alia *per diminutionem*: terminus tunc *ſtat* ſeu accipitur *per ſtatum* quando utimur illo ad ſignificandum rem ſingularem, vel communem exiſtentem in tempore ſignificato per verbum illius propoſitionis: cumque verbum hoc poſſit ſignificare determinatè tempus præteritum *fuit*: vel determinatè præſens: *eſt*: vel determinatè futurum abſolutè, *erit*: vel determinatè futurum conditionatè, *eſſet*: en quatuor ſtatus, nempe præteritum, præſens, futurum abſolute, & futurum conditio-nate: quocirca in his propoſitionibus: *Petrus peccavit*, *Petrus peccaret*: terminus ille *Petrus* ſumitur per ſtatum non quidem præſentem, ſed præteritum in prima; & futurum conditionate in ſecunda: quod ſi dixeris tunc ſolum ſumi terminum per ſtatum quando ſignificat rem exiſtere de præſenti, quando pronunciatur propoſitio; movebis litem de ſola voce.

101. Hæc ſuppoſitio per ſtatum eſt duplex; una per ſtatum determinatum, ut in nuperis exemplis contingere poteſt; altera per ſtatum diſjunctivum, ut quando terminus accipitur pro re exiſtente in uno ex quatuor dictis temporibus, & exiſtente, vel non exiſtente in alio; v. g. *Petrus fuit*; nam hoc verificari poteſt, ſive modò ſit, ſive modò non ſit; item ſive futurus, ſive non futurus ſit; ſimiliter album in hac propoſitione, *album fuit dulce*, poteſt ſignificare id, quod modò de præſenti eſt album, & olim fuit dulce; vel etiam id, quod olim fuit album, & olim etiam fuit dulce: ſtatus determinatus poteſt item eſſe duplex; unus *ſimplex*, nempe quando terminus accipitur pro re exiſtente in uno ſolo tempore ex dictis, v.g. *Antichriſtus erit*, vel *compoſitus*, ſcilicet quando accipitur pro re

exi-

exiſtente in duobus, aut tribus ex dictis temporibus, v. g. *Juſtus peccat*; nam terminus *Juſtus* accipitur pro omni exiſtente nunc, quia aliàs non peccaret, & etiam exiſtente olim, quia ſi vocatur Juſtus, non eſt qui modò quando peccat ſit juſtus, ſed quia olim juſtus fuit.

102. Terminus tunc ampliatur quando utimur illo ad ſignificandum rem non ſolùm pro quatuor dictis temporibus, ſed etiam pro omni tempore,& caſu poſſibili, v.g. *Omnis homo eſt animal*; cùm hæc propoſitio ſit æternæ veritatis, id eſt, indefectibilis veritatis, ille terminus, *homo*, non ſolùm ſignificat homines, qui fuerunt, ſunt, erunt, & eſſent, ſed omnes prorsùs, qui poſſibiles ſunt, & in quocumque poſſibili tempore, aut caſu exiſtant; terminus autem ſingularis, licèt nequeat ampliari quoad ſua inferiora, quandoquidem inferiora non habet; poteſt ampliari quoad tempus, caſus, & circumſtantias, v. g. *Deus eſſentialiter eſt ſanctus*; ille terminus, *Deus*, nequit ampliari ad ſignificandum omnes Deos, quia Dii neque ſunt, neque poſſunt eſſe, & unus ſolus eſt Deus; ampliatur verò quoad tempus, & caſus, & circumſtantias; nam ſignificat Deum in omni, & pro omni caſu, loco, & tempore poſſibili eſſe ſanctum.

103. Terminus tunc reſtringitur, quando utimur illo ad ſignificandum, non totam ſuam univerſalitatem, ſed partem dumtaxat, v. g. hæc vox, *homo*, inſtituta eſt ad ſignificandum omnes homines; adjuncta verò hac altera, *ſapiens*, non ſignificat omnes, ſed paucos homines; ubi adverte, quòd reſtrictio debet immediatè juxta communem uſum loquendi adhærere termino, quem reſtringere velis, aliàs non reſtringit eum, v. g. *omnis homo eſt ſanctus*, ille terminus, *ſanctus*, non reſtringit *homo*, quia non cadit immediatè ſupra eum, & ideò propoſitio eſt falſa, ſed reſtringit in hac, *omnis homo ſanctus placet Deo*, non obſtante illa univerſalitate, *omnis*, quia ſanctus immediatè adhærens termino *homo* reſtringit illum, & eam univerſalitatem, nempe quia voces ſignificant ad placitum, & ita placitum fuit prioribus: quomodò autem ſe habeat in ordine ad argumentationes terminus fungens ſuppoſitione ampla, ſeu non reſtricta; & terminus, qui fungitur ſuppoſitione reſtricta, ſeu non ampla, jam diximus cap. 3,

104. Terminus tunc alienatur, ſeu ſumitur per alienationem, quando extrahitur à propria ſignificatione ad impropriam, v. g. Equi marmorei ſunt in Quirinali; nam terminus *Equi* deſerit ſuam propriam ſignificationem animalis hinnibilis, & induit impropriam, ſcilicet ſignificationem lapidis quoad apparentiam Equi elaborati;

tunc

tunc demum terminus diminuitur, quando ratione adjuncti ſyncategorematis deſinit ſignificare rem plenè abſolutè, & ſignificat illam ſecundùm quid, hoc eſt, partem quandam, v. g. Æthiops eſt albus ſecundùm dentes; nam *albus* ſignificat abſolutè albedinem, ſed ratione illius adjuncti, *ſecundùm dentes*, solùm ſignificat unam partem eſſe albam; diſcrimen autem inter diminutionem, & reſtrictionem, licèt non ſit magnum, eſt tamen aliquod, quia reſtrictio plerumque eſt quoad numerum; diminutio verò plerumque eſt quoad partem ejuſdem totius.

CAPUT VI.

Quid, & quotuplex ſit Ennunciatio, ſeu Propoſitio.

105. EST Oratio, ſeu compoſitio terminorum interdum mentalis, interdum vocalis, interdum ſcripta, vel alio ſigno externo conſtans, quà unum enunciamus de alio (quod ſit aliud, ſaltem quoad voces, licèt non quoad realitatem) enunciamus inquam, vel affirmando, *homo eſt animal*, vel negando, *homo non eſt Angelus*; in omni enunciatione debes notare hæc quatuor: 1. Eſſentiam, 2. Quantitatem, 3. Qualitatem, 4. Materiam, in qua, vel de qua eſt.

106. Eſſentia ſtat in eo, quòd enunciatio ſit affirmativa, aut negativa; hoc eſt, quòd negatio ſit, aut non ſit immediatè ante præcipuam copulam propoſitionis; ſi fuerit, propoſitio eſt negativa; ſi non fuerit, eſt affirmativa quantumcumque aliis redundet negationibus, v. g. *Petrum non eſſe Equum eſt non eſſe animal hinnibile*; hæc propoſitio eſt affirmativa, quia licèt præcipua illa copula *eſt* habeat utrinque negationem, nihilominùs per neutram afficitur immediatè: ergo reſtat indemnis, & affirmata; immò quamvis immediatè ſupra præcipuam copulam cadat negatio, ſi nimirum ſupra hanc negationem cadat alia, v. g. *Petrus non non eſt animal*, eſt affirmativa; quia ſicut clavus clavum trudit, ita una negatio deſtruit alteram; unde natum eſt illud adagium: *Duæ negationes affirmant*.

107. Quantitas propoſitionis eſt extenſio, aut coarctatio ſuæ ſignificationis; unde poteſt eſſe univerſalis, aut particularis, aut ſingularis; Propoſitio habet quantitatem univerſalem quando habet ea ſigna, *omnis*, *nullus*, *ſemper*, *nunquam*, *quoties*, *ubilibet*, *nullibi*, *neceſſe*, *impoſſibile &c.* cùmque hæc ſigna poſſint cadere imme-

mediatè ſupra ſolum ſubjectum enunciationis, vel immediatè ſupra ſolum prædicatum, vel immediatè ſupra ſolam copulam, vel immediatè ſupra ſingula hæc tria; vel immediatè ſupra duo ſola, jam vides immenſam copiam quantitatum diverſarum, quas poteſt habere propoſitio, & ex quibus pendet ſua veritas, aut falſitas; habet quantitatem particularem quando habet hæc ſigna, *aliquis*, *aliquando*, *aliquoties*, *alicubi*, *poſſibile*, *contingens &c.* cùmque hæc ſigna particularia poſſint multiplicari,ſicut modò multiplicabimus univerſalia, jam habes aliam ſpeciem quantitatum particularium, quibus fungi poteſt propoſitio: habet demum quantitatem ſingularem quando habuerit ſubjectum, aut prædicatum, aut copulam cum aliquo ſigno prorsùs individuante, & quaſi demonſtrativo, ut *hic*, *iſte*, *ille*;cùmque hæc ſigna poſſint combinari ſicut combinabamus univerſalia, & particularia inter ſe reſpectivè: & rursùs cùm una poſſint combinari cum alteris, ita ut ſubjectum v. g. habeat quantitatem omninò ſingularem, copula quantitatem particularem, & prædicatum quantitatem univerſalem, v. g. unus Deus aliqua identitate eſt omnis Perfectio Divina: cùm inquam hæc ita ſint, numeroſiſſima reſultat ſpecies quantitatum, quas poteſt habere Enunciatio.

108. Qualitas propoſitionis eſt conformitas, aut difformitas cum ſuo objecto, id eſt veritas, aut falſitas; regula autem ad hæc duo cognoſcenda eſt neque ſolum objectum, neque ſolum quod enunciat propoſitio; ſed ſimul eſt copulativè quod enunciat propoſitio, & quod eſt, aut non eſt objectum; unde ad concedendum, vel negandum Propoſitionem debes bene intelligere quid dicat Propoſitio, hoc eſt quid affirmet, aut neget, & poſteà inſpicere objectum, habeat necne quod propoſitio dicit per præcipuam copulam: ſi habet, propoſitio eſt vera; ſi non habet, eſt falſa; v. g. *Hominem eſſe equum foret hominem eſſe hinnibilem*, eſt vera; nam licèt illa copula, *foret*, utrinque habeat falſitates, verumtamen illa eſt vera; unde Propoſitio illa abſolutè eſt vera.

109. Materia propoſitionis, ſunt res illæ, de quibus loquimur per illam propoſitionem: eſt duplex: una vocatur *remota*, ſeù *impoſſibilis*, videlicet quando prædicatum penitus repugnat ſubjecto v. g. *Homo eſt lapis*, aut quando prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti,& ipſi negatur; homo non eſt animal: eſt in materia *naturali*, ſive *neceſſaria*, quando prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto, ut *Homo eſt animal*, vel quando ipſi repugnat, & de ipſo negatur; Homo non eſt lapis: eſt denique in materia *contingente*, quando prædicatum

tum

tum poteſt convenire, & poteſt non convenire ſubjecto, ſive de facto conveniat, ſive non conveniat v. g. *Petrus eſt albus*, ſive ſit vera, ſive falſa, eſt in materia contingente, quia ſine ulla contradictione potuit ille eſſe albus, licet modo non ſit: & potuit non eſſe, licet modo ſit: ubi ne confundas *propoſitionem eſſe neceſſariò veram, & eſſe in materia neceſſaria*: quoniam fieri poteſt quod talis, aut talis individua propoſitio propter ſpecialem rationem ſit neceſſariò vera, & tamen quod materia ipſius ſit ex ſe contingens: omnis enim propoſitio, quæ eſt ex fide, neceſſariò ex ſua ſpecie eſt vera, quia innititur infallibili verbo Dei; & tamen multoties materia ipſarum ex ſe eſt abſolute contingens v. g.: potuit Adamus non peccaſſe: potuit Judas non vendidiſſe Chriſtum Dominum; ergo non eſt idem propoſitionem aliquam eſſe *neceſſariò veram*, & eſſe *in materia neceſſaria*; idem propter eandem rationem dicendum de propoſitione neceſſariò falſa, qualis eſſet hæc *Adamus non peccavit* in quantum hæreſis formalis, quæ non ſemper eſt in materia remota, ſeù impoſſibili.

110. Hic adverte propoſitionem indefinitam, hoc eſt, quæ nulla afficitur quantitate expreſsè æquivalere univerſali, quando eſt in materia naturali v. g. homo eſt animal, æquivalet huic, omnis homo eſt animal: item homo non eſt equus, æquivalet huic, nullus homo eſt equus: item quando propoſitio eſt in materia doctrinali, ſeù de fide; hoc tamen indiget explicatione in Theologia danda: quando autem eſt in materia contingente, æquivalet particulari; nam *Homo currit*, æquivalet huic, aliquis homo currit.

§. II.

111. PRopoſitio, ſeù enunciatio eſt multiplex; alia namque eſt *ſimplex*, nimirum in qua unum ſolum de ſolo uno affirmatur, aut negatur, *Petrus currit*; *Petrus non currit*: altera *compoſita*, illa videlicet quæ imbibit multas enunciationes *Petrus eſt homo, & homo eſt anima*, vel ſaltem illis æquivalet, *Petrus, & Ioannes ſunt homo*: rursùs utravis poſita poteſt eſſe abſoluta, quæ vocatur *de inæſſe*, illa ſcilicet in qua ſimpliciter ſine ullo additamento enunciatur de altero, *Petrus currit*, vel modalis, nempe in qua enunciatur prædicatum, & etiam modus, quo illud competit ſubjecto: *Petrus neceſſariò eſt animal*; hæc modalis poteſt eſſe de modo logico: aut de modo non logico: illa eſt, in qua inveniuntur modi ii, de quibus agit Logica, & ſunt quatuor ſoli, *neceſſe impoſſibile*: *poſſibile*: *con-*

contingens, quos exponemus diſp. 2. cap. 5. modalis modo alio eſt in qua enunciatur modus ab his quatuor diſtinctus, v. g. *Petrus currit velociter*; *anima operatur ſupernaturaliter*: illa *de in eſſe* eſt duplex: una vocatur de ſecundo adjacente, & eſt quæ non habet aliud prædicatum, niſi quod imbibitur in copula v.g. *Petrus eſt* intelligitur *ens*: altera dicitur de tertio adjacente; & eſt, quæ aliud habet prædicatum v. g. Petrus eſt albus, intelligitur *ens album*.

112. Secunda diviſio: enunciatio compoſita eſt quintuplex: copulativa, disjunctiva, cauſalis, conditionalis, rationalis: illa eſt copulativa, cujus partes uniuntur copula, *&*, vel alia ſimili v.g. *Petrus ſtudet*, *& Ioannes ludit*: in his copulativis debes advertere tria: primum quod pręcipua earumdẽ copula eſt illud *&*, quapropter, ex eo quod illud habeat, vel non habeat ante ſe negationem pendet, quod copulativa propoſitio ſit affirmativa, aut negativa: hæc eſt affirmativa *Petrus non ſtudet, & Ioannes non ludit*; hæc autem negativa *Non Petrus ſtudet, & Ioannes ludit* quia licet negatio non cadat immediatè immediatione materiali ſupra illud *&*, quandoquidem inter unum, & aliud eſt integra enunciatio; nihilominus cadit immediatè immediatione logica (& ſic intelligendum quod dicebamus num. 105.) quia quod negat directè & ſimpliciter ea negatio eſt illud *&*: ſecundum quod contradictoria his propoſitionibus aſſignanda eſt ponendo *non* in initio: quoniam ſi ponatur poſt primam partem propoſitionis, ſi ea fuerit falſa, ſequetur duas contradictorias eſſe ſimul falſas; quod eſt chimæra,

113. V. g. eſto Petrum non ſtudere: tunc eſt falſa hæc *Petrus ſtudet, & Ioannes ludit*; falſa item eſt hæc *Petrus ſtudet non, & Ioannes ludit*; reſtat ergo quod negatio præponatur toti propoſitioni, & ſic erit impoſſibile, quod ambæ ſint ſimul falſæ: tertium eſt quod hujuſmodi propoſitiones copulativæ ut ſint verę requirunt, quod ſint veræ omnes illæ partes, quibus conſtant, & inſuper quod ſimultas earundem ſit etiam vera: unde prædicta propoſitio erit falſa, ſi Petrus non ſtudeat, licet Joannes ludat: item ſi Joannes non ludat, licet Petrus ſtudeat: item licet ambo hæc contingant ſed in diverſis temporibus: quia illa copula *&* ſignificat ſimultatem in eodem tempore; ſi ergo ex hoc triplici latere poteſt ingruere falſitas in propoſitionem copulativam, ſequitur quod ex eodem triplici titulo poſſit eſſe vera ſua contradictoria: modos arguendi hinc oriundos dabimus ad finem diſp. 2.

114. Propoſitio disjunctiva eſt illa cujus partes afficiuntur copula *vel*, *aut* quavis alia ſimili: ea eſt copula præcipua harum propoſi-

G tionum

tionum: ergo quod ſint affirmativæ aut negativæ pendet ex eo quod illud *vel* præpoſita negatione afficiatur, aut non afficiatur: quam ob rem hæc eſt affirmativa *vel Petrus non ſtudet vel Ioannes non ludit*, quia licet audiantur duæ negationes hic, neutra afficit primariam illam copulam *vel*; è converſo hæc eſt negativa *non vel Petrus ſtudet, vel Ioannes ludit*; ſimiliter his propoſitionibus aſſignanda eſt contradictoria præponendo negationem toti propoſitioni juxta regulam dandam diſp.2. ubi agemus de contradictoriis.

115. Quod attinet ad veritatem propoſitionis disjunctivæ, adverte, ut ſit vera, unius ſolius ſuæ partis veritate contenta eſt; nam hoc ſolum dicit, qui dicit Petrum ſtudere, vel Joannem ludere: nempe unum ex his duobus eſſe verum, quodcumque illud fuerit (diſp.2. amplius explicabimus hoc, inter exponendum modos legitimos, & illegitimos arguendi ſumptos ex veritatibus disjunctivis) hinc fieri poteſt quod disjunctiva ſit æternæ, indefectibilis, atque neceſſariæ veritatis, tametſi unaquæque pars ipſius ſit contingenter vera; nam prorſus neceſſaria eſt hæc veritas *Petrus ſtudet, vel non ſtudet*: & tamen eſt contingens quod ſtudeat: & contingens etiam quod non ſtudeat: imò quamvis una pars ipſius disjunctivæ ſit chimærica, disjunctiva poteſt eſſe vera, quoniam ſtudente Petro verum eſt *vel exiſtit chimæra, vel ſtudet Petrus*; imò etiã licet partes, quibus conſtat, ſint invicem eſſentialiter oppoſitę, ut conſtat in illo exẽplo vel ſtudet vel non ſtudet Petrus, nec non in hoc *Deus exiſtit, vel non exiſtit*, quæ eſt neceſſariò vera, licet unum extremum ſit chimæricum, & eſſentialiter oppoſitum alteri.

116. Adverte inſuper quod interdum utimur illa particula *vel* non in hoc ſenſu disjunctivo, quem modò explicavimus; ſed in ſenſu contentivo v. g. vel petas, vel non petas, non dabo librum: tunc ſenſus eſt, rem illam, de qua fuerit ſermo, æque ſe habituram, aut æque ſe non habituram ſive contingat unum, ſive alterum: qua propter particula *vel* æquivalet tunc huic alteri *ſive*: & hac de cauſa vocamus ſenſum illum *contentivum*.

117. Propoſitio Cauſalis eſt illa, quæ enunciat unum eſſe cauſam alterius: cumque multifariam poſſit hoc contingere, id circo propoſitio cauſalis eſt multiplex; alia enim eſt cauſalis *negativè*, quatenus enunciat unum eſſe cauſam negativam alterius ſeu eſſe removens prohibens, ſeu eſſe conditionem ſine qua non eſt alterum v.g. quia lignum eſt aridum comburitur: ariditas eſt removens prohibens combuſtionem, unde ſolum eſt cauſa negativa illius; alia eſt cauſalis *in ſenſu logico*, quatenus ſignificat unum movere intellectum ad aſſentiendum

al-

alteri propter artificium, quo diſpoſitum eſt illud unum v. g. *quia præmiſſæ ſunt in Barbara ſequitur concluſio*; alia eſt cauſalis *methaphyſicè*, quatenus ſignificat unum eſſe ultimam differentiam ſpecificam, ex qua reſultat alterum tanquam proprietas v. g. *quia homo eſt rationalis, eſt admirativus*; alia eſt cauſalis *phyſicè* quatenus ſignificat unum eſſe principium phyſicum alterius v. g. *quia ignis eſt applicatus calefacit*; & cum ſint tot ſpecies cauſarum phyſicarum, quæ explicantur in Phyſica, multiplex hinc reſultat propoſitio cauſalis; alia eſt cauſalis *moraliter* quatenus ſignificat unum eſſe cauſam moralem alterius: & cum multiplex ſit cauſa moralis, multiplex hinc etiam reſultat propoſitio cauſalis.

118. Alia demum eſt cauſalis *connexivè* quatenus ſignificat unum eſſe connexum cum altero ſive ſit cauſa, ſive effectus, ſive neutrum reſpectu illius v. g. *quia ignis non comburit non eſt applicatus ſi enim eſſet applicatus combureret*, cumq; multæ ſint ſpecies connexionum, quas ſuo loco exponimus; hinc etiam multiplex reſultat propoſitio cauſalis; hæc diximus ut videas quàm æquivocum ſit illud verbum *quia* in propoſitionibus cauſalibus: atque ut inter diſputandum diſcernas unas cauſalitates ab alteris, concedaſque, quæ ſint veræ, & neges quæ ſint falſæ.

119. Una quæque ex his ſpeciebus poteſt eſſe quadruplex: poteſt namque propoſitio cauſalis eſſe affirmativa utriuſque ſui objecti: *quia præcepiſti, feci hoc*; vel negativa utriuſque: *quia non præcepiſti, non feci*; vel affirmativa illius quod apparet inſtar cauſæ, & negativa illius quod apparet inſtar effectus; *quia præcepiſti, non feci*; vel negativa illius, & affirmativa hujus *quia non præcepiſti, feci hoc*; cœterum, cum præcipua copula in omni propoſitione cauſali ſit illud *quia*, vel alia æquivalens: ideo tunc ſolum eſt abſolute, & ſimpliciter negativa propoſitio cauſalis, quando illud *quia* eſt affectum negatione ſibi præcedente, ſicut diximus de aliis; & conſequenter contradictoria debet aſſignari ex propoſitionibus præponendo negationem toti propoſitioni; quoniam ſi aliqua hujus pars reſtet affirmata, poteſt contingere quod ambæ propoſitiones ſunt falſæ v. g. *Feci hoc quia præcepiſti*. *Feci hoc non quia præcepiſti*; ambæ erunt falſæ quando non fecerim hoc.

120. Quod attinet ad veritatem tria indiſpenſabiliter poſcunt propoſitiones cauſales, quorum ſi vel unum tantum deficiat, evadent falſæ; primum quod ſit verum illud, quod aſſumitur ut cauſa; ſi ſecus, cauſalis ſupponet falſum v. g. *quia homo eſt equus, eſt animal*; ſupponet falſum, nam licet homo vere ſit animal, & hoc inferatur bene ex eo

quod ſubjectum ſit equus; attamen homo non eſt equus: ſecundo illud, quod aſſumitur ut cauſa habere re ipſa ſpeciem cauſalitatis, quæ enunciatur v.g. *quia ſol lucet mars eſt retrogradus*; eſt falſa, nam licet ſol luceat modo, & mars ſit retrogradus, illud non habet ullam proportionem cum hoc: tertiò quod verum ſit id, quod enunciatur ut cauſatum; aliàs erit falſa cauſalis, tametſi cœtera ſint vera v.g. quia præcepi facis hoc; eſt falſum quando non facis illud, licet ego verè præceperim, & licet præceptum meum eſſet cauſa proportionata, ſeu motivum ad faciendum illud: cum igitur propoſitio contradictoria neget iſta tria disjunctivè, non autem diſtributivè aut determinatè inde eſt quod contradictoria propoſitionis cauſalis eſt vera, quoties cauſalis ipſa eſt falſa.

§. III.

121. Operoſior multò eſt propoſitio conditionalis, quia circa eam maxima pars Theologiæ occupatur, unde oportet bene notam habere: propoſitio conditionalis eſt illa, quæ enunciat unum pro caſu alterius: illud enunciatum dicitur *conditionatum objectivum*: enunciatio illius *conditionatum formale*: illud pro cujus caſu enunciatur dicitur *conditio* ſeu *hypotheſis objectiva*; unde fit quod propoſitio conditionalis vocetur *hypothetica* v. g. *ſi petis dabo librum*; petitio tua eſt conditio, ſive hypotheſis objectiva: illud *ſi petis* eſt hypotheſis ſeu conditio formalis: mea traditio libri eſt conditionatum objectivum: illud *dabo* eſt conditionatum formale.

122. Propoſitio conditionalis poteſt habere quantitatem univerſalem, aut particularem, aut ſingularem, ut alibi exponemus diſp.2. cap.8. rurſus poteſt eſſe affirmativa ex parte conditionis, & ex parte conditionati: *ſi petis dabo*: & negativa ex parte utriuſque *ſi non petis non dabo*: & affirmativa ex parte conditionis; negativa autem ex parte conditionati, *ſi petis non dabo*: & demum negativa ex parte conditionis, affirmativaque ex parte conditionati: *ſi non petis dabo*: veruntamen cum præcipua copula harum propoſitionum ſit illud *ſi*, hinc pendet quod propoſitio ſit affirmativa, aut negativa abſolutè ac ſimpliciter; nempe ex eo quod illud *ſi* afficiatur nec ne per præcedentem negationem: & contradictoria aſſignanda eſt ſemper his propoſitionibus præponendo negationem toti propoſitioni juxta ſæpe dicta, & dicenda diſp.2.

123. Præterea ſi has propoſitiones inſpicias quoad modum enunciandi

eiandi, poſſunt eſſe in quadruplici differentia: alia namq; eſt conditionalis *illativa*, nempe quæ enunciat illationem conditionati objectivi ex hypotheſi,ſeu conditione objectiva,ideſt quæ enunciat hanc connecti cum illo,*ſi peccas, id videt Deus* : cumque connexio unius cum alio poſſit eſſe multiplex , ut ſuo loco dicimus, hac de cauſa conditionalis illativa multiplex eſt : alia conditionalis eſt *purè conjunctiva* , nempè quæ enunciat futurum unum pro caſu alterius præſcindendo ab eo quod hoc alterum connectatur nec ne , ſit nec ne conditio proportionata ut detur illud alterum v.g. *ſi peccas mare turbatur* : poteſt eſſe vera in ſenſu mere conjunctivo , quem etiam vocant *temporalem* , quia fieri poteſt ut in eodem inſtanti in quo peccas mare turbetur, hæc vocatur conditionalis diſparata , alia conditionalis *ſtrictè conditionalis* , nempe quæ enunciat unum pro caſu,ſeu quod idem eſt,ſub hypotheſi alterius , quod vel eſt conditio utilis , & conducens , ut ſit illud alterum v. g. ſi *Deipara interponat ſuas preces, obtinebis à Deo iſtud beneficium*; vel pro caſu aut ſub hypoteſi alterius quod eſt plena , & adæquata facultas ponendi in re-bus conditionatum objectivum v.g.*ſi homo habeat libertatem A. integram, & perfectam conſtitutam per gratiam Dei , reſiſtet tentationi A.* v. g.

124. Ubi adverte quod illa altera ſtrictè conditionalis revocanda eſt ad hanc : nam quod exiſtat una res utilis , ac conducens , ut exiſtat conditionatum , non ſufficit ad exiſtentiam hujus neque illa ſola eſt plena , & totalis facultas ponendi in rebus conditionatum : quo circa illa conditionalis *ſi Deipara interponat ſuas preces &c.* reddit hunc ſenſum *ſi Deus habeat libertatem quandam individuam conſtitutam per viſionem precum Deiparæ , ab hac ipſa individua libertate Divina obtinebis tale beneficium*: licet enim poſſit etiam contingere quod exiſtente libertate indifferentiæ ad conditionatum objectivum, hoc non exiſtat, veruntamen ea libertas eſt plena , & totalis ſufficientia ut exiſtat illud conditionatum : ergo ea libertas poteſt ponere in rebus conditionatum:ergo quando illud poſitura eſt,verè dicemus *ſi exiſtat hæc libertas , faciet hoc* , ut frequentibus exemplis ſacræ Scripturæ ſuo loco dandis conſtat .

125. Hoc niſi alte infigatur menti æquivocationes abſurdas patieris in Theologia ; ubi paſſim audies Authores, qui brevitatis cauſa ſic loquuntur , *ſi homo habeat inſpirationem A. conſentiet* : *licet habeat non conſentiet* ; cave ne intelligas pro hypotheſi objectiva ſolam inſpirationem *A.* ſed intelligere debes totam , integram ; plenam , adæquatam, ſed individuam atque ſingularem libertatem *A.* intrinſecè conſtitu-

ſtitutam per eam inſpirationem ſicut conſtituitur per multa alia, quæ modo non veniunt ad rem: illa autem brevitas in loquendo, *ſi detur auxilium A.* poteſt æquivocationibus multis anſam præbere: cave item ne intelligas conſenſum utcumque, ſed determinatè conſenſum oriundum ex illa individua, & ſingulari libertate *A.* in illo individuo, & ſingulari inſtanti: hæc modo ſufficiant. Denique propoſitio conditionalis ſolet eſſe diſparata, ſcilicet quando hypotheſis objectiva, quæ auditur in propoſitione nullam penitus habet proportionem, ſed poſitivam improportionem reſpectu conditionati; *ſi gallus cantat Romæ, Turca convertitur Conſtantinopoli*; hæc facile coincidit cum conditionali in ſenſu mere conjunctivo, & temporali, ſed hæ conditionales diſparatæ poſſunt eſſe veræ quia poſſunt reduci ad conditionales non
4. Reg. cap. 2. diſparatas, ſed ſtrictè conditionales, ut conſtat ex aliquibus ſacræ Scripturæ v.g. *ſi Eliſæus videret Eliam quando hic rapiebatur, adipiſceretur ſpiritum duplicem ipſius*; *ſi Rex Ioas baculo percuſſiſſet terram quinquies funditus deleviſſet Siriam*; ſed de hoc alibi.
4. Reg. cap. 13.

126. Quod attinet ad veritatem propoſitionis conditionalis, adverte hæc quinque 1. *conditionalem nihil ponere in eſſe* juxta verum axioma ideſt ut conditionalis ſit vera, non requiritur quod conditio ſit, fuerit, aut futura ſit: item non requiritur quod conditionatum ſit de præſenti, fuerit, aut futurum ſit: quia ſicut hæc propoſitio Petrus eſt albus, ut ſit vera non poſtulat Petrum currere; ſiquidem hoc non dicit, ſed ſolum quod Petrus ſit albus, & poteſt eſſe albus quin currat: ita hæc conditionalis v. g. *ſi eſſet A. eſſet B.* non dicit conditionem aut conditionatum eſſe modo de præſenti, non dicit fuiſſe olim, non dicit futura eſſe aliquando; ſed purè, & præcisè dicit futurum *B.* pro caſu quo exiſtat *A.* atqui fieri poteſt quod futurum eſſet *B.* pro caſu quo exiſteret *A.* tametſi neque de præſenti, neque de præterito, neque de futuro ſint *A.* aut *B.* ergo illa conditionalis poteſt eſſe vera, tametſi *A.* & *B.* nunquam fuerint, aut ſint, aut futura ſint: ſic præmonuit Deus Davidem oraculo infallibili tradendum eſſe à Ceilitis in manu Saul, ſi perſeverabat in ea Urbe, & ob hoc ipſum neque perſeveravit, neque traditus fuit.
1. Reg. cap. 23.

127. Eſt ergo purè hypotheticus, & purè ſuſpenſivus modus enunciandi, quem habet propoſitio conditionalis: & ob hoc nihil ponit in eſſe; ſed poneret ideſt *dicit quod foret*: & quamvis videatur hic modus enunciandi aridus, abſtractus, purè ſpeculativus, & inutilis; nihilo tamen minus experientia ipſa quotidiana docet quàm utilis ac neceſſarius ſit ad prudentiam, & providentiam, & certitu-

titudinem rationalium actionum: multa inopinatè, ac de repente obtingunt nobis quia non prævidimus quod alius ſponte ſua, atque liberè facturus erat ſi nos faciebamus talem, vel talem actionem: multa faceremus ſi prȩvideremus optimos effectus, qui futuri erãt *ſi illam rem faceremus*: à multis rebus tanquam à vivis carbonibus manus abſtineremus, ſi prævideremus effectus infelices, qui futuri erant ſi res illas faceremus: Denique nihil magis notum, quàm hoc: *Nolo id facere, quia ſi faciam, imminet &c. Volo id facere, quia ſi faciam, obtinebo &c.* ergo hic modus cognoſcendi purè conditionatus non eſt aridus merè ſpeculativus, & inutilis; ſed prorsùs neceſſarius ad prudentiam rationalium actionum.

128. Adverte 2. Omiſimus conſultò conditionales de hypotheſi impoſſibili, quia ſuo loco dicimus cum Ariſtotele: *Dato uno abſurdo cætera accidunt*; hoc eſt, *ex impoſſibili quodlibet ſequi*; quamobrem inutiles putamus iſtas propoſitiones in ſenſu directo, quem præſeferunt, licèt utiles ſint in ſenſu reflexo, v. g. *Præſcindendo ab eo, quòd A. ſit, aut non ſit, detegimus rationem efficacem, ut aſſeramus B.* hic ſenſus utilis eſt ad indagandum veritatem; & in hoc ſenſu intelligenda eſt famoſa illa propoſitio Florentina: *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio* (en hypotheſim chimæricam) *non diſtingueretur ab illo.*

129. Adverte 3. Ut illæ propoſitiones ſtrictè conditionales, quas meminimus num. 122. ſint veræ non ſufficit, quòd exiſtente ea libertate A. v. g. quomodolibet exiſtat conditionatum; ſed opus eſt, quòd exiſtat hoc *ab illa, & ex illa libertate*, non ratione connexionis hujus libertatis cum illo conditionato, quia aliàs non eſſet libertas indifferentiæ; ſed ratione dominii elicitivi ſupra illud: quatenus libertas illa indifferentiæ potens pro ſuo libito ponere conditionatum, & potens pro ſuo libito non ponere, pro ſuo libito ponet, quia ponet; & non eſt alia ratio ſtrictè à priori, quamvis poſſint eſſe multæ motivæ, & impulſivæ; ſicut enim de eſſentia concluſionis purè probabilis eſt, quòd non habeat rationem prorsùs evidentem, quia aliàs non eſſet concluſio obſcura; ita de ratione operationis immediatè liberæ libertate indifferentiæ eſt, quòd non habeat rationem ſtrictè à priori, hoc eſt infallibiliter connexam cum ipſo, & penitùs antecedentem, ut ſuo loco explicabimus; aliàs operatio illa non eſſet immediatè libera; igitur illa conditionalis: *Si Deus habeat libertatem individuam A. conſtitutam per viſionem precum &c.* requirit ad ſui veritatem, quòd hæc eadem individua libertas Divina concedat illud bene-

neficium: ratio à priori eſt quia hoc, & non aliud enunciant hujuſmodi propoſitiones: in hoc, & non in alio ſenſu agnoſcimus illas ut veras; quamvis brevitatis gratia non ſemper utamur inter loquendum hoc rigore.

130. Adverte 4. Ut conditionalis illativa vera ſit, ſive ut ſit vera in ſenſu illativo, non ſufficit, quòd exiſtente conditione utcumque exiſteret conditionatum; nec quòd exiſtat utcumque ab illa conditione, & ex illa, ut nuper dicebamus de purè conditionali; ſed opus eſt, quòd exiſteret conditionatum ex vi connexionis, quam habet conditio cum illo; v. g. hæc eſt conditionalis vera in ſenſu illativo, *ſi exiſtat unio phyſica duorum, exiſtent illa duo*; nempe quia hypotheſis objectiva, ideſt unio illa phyſica intime connectitur cum conditionato objectivo, ideſt cum illis duobus; hæc autem eſt falſa in ſenſu illativo *ſi Petrus habeat libertatem A. peccabit*, quia hypotheſis objectiva nempe libertas *A.* indifferentiæ non connectitur ullatenus cum peccato, ſed eſt ad utrumlibet indifferens: quare hæc propoſitio dumtaxat eſt vera in ſenſu ſtrictè conditionali: ratio autem hujus advertentiæ eſt; omnis propoſitio ut ſit vera indiget eo quod enunciat: nam *ab eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera vel falſa* juxta commune principium: ſed omnis conditionalis illativa enunciat connexionem ſuæ conditionis, ſeu hypoteſis objectivæ cum conditionato: quia in hoc differt hæc ſpecies conditionalium ab aliis: ergo omnis conditionalis illativa, ut ſit vera indiget connexione conditionis cum conditionato.

131. Adverte demum conditionalem non ſemper converti in aliam aſſumentem pro hypotheſi *contradictorium* conditionati, & pro conditionato contradictorium conditionis, hoc eſt, non ſemper eſt legitima hæc conſequentia, *ſi datur A. datur B. ergo ſi non datur B. non datur A.* exempla ſunt obvia: ſi exiſtunt duæ quantitates non ſunt penetratæ in eodem loco; ergo ſi ſunt penetratæ in eodem loco, non exiſtunt: malè, quia conſequens implicat in terminis: item *ſi exiſtat libertas A. non reſiſtet tentationi ergo ſi reſiſtit* (en *contradictorium* conditionati) *non exſiſtit*: en contradictorium conditionis, & en ſimul peſſima conſequentia: ratio autem hinc ſumitur: quoties contradictorium conditionati ſit intime connexum cum exiſtentia conditionis male arguitur ex contradictorio cõditionati ad contradictorium conditionis; ſed aliquando eſt connexum ut conſtat in his duobus exemplis: ergo aliquando ex contradictorio *conditionati* male arguitur ad cõtradictorium conditionis: ergo propoſitio conditionalis non ſemper con-

convertitur in alteram aſſumentem pro conditione contradictorium conditionati, & pro conditionato contradictorium conditionis: oblivio hujus veritatis impulit multos in falſitates, quas putant evidentes veritates.

§. IV.

132. PRopoſitio ſive enunciatio *rationalis* eſt idem ac *conſequentia*; & definitur *Oratio in qua unum ex altero conſequi enunciatur*; quod conſequitur vocatur conſequens *objectivum*: oratio quæ id enunciat vocatur conſequens *formale*: id, ex quo ſequitur, dicitur antecedens *objectivum*: oratio id enuncians diciturantecedens *formale*: connexio antecedentis cum conſequente dicitur conſequentia *objectiva*: terminus id enuncians dicitur conſequentia *formalis*. v. g. *Petrus eſt homo: ergo eſt animal*: prima oratio eſt antecedens formale: humanitas ipſa Petri eſt antecedens objectivum: intima connexio humanitatis cum animalitate eſt conſequentia objectiva: illud *ergo* ſive *igitur*, ſive aliud ſimile dicitur conſequentia formalis: denique ultima oratio vocatur conſequens formale, & animalitas vocatur conſequens objectivum.

133. Præcipua copula in his propoſitionibus eſt illud *ergo*: quo circa ut ſint negativæ, illi copulæ debet præponi negatio: atque ut aſſignetur contradictoria affirmativæ toti propoſitioni debet præponi; alias ſi antecedens fuerit falſum, ambæ contradictoriæ falſæ erunt v. g. *chimæra ambulat: ergo habet pedes*: ſi aſſignes hanc contradictoriam *chimæra ambulat: non ergo habet pedes* ambæ orationes ſunt falſæ: eſt ergo contradictoria hæc, *non chimæra ambulat: ergo habet pedes*: illa namque negatio quidquid poſt ſe invenit deſtruit, & dat hunc ſenſum diſjunctivum verum: *vel non ambulat chimæra, vel ex hac non ſequitur quod habeat pedes*: quæ disjunctio eſt vera ratione primi membri.

134. Si hujuſmodi enunciationes conſideres quoad membra, quibus conſtant, poſſunt eſſe in quadruplici differentia. I. affirmativa antecedentis, & conſequentis *eſt homo: ergo eſt animal* II. negativa utriuſque *non eſt animal: ergo non eſt homo* III. affirmativa antecedentis, & negativa conſequentis, *eſt homo: ergo non eſt equus*. IV. negativa ex parte antecedentis, & affirmativa in conſequente: *non eſt Adam: ergo Deus id ſcit*: ſi conſideres has enunciationes quoad conſequentiam, ideſt connexionem antecedentis cum conſequente, quæ

Digitized by Google

aliis terminis dicitur illatio conſequentis ex antecedente: vel ſi conſideres quoad qualitatem certitudinis, evidentiæ, & ſimilium proprietatum, quibus frui poſſunt antecedens, & conſequens formale, & ipſa formalis conſequentia, ſeu illatio, tot ſpecies invenies, quot dicemus poſtea agentes de argumentatione in genere: quoniam hujuſmodi propoſitiones ſunt ſpecies quædam argumentationis, quæ vocatur *Enthymema*.

135. Si conſideres has propoſitiones quoad valorem, debes diſtinguere inter eas ut ſunt enunciatio quædam connexionis unius cum alio, ſicut aliæ propoſitiones enunciant res alias: atque ut ſunt *conſequentia*, ſeu *illatio* unius ex alio; in hoc ſecundo ſenſu non ſolet dici conſequentia vera, aut falſa, ſed bona, aut mala, unde quando conſequens non ſequitur ex antecedenti negamus conſequentiam, tametſi antecedens, & conſequens ſint vera: v. g. *Petrus eſt animal; ergo eſt Homo*; male, itaque nego conſequentiam, quia licet verum ſit Petrum eſſe animal, & eſſe hominem, hoc tamen non ſequitur ex illo, nam etiam Equus eſt animal, & tamen non eſt homo.

136. In primo autem ſenſu, ideſt ſi loquamur de his propoſitionibus ut ſunt enunciatio quædam, tunc non dicuntur bonæ, aut malæ: ſed veræ, aut falſæ, ſicut cæteræ propoſitiones: & tunc eſt neceſſarium quod antecedens ſit verum, quod conſequens ſit etiam verum, & quod hoc ſequatur ex illo, ideſt quod illud connectatur cum hoc: quolibet autem ex his tribus deficiente propoſitio rationalis (ita vocata, quia ſua præcipua copula eſt illud, *ergo* quod eſt ſignum diſcurſus, & rationis) erit falſa: plerumque autem utimur his propoſitionibus non in quantum ſunt enunciationes, ſed in quantum ſunt conſequentiæ: & tunc ut bonæ ſint ac validæ non deſideratur quod antecedens, aut conſequens ſint vera, ſed quod conſequens ſequatur ex antecedenti, ſi antecedens verum fuerit, ſit nec ne abſolutè verum.

137. Hinc licet falſum ſit lapidem eſſe animal, & falſum ſit lapidem eſſe vivens; firma tamen valida, & bona eſt hæc conſequentia. *Lapis eſt animal, ergo eſt vivens*: adverſarius namque debet expendere antecedens quod deglutit; eo autem ſemel deglutito deglutire debet, *lapidem eſſe vivens*: quia animal intimè, & eſſentialiter eſt connexum cum vivente.

138. Hic nota principium Dialecticum; *Ex vero ſemper ſequitur verum*; *Ex falſo autem aliquando verum, aliquando falſum*: ut in caſu dicto, nam ex hoc antecedenti falſo; *lapis eſt animal*, ſequitur hoc conſequens falſum, *eſt vivens*: & etiam ſequitur hoc conſequens verum,

rum,

rum, *Lapis eſt corpus*; quoniam animal trahit ſecum eſſentialiter, & eſſe corpus,& eſſe vivens:ergo ambo inferūtur bene ex animali:unum convenit lapidi, nempe eſſe corpus, & alterum repugnat, nempe eſſe vivens: ergo ex illo falſo antecedenti: *Lapis eſt animal*, ſequitur unum verum, videlicet *Lapis eſt corpus*: & alterum falſum, videlicet, *Lapis eſt vivens*; Idem contingit in Syllogiſmis· *Omne animal eſt ſaxum*; *ſed omnis arbor eſt animal*: *ergo omnis arbor eſt ſaxum*: omnia hæc ſunt falſa, ſed conſequentia eſt infallibilis: item *Omne ſaxum eſt rationale*; *ſed omnis homo eſt ſaxum*: *ergo omnis homo eſt rationalis*: Præmiſſæ ſunt falſæ, ſed conſequens eſt verum, & conſequentia ineluctabilis: ergo ex falſo, aliquando ſequitur verum, aliquando falſum.

139. Non ita verum, quoniam ex vero nunquam ſequitur metaphyſicè falſum,ſed ſemper verum:Diſparitas reducitur ad illud methaphyſicum principium, quod ſuo loco exponimus, quoties deficit terminus connexionis metaphyſicæ deficit fundamentum; ſed non quoties exiſtit hic terminus, exiſtit fundamentum: At omne antecedens connectitur metaphyſicè cum eo, quod metaphyſicè ſequitur ex illo, ergo omne antecedens deficeret, ſeu non eſset verum,ſi deficeret illud quod methaphyſicè ſequitur ex ipſo,id eſt ſi eſſet falſum quod ſequitur ex illo: ergo ſi ex vero ſequeretur falſum, verum eſſet verum ut ponitur, & ſimul non eſſet verum, quod repugnat: Ex falſo autem poteſt ſequi verum,quia terminus connexionis metaphyſicè poteſt ſubſiſtere deficiente, ſeu non vero fundamento,ut ſubſiſtit Deus,quando deficit quęvis creatura, licet Deus ſit terminus quocum connectitur omnis creatura: ergo quamvis antecedens non ſit verum,quamvis non ſubſiſtat, ſed ſit falſum poteſt ſubſiſtere, & eſſe verum illud, cum quo methaphyſicè connectitur, & conſequenter illud, quod ex ipſo metaphyſicè infertur.

140. Diximus ſemper *Metaphyſicè*, quoniam ex vero poteſt ſequi phyſicè,ac moraliter id quod eſt falſum: v. g. *eſt Mater*: ex hoc antecedente vero, ſequitur moraliter, *ergo diligit filium ſuum*: Et tamen poteſt eſſe falſum hoc conſequens: rurſus ex hoc vero antecedente: *Ignis eſt applicatus pulveri nitrato*, ſequitur phyſicè hoc conſequens: *ergo comburit illum*: & tamen poteſt eſſe falſum hoc conſequens, eo quia Deus miraculoſe ignem cohibeat. Quod ſi dicas in antecedēte intelligi debere decretum applicativum Omnipotentię ad producendum combuſtionem: Aut conſequens non debere eſſe illud,ſed hoc diſiunctivum: *ergo ignis comburit*, *vel Deus facit miraculum*: & in utroq; ca-

ſu ſubſiſtere, quod ex vero ſequitur verum: ſi inquam alterutrum ex his duobus dixeris, neutrum venit ad rem, quia loquimur de ſequela, illatione, ſive connexione purè *phyſica*, & naturali: ambo autem iſtę quas obiicis, ſunt metaphyſicæ, quandoquidem nec divinitus poſſunt vitari: ergo neutra venit ad rem: denique ex vero poteſt ſequi falſum reflexè, id eſt poteſt ſequi falſum eſſe tale aliud: *Eſt homo, ergo falſum eſt eſſe canem*; ſed non falſum directè.

CAPÚT VII.

Quot, Quæ, & Qualia ſint Inſtrumenta ſciendi.

141. RESp. eſſe ultra jam expoſita, Definitionem: Diviſionem: Argumentationem: Converſionem: Æquipollentiam: Contradictionem: Contrarietatem: Subalternationem: Subcontrarietatemque propoſitionum; quoniam his omnibus tanquam inſtrumentis nanciſcimur veritatem ſcientificè, hoc eſt euidenter: veruntamen ſola tria priora vocātur abſolutè inſtrumenta ſciendi: & ideo de illis ſolis agemus modo, acturi de cæteris diſp. 2. Jure autem vocantur inſtrumenta ſciendi, quia Definitione panditur, ſeu aperitur eſſentia, quæ latebat, rerum: Diviſione ſobriè facta evolvuntur involucra, & unaquæque res ponitur in loco ſuo: Argumentatione demum elicimus ex terminis bene definitis, diviſis, atque collocatis res, quæ ſunt veræ, & quæ ſunt falſæ.

142. Primum ergo quod in quæſtione qualibet, in quolibet diſcurſu ſeu materia debes facere, eſt ſubitò involare in eſſentiam, ſeu naturam, ſeu quidditatem illius rei, de qua eſt ſermo: aliàs inſtar cæci parietes tentabis, & tertio quoque paſſu impinges ſi neſcias quid ſit illud, de quo eſt quæſtio: Hoc autem ſcies per definitionem rei illius: Eſt ergo definitio *Oratio explicans naturam rei*, ut animal rationale explicat naturam hominis: quamquam autem hæc eadem definitionis definitio ſit etiam una ex definitionibus, & conſequenter habeat ſe ipſam pro objecto, & conſequenter ſit definitio ſui ipſius, & ſit clarior ſe ipſa (quibus difficultatibus irretiri ſolent Tyrones) nullum latet abſurdum.

143. Poſſumus enim loqui de hac data definitione inſpecta ſic, *Definitio*, aut inſpecta ſic: *Oratio explicans naturam rei*: hoc ſecundo modo inſpecta eſt definitio ſui ipſius inſpectæ primo modo, & eſt clarior ſe ipſa inſpecta primo modo: ſed neque eſt clarior ſe ipſa, neque definitio ſui ipſius inſpectæ eodem ſecundo modo: atqui primus, &

ſe-

ſecundus modus ſunt realiter diſtincti: ergo ex iſtis difficultatibus non ſequitur quod idem, & eodem modo inſpectum ſit definitio ſui ipſius, aut clarius ſe ipſo: Quod autem prædicta definitionis definitio habeat pro objecto ſe ipſam mixtam, & confuſam cum aliis definitionibus nihil refert, nam etiam hoc judicium *Omnis cognitio eſt actus vitalis*, habet ſe ipſum pro objecto, quia loquitur de omni cognitione: & ipſum judiciũ eſt aliqua cognitio. Idẽ dicimus de hac voce: *Omnis vox eſt ſonus.*

144. Igitur definitio, alia eſt *objectiva*: alia *formalis*: Definitio objectiva ſunt prædicata ipſa, quæ realiter identificantur cum objecto definito, & per quæ illud explicamus, v. g. Animalitas ipſa, & rationalitas, per quæ explicamus hominem. Definitio formalis eſt noſtra cognitio, aut locutio, qua explicamus eſſentiam rei, v. g. hæc cognitio, ſeu hæc vox *Animal rationale*: Cum objecta, voces & cognitiones, eodem modo inſonent auribus, facilè confunderis, niſi reflexè advertas diſtinctionem. Hæc definitio formalis non eſt ſecunda illa operatio intellectus, quæ vocatur judicium, v. g. non eſt totum hoc *Homo eſt animal rationale*: nam hic includitur ut ſubjectum ipſe homo, qui eſt definitum; Definitum autem ſub illa voce, ſeu expreſſione, ſub qua eſt definitum, non debet ingredi ſuam definitionem.

145. Eſt igitur definitio apprehenſio tantum, & conſequenter ad primam operationem intellectus ſpectat, quia definitio eſt illud, quod intellectus terminorum conſcius primò *apprehendit* in objecto; cumque illud quod primo apprehendimus in objecto, quando ipſum bene penetramus, ſit genus, & differentia: hoc eſt ſit unum quo objectum eſt ſimile aliis, & alterum quo eſt prorſus diſſimile, & quod eſt prima origo cæterorum attributorum, ſive proprietatum objecti: inde eſt quod definitio debet conſtare genere, & differentia: genere inquam infimo, ut eſt animal reſpectu hominis, & differentia infima quoque, ut eſt rationale: Et hinc naſcitur, quod definitio dicatur *Oratio explicans ipſum quod quid erat eſſe rei*, nam quærenti, *Quid eſt hæc res*, reſp. per naturam, & eſſentiam illius: & ideo natura, & eſſentia vocantur *Quidditas*, hoc eſt id, per quod reſpondetur ad illud *Quid*: cumque intra eſſentiam cujuslibet rei imbibantur illa duo genus, & differentia, hac de cauſa omnis definitio quippe quæ conſtat genere, & differentia eſt oratio explicans ipſum quod quid erat eſſe rei.

146. Secunda Diviſio. Definitio alia eſt nominis, nempe quæ explicat definitionem nominis, v. g. Dux *qui alios ducit*: magnanimus *qui magnum* habet *animum*: ad hujuſmodi definitionem ſpectant omnes ethimologiæ, & nomenclaturæ: alia eſt definitio rei: nempe

quæ

quæ explicat eſſentiam objecti nihil curando de nomine v. g. animal rationale: Tertia definitio rei; alia eſt accidentalis, alia eſſentialis: accidentalis eſt illa, quæ explicat rem per effecta, aut cauſas extrinſecas: cumque cauſa extrinſeca poſſit eſſe aut *efficiens*, aut *finalis*, aut *exemplaris*, aut *materialis*: inde eſt quod definitio accidentalis poſſit eſſe per cauſam efficientem, v. g. definitio tonitrui *fragor ab exhalatione impacta in vapores*: & poſſit eſſe per cauſam exemplarem v. g. animal factum *ad imaginem Dei*, quod competit homini: & poſſit eſſe per cauſam finalem, ut *animal factum ut fruatur Deo in æternum*, quod etiam competit homini: & poſſit eſſe per cauſam materialem ut *impotens exiſtere, ac operari ſine corpore*, quod competit animabus brutorum.

147. Tertia: Definitio eſſentialis alia eſt deſcriptiva, nempè quæ explicat rem per eſſentialem proprietatem, quæ nec eſt genus, neque differentia infima, ut animal riſibile: hoc namque prædicatum eſt quidem eſſentiale homini, ſed nec eſt genus neque differentia infima: item omnipotens, ſapiens, juſtus, &c. quæ ſunt prædicata eſſentialia Deo, ſed non inſtar generis, aut differentiæ, atq; idcirco definitio Dei data per hæc attributa eſt definitio deſcriptiva: alia eſt definitio eſſentialis *ſtrictè, & propriè talis* nimirū quæ explicat immediatè esſentiam rei: cumque hæc ſoleat eſſe duplex (non quia vere duplex ſit, quia unaquæq; res una ſola fruitur eſſentia; ſed quia dupliciter conſideratur inter diſputandum) una metaphyſica altera phyſica: ideo definitio ſtrictè eſſentialis eſt duplex, una *metaphyſica*, ſcilicet illa quæ explicat genus infimū, & infimam differentiam rei ut *animal rationale*, quæ duo prædicata vocantur partes metaphyſicę hominis, quia verè nō ſunt duo neq; ſunt partes; ſed apprehendimus illa, ut duo, atque ut partes, ut poſſimus ſuper illis philoſophari: altera *phyſica*: illa nimirum quæ explicat eſſentiam rei per cauſas intrinſecas ipſius, per partes eſſentiales, per eſſentialia conſtitutiva, v. g. *complexum ex corpore, & animali rationali phyſicè unitis*: eſt definitio eſſentialis phyſica hominis nam corpus, & anima phyſicè realiter inter ſe diſtinguuntur, & ſunt partes eſſentiales hominis.

§. II.

§. II.

148. Quod attinet ad regulas, ſeu qualitates bonæ definitionis ſunt quatuor: prima quod ſit clarior ſuo definito: quia omnis explicatio debet eſſe clarior re explicata: ſed omnis definitio eſt explicatio: ergo omnis definitio debet eſſe clarior definito: ob hanc rationem ſolet exprobrari, *definis idem per idem*, hoc eſt ponis definitum in definitione, quod vitium eſt contra hanc regulam: tametſi non ſit vitium quod definitum ponatur tanquam ſubjectum, de quo prædicatur definitio, ſed quod ponatur tanquam pars ipſius definitionis: hæc regula intelligenda eſt non de definito, & definitione *objectivis*, ſed de formalibus: quia quod eſt clarum vel obſcurum non ſunt objecta in ſe ipſis; ſed cognitiones, aut vocabula, quibus utimur ad exprimendum illa: non eſt res ulla, quæ non poſſit exprimi obſcuriſſimis terminis nec res ulla, quæ non poſſit exprimi clariſſimis: hoc nota, ne decipiaris frequentibus locutionibus appingentibus rebus ipſis modò claritatem modo obſcuritatem, quæ caſtigatè loquendo ſolis cognitionibus inhærent, aut verbis.

149. Secunda, quod definitum, & definitio ſint termini convertibiles, ideſt ex uno ſequatur alter, & è converſo *eſt homo: ergo animal rationale*: eſt animal rationale; *ergo homo*: hic adverte duo: unum eſt quod hæc regula procedit de definito, & definitione objectivis, ut in nupero exemplo; non de formalibus, quatenus hæc cognitio *homo* v. g. ſit hæc cognitio *animal rationale*, quæ eſt definitio formalis, aut viceverſa (patet enim hoc eſſe falſum) ſed quatenus ex eo quod una cognitio ſit vera, inferatur alteram quoque eſſe veram, & viceverſa.

150. Alterum eſt quod hæc regula procedit de definito *adæquatè definito*: hinc licet animal rationale ſit adæquata definitio Petri inſpecti ſecundum rationem communem hominis; non tamen inſpecti ſecundum totam ſuam realem eſſentiam, quia de eſſentia illius abſolutè, & ſimpliciter non ſolum eſt eſſe hominem, ſed eſſe talem ſingularem, atque individuum hominem: quia vero definitiones non ſolent eſſe de ſingularibus, ſed de univerſalibus, ideo paſſim dicimus totam eſſentiam Petri eſſe *animal rationale*, & differentiam individualem eſſe extra eſſentiam; ſed intelligendum hoc de eſſentia *ſpecificè tantum ſumpta*: igitur licet valeat *eſt Petrus: ergo animal rationale*; non valet è converſo *eſt animal rationale: ergo eſt Petrus*.

151. Tertia, quidquid prædicatur, aut negatur de definito debet

bet prædicari etiam, aut negari de definitione, & viciſſim: hæc regula intelligenda eſt de definito, & definitione objectivis; non verò de formalibus, quia, ut jam diximus, definitum, & definito formalis ſunt cognitiones, aut verba invicem realiter diſtincta, ergo non eſt neceſſarium quod quidquid convenit uni conveniat alteri. Quarta: definitio debet convenire omni, & ſoli definito: quia ut diximus debet converti cum illo: ſi autem non conveniret omni, ex definito non ſequeretur definitio: ſi non conveniret ſoli, ex definitione non ſequeretur definitum: ergo debet convenire omni, & ſoli ſuo definito: & hæc eſt ſpecies definitionis, qua plerumque ſumus contenti in rebus paſſim occurrentibus, & quæ non ſunt ita notæ ſicut homo: ſi invenimus definitionem omni, & ſoli ei definito convenientem, quieſcere ſolemus in rebus præſertim ſupernaturalibus.

152. Denique vitium fugiendum in definitione eſt notiſſimum illud, *abundare in ſuperfluis, & deficere in neceſſariis*: ideſt omittere differentiam ſpecificam, aut quaſi ſpecificam rei, de qua eſt ſermo, quæ differentia eſt ultimum conſtitutivum rei, & primum diſtinctivum ipſius: & ex alia parte farcire definitionem terminis aliis.

153. Secundum inſtrumentum ſciendi eſt *Diviſio* utiliſſima, & neceſſaria ad aperiendum involutas res, & veritates. Definitur ſic: *Oratio totum in ſuas partes diſtribuens*; eſt triplex, *Logica*, *Phyſica*, *& Metaphyſica*, quas diſp. 2. cap. 2. exponemus. Diviſio logica alia eſt ſubſtantiæ per ſubſtantias, nempe quando id, quod dividitur, (quodque vocari ſolet *Diviſum*) & ea, inter quæ dividitur (quæ vocari ſolent membra dividentia) omnia ſunt ſubſtantia, ut animal *aliud rationale*, *aliud irrationale*. 2. Accidentis per accidentia, *album aliud dulce*, *aliud amarum*, ubi diviſum, & membra dividentia includunt aliquid accidentale. 3. Subjecti per accidentia, ut *homo alius albus*, *alius niger*. 4. Accidentis per ſubjecta, ut *album aliud homo*, *aliud equus*.

154. Diviſio phyſica alia eſt in partes eſſentiales, ut *hominis una pars corpus*, *altera anima*. Alia in partes integrantes, id eſt in partes, quæ componunt rem, ſed non ſunt de ipſius eſſentia, & hæc eſt duplex; una in partes integrantes primarias, nempe ſine quibus non poteſt naturaliter exiſtere illa res, ut *hominis una pars cerebrum*, *altera cor*. Altera in partes integrantes ſecundarias, ut *hominis una pars eſt manus*, *altera eſt pes*: quando autem, & quomodò arguatur bene inter diviſum, & membra dividentia dicemus loco citato.

155. Leges bonæ diviſiones ſunt. 1. Quod unum membrum divi-

Digitized by Google

dividens præciſè ut dividens non imbibatur in altero; quia ſi imbibitur, non dividitur ab illo; & licèt in hac diviſione, *ſubſtantia alia eſt completa, alia eſt incompleta*; hæc ſecunda imbibatur in illa ut pars illius; verumtamen diſtinguitur realiter ab illa, ſicut anima ab homine; & hæc ſpecies non incluſionis in altera ſufficit ut ſit bona diviſio hæc. 2. Lex, quòd diviſum inveniatur in membris dividentibus ut inveniatur in hac, *homo alius Petrus, alius Ioannes*; ſed hæc lex solùm viget in diviſione totius logici; 3. Quòd omnia membra dividentia ſimul ſumpta, non autem unum ſingillatim adæquent diviſum; quia membra dividentia ſunt partes diviſi: partes autem collectivè ſumptæ, ſed non diſtributivè debent eſſe æquales toti. Denique adverte: quando inter arguendum dividit, ſeu diſtinguit importunè alter propoſitiones, ut pulvere, ac fumo excitato non videatur veritas, quatuor tibi aperit vias, per quarum aliquam potes eum invadere 1. Refutando terminum, quem ille concedit. 2. Inferendo tuam concluſionem ex illo eodem, quod concedit. 3. Probando terminum, quem negat. 4. Inſiſtendo veritati tuæ concluſionis non obſtante falſitate illius quod negat.

§. III.

156. ARgumentatio, quæ eſt ſcopus cæterorum inſtrumentorum ſciendi eſt *Oratio*, *in qua ex argumento explicato altera pars contradictionis concluditur*. In omni argumentatione, ſive diſcurſu poſſumus hæc quinque inſpicere. 1. Qualitatem, & conditionem propoſitionum ibi intervenientium. 2. Illationem ex illis. 3. Medium, ſeu argumentum, ſeu quod idem eſt, ratio ibi aſſumpta ad probandum. 4. Artificium, ſeu diſpoſitio, quâ inſtruitur ea ratio. 5. Fontes, ſeu origines argumentationum.

157. Quoad qualitatem illarum propoſitionum poſſunt eſſe 1. *Evidentes*, (ſi nimirùm clarè omninò proponant ſuum objectum, & clarè etiam connexionem illius cum objecto conſequentis formalis) & evidentia poteſt eſſe *metaphyſica*, aut *phyſica*, aut *purè moralis*. 2. Poſſunt eſſe obſcuræ, ſi non multa claritate exprimant ſuum objectum, aut connexionem hujus cum conſequente. 3. Poſſunt eſſe purè probabiles, ſi ratione tantùm prudente, ſed non innegabili fulciantur. 4. Poſſunt eſſe certæ, quòd continget quando propoſitiones ipſæ, licèt arduæ, obſcuræ, ac difficiles, connexionem tamen habeant cum veritate conſequentis, ut experimur in actibus

Fidei, qui quanquam ſint obſcuri, & conſequenter non ſint evidentes; nihilo tamen minùs ſunt certiſſimi, quia infallibiliter connectuntur cum ſuis objectis ex ſuppoſitione, quòd illa ſignificent, quæ revelata ſunt per Deum. 5. Poſſunt eſſe incertæ, nimirùm quando non habent connexionem cum veritate conſequentis. 6. Poſſunt eſſe fallaces, nempe quando veritas ipſarum, & connexio cum conſequente apparent eſſe evidentes; ſed ſunt falſæ. 7. Poſſunt eſſe affirmativæ, aut negativæ. 8. Poſſunt eſſe naturales, aut ſupernaturales.

158. Si in argumentatione conſideres illationem conſequentis ex antecedenti, illa poteſt eſſe logica, aut metaphyſica, aut phyſica, aut moralis; quia his omnibus modis poteſt eſſe connexio unius cum altero: item illatio poteſt eſſe evidens, obſcura, certa, incerta, probabilis, aut fallax, ut nuper dicebamus.

159. Si 3. conſideres rationem, ſeu medium terminum aſſumptum, poteſt argumentatio eſſe triplex, nempe *à priori*; *à poſteriori*; *à comitanti*; argumentatio à priori eſt quando medium præter connexionem eſt aliquatenùs priùs objecto conſequentis; non quia abſolutè, ac ſimpliciter exiſtat in rebus ante illud (ut minùs bene interpretatus fuit Godoy Arriagam) ſed quia tale medium ſaltem ratione noſtra ſit cauſa, & radix cæterorum, ut conceptis verbis loquitur Arriaga; unde hæc argumentatio eſt à priori, *homo eſt rationalis, ergo eſt admirativus*.

M. Godoy diſp. 3. de Deo n. 49 P. Arriaga diſ. 2. de Deo ſect. 2. §. Fateor.

160. Argumentatio à poſteriori fit quando ratio aſſumpta eſt poſterior ſaltem ratione noſtra reſpectu objecti conſequentis, & inſuper eſt connexa cum illo, v. g. *ignis comburit, ergo habet virtutem combuſtivam*; combuſtio, quæ eſt medium, ſeu ratio aſſumpta, eſt effectus virtutis combuſtivæ, & hoc eſt eſſe poſteriorem reſpectu ipſius. Argumentatio à comitante fit quando medium neque eſt cauſa, neque effectus conſequentis; intimè tamen cum illo connectitur, ut contingit in multis attributis Divinis. Rursùs argumentatio à priori poteſt eſſe quadruplex. 1. A priori *moraliter*, ſcilicet quando medium eſt principium morale rei, quam probare intendis, v. g. *Pater ſuus jubet Petrum aſſiſtere Sacro; ergo ille cùm ſit ingenuæ indolis, aſſiſtet Sacro*. 2. A priori *phyſico*, nempe quando medium eſt cauſa phyſica conſequentis, v. g. *Ignis applicabitur huic ſulphuri, ergo hoc ardebit*. 3. A priori *logico*, ut quando medium eſt logicè prius, ſeu univerſale, ſub quo continetur concluſio, v. g. *Omnis mortalis degit ſub Luna; ſed Henoc, & Elias ſunt mortales; ergo degunt*

ſub

ſub Luna. 4. A priori *metaphyſico*, ut quando medium, ſeu ratio ſumitur ex definitione metaphyſica rei.

161. Licèt enim definitum, & definitio utpote convertibilia, videantur ſe habere comitanter; verumtamen cùm definitio ſit illud, quod primariò apprehendimus in re definita, ſitque prima radix, & origo omnium proprietatum ipſius, non impropriè vocatur definitio *prior definito*; unde argumentum à definitione eſt argumentum à priori: v. g. Omne rationale eſt capax liberi arbitrii, ſed omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt capax liberi arbitrii. Hæc ſpecies argumentationis à priori eſt quadruplex, 1. A prædicato generico, v.g. *Omne animal eſt ſenſibile; ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſibilis.* 2. A proprietatibus prædicati generici, v.g. *Nihil quod movetur progreſſivè eſt ubique; ſed omnis homo utpotè animal movetur progreſſivè; ergo nullus homo eſt ubique.* 3. A prædicato ſpecifico infimo, v. g. à prædicato rationalis. 4. A proprietatibus hujus, v.g. à riſibilitate.

162. Si 4. conſideres in argumentatione diſpoſitionem, ſeu artificium, quo armantur propoſitiones, eſt quadruplex, videlicet *Enthymema*, *Dilemma*, *Inductio*, *Syllogiſmus*, præter illos ſex modos, quos dabimus diſp. 2. cap. 1. Enthymema eſt argumentatio, in qua ex una propoſitione infertur altera: *Eſt homo, ergo eſt animal*; prima vocatur *antecedens*; ſecunda *conſequens*; & quando eſt æquivocum, ne dicas, diſtinguo conſequentiam, (hæc enim nunquam eſt æquivoca, ſed ſemper bona, aut mala; & vox *ergo* nunquam eſt æquivoca) ſed diſtinguo conſequens; quia conſequens ipſum formale conſtare ſolet terminis æquivocis: hoc genus arguendi nunquam concludit ex vi formæ, aliàs in quacumque materia, ſive vera, ſive falſa concluderet, ut ſyllogiſmus formalis; concludere tamen ſolet ex vi materiæ, eò quòd antecedens objectivum ſit intimè connexum cum objectivo conſequente; & tunc licèt argumentatio hæc non ſit formalis, non poteſt negari conſequentia conceſſo antecedente.

163. Quia conceſſo fundamento connexionis non poteſt negari terminus, niſi quando connexio eſt purè moralis, aut purè phyſica, quam aliæ cauſæ naturales fortiores, vel ſaltem Deus infringere poteſt. Contingit interdum, quòd conſequens ſit verum, ſed conſequentia mala; v. g. *Exiſtit Deus; ergo Sol lucet*; tunc ſine præjudicio veritatis conſequentis negatur conſequentia, ſed nunquam poteſt negari conſequens ut falſum (tametſi aliàs falſum ſit) ab eo qui

concedit antecedens, & fatetur bonam eſſe conſequentiam, quia ex vero reali, aut exiſtimato non poteſt ſequi metaphyſicè, niſi verum reale, aut exiſtimatum.

164. Dilemma, quod etiam vocatur argumentum bicorne, ſolet eſſe efficaciſſimum, & fit aſſumendo duo extrema, vel contradictoria, vel ſaltem contraria ex numero illorum, quæ non habent medium, & ex unoquoque concludendo aliquid contra adverſarium, v. g. Vel vidiſti Regem, vel non vidiſti; (ecce duo brachia ſtringentia adverſarium, à quibus non poteſt ſe ſe explicare, quia non poteſt negare ſimul duo contradictoria) ſi vidiſti; ergo falſum dicis, quando dicis te non vidiſſe Regem: ſi non vidiſti; ergo falſum dicis, quando dicis talia, & talia, quæ non poſſunt contingere quin Regem videris.

165. Ut hæc argumentatio ſit efficax, requiritur 1. Quòd extrema, quæ aſſumis, non habeant medium, hoc eſt, non poſſint ſimul deficere, ſaltem juxta ſententiam tui adverſarii; aliàs impune ille negabit dilemma, inquiens ambo eſſe falſa. 2. Quòd ex uno extremo bene ſequatur quod infers; aliàs ille conceſſo dilemmate negabit conſequentiam primam. 3. Quòd ex altero extremo ſequatur etiam illud quod infers; aliàs conceſſo dilemmate, & primo membro, negabit ille ſecundum; eſt ergo complexa hæc argumentatio reſultans ex illa disjunctiva, in qua ſtat dilemma, & ex duplici enthymemate; unde irrita erit, ſi aliquod ex his tribus deficiat; ubi adverte, quòd licet duo tantùm extrema poſuerimus, poſſunt poni tria, quatuor &c. ſed oportet nullum prætermittere, quia aliàs per hiatum illum elabetur adverſarius; v. g. Hoc elementum vel eſt terra, vel eſt aqua; ſi terra &c. nihil valet, quia dicet adverſarius eſſe ignem, aut aerem.

166. Inductio coincidit cum aſſenſu ſupra explicato, & eſt argumentatio à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad univerſalia; v.g. *Terra eſt corpus*; *Aqua eſt corpus*; *Aer eſt corpus*; *Ignis eſt corpus*: *ergo omne elementum eſt corpus*: ut hæc argumentatio valeat, neceſſe eſt numerare omnia ſingularia, aut expreſsè, aut ſaltem illis terminis, *& in cæteris ſimili modo*, v. g. *Petrus ſuſcepit Spiritum Sanctum*, *Andreas ſuſcepit*, *& ſimiliter de reliquis*; *ergo omnes Apoſtoli ſuſceperunt Spiritum Sanctum*. Cùm enim falſitati propoſitionis univerſalis ſufficiat falſitas unius ſingularis contenti in illa univerſali, ſi tu omittas hoc ſingulare, concedet adverſarius cætera omnia, & negabit concluſionem univerſalem.

167.

167. Syllogiſmus eſt argumentatio, *in qua quibusdam poſitis alterum quid à poſitis neceſſariò ſequitur eo quod hæc ſint* malus enim ſyllogiſmus eſt ſiyllogiſmusſicut homo pictus: itaq; in omni ſyllogiſmo debent eſſe tres propoſitiones: ultima vocatur *concluſio*: duæ priores dicuntur *præmiſſæ*: & prima dicitur *major*, ſecunda autem *minor*: præterea in omni ſyllogiſmo debent eſſe tres termini: unus qui vocatur *medium*, & eſt ille qui ponitur in majore, atque minore, ſed non in concluſione: alii duo dicuntur *extremitates*: & una dicitur *extremitas major*, nimirum ea, cujus identitas, vel diſtinctio cum medio ſolet enunciari in majore; altera *extremitas minor*, cujus identitas, aut diſtinctio cum medio eodem ſolet enunciari in minore: & denique hæ eædem extremitates debent poni in concluſione v. g. omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal: ergo homo eſt vivens: eſt ſyllogiſmus perfectus: prima propoſitio eſt major: ſecunda minor, & ambæ dicuntur præmiſſæ: tertia dicitur concluſio, quæ neceſſariò ſequitur ex illis duabus: & cum ab illis ſit diſtincta, ſubſiſtit quod *quibusdam poſitis*, hoc eſt conceſſis illis duabus *præmiſſis alterum quid à poſitis*, hoc eſt illa tertia propoſitio, *neceſſariò ſequatur eo quod hæc ſint*, hoc eſt propter vim, & connexionem veritatis præmiſſarum cum veritate concluſionis: ille terminus *animal* eſt medium, nam vide illum in majore, & minore, ſed non in concluſione: illi autem *vivens*, *&* *homo* ſunt extremitates: vivens extremitas major, quia eſt in majore: homo extremitas minor quia eſt in minore: ambo autem coeunt in concluſione illa omnis homo eſt vivens.

168. Similiter in ſyllogiſmis negativis: nullum animal eſt lapis: omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis: *animal* eſt medius terminus ſonans in majore, & minore: *lapis* eſt extremitas major ſonans in majore: *homo* eſt extremitas minor ſonans in minore: & homo ac lapis concurrunt in concluſione, quæ negat unum de altero quin audiatur ibi terminus *animal*: porro vis, energia, robur, atque efficacia hujus argumentationis ſtat in eo quod præmiſſæ formales proponant intellectui rem ineluctabiliter, irreſiſtibiliter, infallibiliter, ideſt metaphyſicè connexam cum veritate concluſionis formalis: unde fit quod intellectus non rudis, ſed terminorum conſcius conceſſis ſemel præmiſſis debeat concedere concluſionem, vel ſaltem non negare illam (de quo eſt quæſtio inter authores infra reſolvenda) cum enim nequeamus colloqui aut diſputare cum aliis de re ulla, niſi utentes cognitionibus, & verbis, ut extorqueamus ab alio tale, aut tale eſſe à parte rei, compellimus ipſum ut concedat eſſe veram illam propoſitionem,

quæ

quæ vocatur concluſio formalis: ea autem jam conceſſa jam habemus rem eſſe, aut rem non eſſe independenter à noſtris cognitionibus tanquam à conſtitutivis objectivæ realitatis, licet non independenter à noſtris cognitionibus, & verbis tanquam neceſſariis, ut loquamur, & diſputemus.

169. Syllogiſmus eſt multiplex: alius de medio ſingulari nempè quando medium multiplicari non poteſt v. g. *Deus eſt pius; hæc Perſona divina eſt Deus: ergo hæc Perſona divina eſt pia*: medium eſt ille terminus *Deus*:& iam vides Deum neq;eſſe neque poſſe eſſe multiplicem: alius eſt *de medio communi* quales ſunt quos nuper dabamus: ambo poſſunt eſſe in quadruplici differentia: uni quippè ſyllogiſmi ſunt *copulativi*: alii *disjunctivi*: alii *conditionales* (quos fusè exponemus ad finem diſ. 2.)alii *Ariſtotelici*, ideſt fabricati juxta regulas hujus Philoſophi, quales ſunt illi duo affirmativus, & negativus, quos nuper dabamus: denique ſyllogiſmi poſſunt eſſe *demonſtrativi* nempè quando præmiſſæ, ac ipſarum metaphyſica connexio cum concluſione ſunt metaphyſicè evidentes, & poſſunt eſſe *probabiles*, nempè quando ambæ prẹmiſſæ, vel una, vel illarum connexio cum concluſione eſt prudenter credibilis, ſed non eſt evidens, & poſſunt eſſe fallaces, ac ſophiſticę, nempe quando ambę præmiſſæ, vel una, vel connexio dicta apparent certiſſimæ, vel ſunt falſæ, aut æquivocæ.

170. Hi ſyllogiſmi Ariſtotelici tripliciter poſſunt fabricari juxta trinam figuram, quam dedit hic Philoſophus: exquorum combinatione ſexdecim reſultant modi arguendi efficaciter, uni perfecti, atque directi: alteri indirecti atque imperfecti, ſed legitimi: hæc omnia aperiemus eadem diſp. 2.

§. IV.

171. GRavis occurrit hic difficultas, in cujus reſolutione non conveniunt Authores: & eſt, *an præmiſſæ neceſſitent ad aſſenſum concluſionis*: ſiquidem Ariſtoteles in definitione ſyllogiſmi nuper data poſuit *alterum quid à poſitis neceſſariò ſequitur*: ut autem ſtatum,& quidditatē quæſtionis capias adverte ſex pro difficultatibus ſolvendis: 1. non eſt quæſtio de præmiſſis obſcuris, incertis, aut merè probabilibus:quia hæ per ſe precisè non rapiunt intellectum ad aſſenſum concluſionis, ſed tantum movent aliquando magis, aliquando minus rationaliter: & non eſt idem *movere*, ac *neceſſitare*: in hujuſmodi igitur præmiſſis, ut intellectus aſſentiatur concluſioni

opus

Digitized by Google

opus eſt imperio voluntatis, ideſt ut aſſentiamur neceſſe eſt *quod velimus* aſſentiri: conſtat ex principiis fidei, quæ licet ſint penitus certa, & infallibilia, verumtamen quia ſunt obſcura non corripiunt neceſſariò intellectum ad credendum, ſed eſt neceſſarium quod gratia Dei adjuti *velimus* credere, & ut credamus.

172. Secundo nec eſt quæſtio de quavis evidentia, & claritate: quoniam evidentia tantum phyſica non neceſſitat per ſe præcisè intellectum, quia poteſt Deus illam falſificare faciendo quod non ſit in rebus id de quo habemus evidentiam tantum phyſicam: ſic poſt conſecrationem Miſſę datur evidentia phyſica ſaltem mediatè panis, & vini: ſenſu namq; percipimus accidentia propria aliarũ ſubſtantiarum, puta ignem lapidem &c. & ob hanc cauſam dicimur habere evidentiã phyſicam ſaltem mediatam ignis lapidis &c. & tamen non ſumus neceſſitati ad judicandum ibi eſſe ſubſtantiam panis, & vini; imò tenemur credere ibi jam non eſſe, quia Deus operans ut Author ſupernaturalis ſicut miraculosè infringere ſolet connexiones naturales, ita naturales evidentias purè phyſicas: eſt ergo quæſtio de præmiſſis prorſus evidentibus metaphyſicè, v. g. *omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal*.

173. Tertiò nec de his utcumque, ſed reſpectivè ad intellectum, qui clarè, evidenterque percipiat non ſolum illarum veritatem, ſed inſuper connexionem hujus veritatis cum veritate concluſionis v.g. *ergo omnis homo eſt vivens*: quod enim unis eſt clarum, & evidens, aliis ſolet eſſe obſcurum, aliis falſum: eſt igitur quæſtio an præmiſſæ metaphyſicè evidentes neceſſitent intellectum intimè percallentem illas, & illarum connexionem cum concluſione ad aſſenſum hujus: & quidem non eſt ſermo de neceſſitate metaphyſica, ſed tantum phyſica, & naturali, qualis eſt neceſſitas de eo quod videas objectum quando illud eſt præſens, adeſt lux, & oculos attentos habes: quia non ſequentur duo contradictoria ex eo quod habitis illis duabus præmiſſis negaret Deus ſuum concurſum, ut prorumperes in eam concluſionem: *ergo omnis homo eſt vivens*, quam utique ſine adjutorio, & concurſu Dei concipere non valemus.

174. Quartò nec eſt quæſtio de quolibet aſſenſu concluſionis: nam certe præmiſſæ ipſæ neceſſitant ad ſe ipſas; & etiam eſt certum quod ipſæ ſunt aliquis aſſenſus concluſionis, nempè aſſenſus virtualis, & mediatus: eſt ergo quæſtio an neceſſitent ad aſſenſum alium diſtinctum ab ipſis, qui ſit aſſenſus expreſſus. Quintò nec eſt quæſtio de quovis aſſenſu expreſſo; ſed de directo, ac formali: ex illis enim præmiſſis

miſſis non ſolum ſequitur ſic : *ergo omnis homo eſt vivens* : ſed etiam ſic, *ergo aliquod vivens eſt homo* : & etiam ſic, *ergo aliquis homo eſt vivens* : cœterum hoc non eſt quia illæ præmiſſæ ſolæ, ac per ſe præcisè ad hoc neceſſitent ; ſed quia ex aliis principiis logicis conſtat quod ex illa univerſali *omnis homo eſt vivens* ſequitur ſua ſubalterna, nempè *aliquis homo eſt vivens*, & ſua convertens *aliquod vivens eſt homo*.

175. Sextò nec eſt quæſtio de quovis directo aſſenſu concluſionis; ſed de hoc determinatè *omnis homo eſt vivens* his, vel æquivalentibus terminis quia ex illis prçmiſſis non ſolum ſequitur *omnis homo eſt vivens*: verum etiam ſequitur *omne animal rationale ſe movet ab intrinſeco*: ſed hoc non eſt quia illæ ſolæ prçmiſsæ ad hoc neceſſitent; ſed quia aliunde ſcimus ex definito bene ſequi definitionem : & inſuper animal rationale eſse definitionem hominis, & *movere ſe ab intrinſeco* eſse definitionem viventis.

176. Caſus itaque ac ſtatus quæſtionis eſt an quando intellectus evidenter judicat evidentia metaphyſica veritatem præmiſſarum, & ipſarum connexionem cum veritate objectiva concluſionis, & conſequenter quando ſic evidenter apprehendit hujus veritatem (non enim poſſumus cognoſcere intimam connexionem rei *A.* cum *B.* quin apprehendamus ſaltem rem *B.* ut ſuo loco probamus) ſit phyſicè neceſſitatus ad aſſenſum jam dictum objecti concluſionis, vel dicendo ſic mentaliter *ita eſt*: vel ſic *omnis homo eſt vivens*: vel ſic: *verum eſt quod omnis homo eſt vivens* : vel alio modo huic quoad hoc æquivalenti: ubi jam vides quod non loquimur de præmiſſis per quas *judicemus*, ſed per quas evidenter *apprehendamus* veritatem concluſionis : non enim omnis apprehenſio eſt judicium.

177. Diviſi ſunt Authores : uni abſolutè affirmant : alii abſolute negant : alii diſtinguunt inter ſyllogiſmos innitentes identitati extremorum cum medio, & ſyllogyſmos innitentes connexioni metaphyſicę antecedentis cum cōſequente: concedunt hos, & negant illos neceſſitare ad aſſenſum concluſionis : alii diſtinguunt inter neceſſitare *poſitivè*, & *quoad exercitium* ad aſſenſum concluſionis : & neceſſitare *negativè* ſolum, & *quoad ſpeciem* : concedunt hoc, & negant illud : res eſt gravis, & quæ non rarò reaſſurgit in Philoſophia, & Theologia maximè ad tractatum de fide, ubi quæritur an evidentia Divinæ revelationis ſtet cum merito fidei.

178. Sit concluſio : prçmiſſæ juxta ſex illas jam datas explicationes neceſſitant intellectum ad aſſenſum concluſionis, non ſolum negativè, ſeu quoad ſpeciem : ſed etiam poſitive quoad exercitium : pro-

batur

batur 1. parſ. præmiſſas neceſſitare negativè, ſeu quoad ſpeciem ad aſſenſum concluſionis nihil aliud eſt à parte rei, quàm quod intellectus terminorum conſcius non poſſit naturaliter diſſentire concluſioni in ſenſu compoſito aſsenſsus præmiſsarum: hoc eſt quod non poſſit judicare ſic *non minus homo eſt vivens* quando ut evidens judicat omne animal eſse vivens, & omnem hominem eſse animal: hoc, & non aliud ſignificant illa verba, neceſſitare negativè, ſeu quoad ſpeciem: at quoties intellectus judicat evidenter illa duo, & inſuper connexionem illorum cum veritate concluſionis, naturaliter nequit judicare concluſionem eſse falſam, ſeu judicare *non omnem hominem eſſe viventem*: quamvis poſſit judicare aliud, ex quo per conſequentias ſequatur *non omnē hominem eſſe viventem*; poſſit inquam judicare, quia non bene advertit naturam oppoſitionis, & connexionis rerum: ergo præmiſsæ neceſſitant negative, ſeu quoad ſpeciem ad aſsenſum concluſionis.

179. Probatur minor: quoties objectum evidenter apparet intellectui, ut verum, nequit naturaliter illud judicare ut falſum: ſicut nequit illud judicare ut verum quando ſibi evidenter apparet ut falſum: nempe quia ſicut objectum formale aſsenſus eſt veritas: ita objectum formale diſsenſus eſt falſitas, & nulla potentia valet operari contra ſuum objectum formale v. g. oculi non poſsunt videre ſine luce, & colore, aures non poſsunt audire ſine ſono &c. at quoties intellectus evidenter judicat illam veritatem, & connexionem præmiſſarum, contingit quod objectum concluſionis ipſi evidenter apparet, ut verum: nam apparet ut ſcientificum, ideſt ut habitum per demonſtrationem: ergo quoties intellectus evidenter judicat illa duo, naturaliter nequit judicare illam concluſionem eſse falſam: poteſt quidem illam ore negare contumaciter; poteſt item illam mente negare diſtrahendo intellectum ad alia, vel claudendo oculos ne videant veritatem præmiſsarum, & infallibilem connexionem cum veritate concluſionis, alterutrum namque ex his duobus paſsim fit à pervicacibus: cœterum durante, ac præſente metaphyſica evidentia præmiſsarum, & earumdem connexionis metaphyſicæ cum concluſione, hanc negare ut falſam, tam non poteſt fieri naturaliter ab intellectu, quàm fieri non poteſt, quod durante dolore potentia ſenſitva non diſtracta non ſentiat, durante luce, & colore potentia viſiva non diſtracta, non videat &c.

180. Tria poſsunt objici 1. objectum præmiſsarum, & objectum concluſionis apparent tanquam ſi eſſent diverſa: ergo poteſt intellectus aſſentire uni & diſſentiri ſecundo: diſtinguo ant. ita tamen ut

primum evidenter appareat ut metaphyſicè connexum cum ſecundo conc. (& hoc ſufficit, ut rationalis intellectus aſſentiens primo non poſſit diſſentiri ſecundo) ita ut non ſic appareat connexum; nego ant. & conſequentiam: quia eſſet contra ſtatum quæſtionis.

181. 2. In ſenſu compoſito hujus evidentiæ, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe: Pater, & filius identificantur cum uno tertio, nempe cum Deitate*: diſſentitur intellectus huic concluſioni ergo Pater, & filius identificantur inter ſe. Reſp. aut illa major, quæ ſunt eadem uni tertio &c. ponitur in ſenſu prorſus univerſali nullam admittente explicationem; aut in ſenſu particulari: ſi primum, concluſio quidem eſſet bona, ſed major illa eſt falſa: ergo non apparet nobis ut evidenter vera: ſi ſecundum, major eſt vera, ſed concluſio non ſequitur, quia ex puris particularibus nihil ſequitur.

182. 3. In ſenſu compoſito evidentis probabilitatis præmiſſarum poteſt excitari evidens apprehenſio falſitatis concluſionis; ergo poſſumus diſſentiri concluſioni: tranſeat totum: quia nos loquimur de præmiſſis metaphyſicè evidentibus quoad veritatem & etiam quoad connexionem cum veritate concluſionis: in ſenſu autem compoſito geminæ hujus evidentiæ non poteſt excitari niſi in intellectu ignaro terminorum evidens apprehenſio falſitatis concluſionis: præter quam quod cum probabilitas, & veritas ſint res valde diverſæ, non eſt difficile quod detur evidentia unius, & non detur evidentia veritatis, ſed potius falſitatis: ſic quando multi graves & pii homines unanimiter dicunt, & ponderoſis rationibus probant Petrum non veniſse (nempe quia ut homines falluntur) quem tamen tuiſmet oculis vidiſti, habes evidentiam probabilitatis de eo quod ille non venerit, & ſimul evidentiam falſitatis.

§. V.

183. Probatur jam ſecunda pars concluſionis, videlicet præmiſsas utramque evidentiam metaphyſicam jam dictam habentes neceſſitare poſitivè quoad exercitium ad aſsenſum concluſionis: & in primis non obſcurè docuit hoc Ariſtoteles in definitione ſyllogiſmi ſupra data per illa verba, *alterum quid à poſitis neceſſario ſequitur eo quod ſint*: atqui non ſequeretur neceſsariò illud alterum quid, ideſt concluſio, ſi intellectus poſset ſuſpendere illam, & habere ſe neutro modo, ideſt neque aſsentiendo neque diſsentiendo: ergo poſitis præmiſſis dicto modo evidentibus nequit intellectus ſuſpen-

pendere aſſenſum concluſionis; ergo illæ premiſſæ neceſſitant poſitive quoad exercitium: fatemur, quòd idem contingit in ſyllogiſmo legitimo, licet premiſſæ ſint pure probabiles; immò licet ſint falſæ; ſed hoc ideò eſt, quia ſemel conceſſæ perinde ſe habent ac ſi evidentes forent; unde qui illas conceſſit, debet poſitive concedere concluſionem ſi non eſt terminorum ignarus, vel retrogredi, & negare aliquam ex premiſſis; item nec obſcure ſecutus eſt hanc ſententiam S. Ignatius ſcribens in Epiſt. Obed. *Voluntatem non poſſe intellectum in hanc, vel illam partem deflectere, ubi in unam partem cogit illum evidentia veritatis*; verbum namque illud, *cogit*, ſatis indicat evidentiam veritatis neceſſitare intellectum, qui cùm non ſit potentia libera, non dat locum aliis explicationibus illius verbi, quas in aliis locis habet quando agitur de potentia libera.

184. Sed habemus argumentum a ratione; quoties potentia non eſt libera, licet aliàs ſubjecta ſit voluntati, & habet omnia prærequiſita ex parte ſui ad operandum, neceſſariò neceſſitate naturali operatur poſitivè quoad exercitium, velit, nolit voluntas: at intellectus non eſt potentia libera, ſicut nec potentia viſiva, nec ſenſititiva, nec reliquæ diſtinctæ a voluntate: ergo quoties habeat omnia prærequiſita ex parte ſui ad judicandum v. g. *omnem hominem eſſe viventem* his, vel aliis æquivalentibus terminis, neceſſariò neceſſitate naturali id judicabit poſitivè quoad exercitium; at quoties evidentia metaphyſica judicat veritatem præmiſſarum, & metaphyſicam illarum connexionem cum eo, quod omnis homo ſit vivens, habet omnia prærequiſita ex parte ſui ad judicandum hominem eſſe viventem, (& quidem ſub terminis diſtinctis ab ipſis præmiſſis formalibus, quia de hoc eſt quæſtio): ergo quoties evidentia metaphyſica judicat veritatem præmiſſarum, & metaphyſicam earumdem connexionem cum eo, quod omnis homo ſit vivens, neceſſariò neceſſitate naturali debet judicare per aliud novum judicium his, vel illis terminis conſtans *omnem hominem eſſe viventem*; ergo prædictus aſſenſus præmiſſarum neceſſitat poſitivè quoad exercitium ad prædictum aſſenſum concluſionis.

185. Major hujus diſcurſus conſtat inductione omnium aliarum potentiarum, quæ non ſunt liberæ; quamvis aliàs voluntati ſubjectæ v. g. quoties potentia viſiva habet omnia prærequiſita ex parte ſui ad videndum, nempe quod oculi ſint aperti, ſani, & attenti, quod objectum ſit præſens, perfuſum luce, & colore; poſitivè quoad exercitium videt illud, velit, nolit voluntas: ſimiliter quo-

ties potentia ſenſitiva habet omnia præreqvuiſita ex parte ſui ad ſentiendum, puta, quod ignis ſit applicatus carni vivæ, ſentiet, velit, nolit voluntas, & ſimiliter de reliquis potentiis non liberis quantumcumque ſubjectæ ſint voluntati: ergo quoties pôtentia non eſt libera &c.; poteſt quidem voluntas facere quod oculi claudantur, & ſic non videbunt; poteſt item facere, quod ſpiritus ſenſitivæ potentiæ aliò diſtrahantur, & ſic nullum vel non tantum ſentiet dolorem, & ſimiliter in aliis potentiis; cæterum quod apertis oculis, atque attentis, præſenteque objecto cum luce, & colore, objectum non videatur, hoc non poteſt facere voluntas; item quod valida inflicta plaga carni vivæ, & cum ſpiritibus ad ſentiendum, caro non ſentiat, hoc non poteſt facere voluntas, tametſi potentia ſenſitiva, & viſiva aliis ſint ſubjectæ voluntati: idem impræſentiarum; intellectus eſt ſubditus voluntati, quatènus hæc poteſt illum diſtrahere ad alia cogitata; verumtamen non eſt ſubditus voluntati, quatenus hæc poſſit facere ut habens intellectus omnia præreqvuiſita ex parte ſui ad judicandum per concluſionem formalem *omnem hominem eſſe viventem*; id non judicet per concluſionem formalem: ratio autem eſt diſcrimen ipſum inter potentiam liberam, & non liberam: illa eſt quæ præſentibus omnibus præreqvuiſitis ad operandum, pôteſt operari, & poteſt non operari: potentia autem non libera poſitis omnibus præreqvuiſitis ex parte ſui ad operandum, non poteſt non operari, niſi agens creatum fortius tollat de medio aliquod ex illis præreqvuiſitis.

186. Probatur jam minor ſubſumpta in ſyllogiſmo ſcripto num. 183. ſi aliquod deficeret præreqvuiſitum ad judicandum per concluſionem formalem, *omnem hominem eſſe viventem*, maximè imperium voluntatis: ideſt quod voluntas velit intellectum id judicare per concluſionem formalem; ad hoc confugiunt adverſarii: ſed hoc non ſubſiſtit, tum quia imperium iſtud non eſt præreqvuiſitum ex parte intellectus ipſius, quia nec eſt cognitio neque principinm phyſicum cognitionis, neque ſpecies objecti; ſed dumtaxat eſt præreqvuiſitum ex parte voluntatis; & nos loquimur de præreqvuiſitis ex parte intellectus; tum quia iſtud imperium ſolùm eſt præreqvuiſitum, quando objectum apparet obſcurè, ut contingit in rebus Fidei: at quando apparet ſolum probabiliter, ut in pleriſque humanis negotiis: quia cum veritas obſcura, aut mere probabilis non ſit ſufficiens per ſe præciſe rapiendo intellectum in ſui aſſenſum: & cum ex alia parte intellectus ipſe nequeat ſeſe pro ſuo libito determinare, quandoqui-

dem

dem non eſt potentia libera: idcirco neceſſe eſt, quod ab alio determinetur ad aſſenſum, vel determinetur ad diſſenſum: ſed hoc aliud non poteſt eſſe niſi imperium voluntatis; ergo quando res ſunt obſcuræ, aut tantum probabiles eſt prærequiſitum imperium voluntatis, verumtamen quando res apparet prorsùs metaphyſice evidens, eſt ſufficiens per ſe præciſe ad rapiendum intellectum in ſui aſſenſum, aut intuitivum, ſi evidentia fuerit intuitiva, aut abſtractivum, ſi fuerit abſtractiva.

187. Quemadmodum licet infinita Dei bonitas obſcure a nobis cognita non rapiat nos neceſſariò in ſui amorem; verumtamen ſi eam cognoſceremus evidentia prorsùs clara, & penetrante, licet abſtractiva, ut forſan cognita fuit ab aliquibus hominibus, ineluctabiliter corriperet voluntatem in ſui amorem: jam ratio ſumitur ex eiſdem exemplis aliarum potentiarum, quæ libertate non funguntur, ſed voluntati ſunt ſubjectæ; quoties omnes aliæ potentiæ non prærequirant iſtud imperium voluntatis ad operandum poſitivè quoad exercitium, quando ipſarum objectum eſt ipſis phyſicè præſens, & ipſæ non ſunt aliunde impeditæ: idem dicendum eſt de potentia intellectiva, niſi ſpeciale privilegium ſpecialis exceptionis ſpecialiter probetur: nimirum dicendum eſt, quod neque potentia intellectiva prærequirit imperium iſtud voluntatis ad judicandum per concluſionem formalem *omnem hominem eſſe viventem*, quando hæc veritas eſt illi metaphyſicè præſens, ſeù evidens, & intellectus ipſe non eſt aliunde impeditus per ignorantiam terminorum, aut per diſtractionem ad alia: at certum eſt, quod omnes aliæ potentiæ non liberæ, ſed ſubjectæ voluntati non prærequirunt iſtud imperium, quando ipſarum objectum eſt ipſis phyſicè præſens, & ipſæ non ſunt aliunde impeditæ, ut conſtat in potentiis viſiva, ſenſitiva, auditiva, nutritiva &c. quo ergo jure, qua ratione, aut titulo eximitur intellectus ab hac regula generali? eſt ille quoad hoc, ſicut potentia loco motiva, quæ ſine imperio voluntatis nequit movere tibias, quando aliunde non urget irreſiſtibilis impulſus; ſed quando hic urget, non eſt neceſſarium, quod velis moveri; moveberis enim, velis, nolis: ſic quando intellectum movet obſcura, aut probabilis veritas, opus eſt imperio voluntatis, ſecus quando premit metaphyſica veritas.

188. Obii. Quoties intellectus jam ſatisfecit objecto concluſionis, non rapitur neceſſariò, ut de novo ipſi ſatisfaciat, aliàs tenetur ſemel, & iterum repetere concluſionem formalem quamdiù

du-

duret evidentia præmiſſarum; ſed per aſſenſum harum jam ſatisfecit objecto concluſionis: quia ſatisfecit huic, & in hoc imbibitur objectum concluſionis v. g. veritas illa omnis homo eſt vivens, imbibitur in eis duabus, omnis animal eſt vivens; omnis homo eſt animal: ergo non eſt neceſſarium, quod de novo per alium actum, qui ſit concluſio formalis, ſatisfaciat objecto concluſionis. Confirmatur: poſitis eis præmiſſis poſſumus elicere concluſionem directam, vel indirectam: ergo illæ præmiſſæ non ita rapiunt intellectum, ut hic non maneat pendens ab imperio voluntatis, ut unam ex illis concluſionibus eliciat potiùs, quam alteram: alia leviora invenies apud Oviedo controv. 9. logicæ puncto 4.

189. Ad objectionem reſpondeo: in primis non eſt abſurdum, quod tandiù duret, aut repetatur in mente, licet non in ore illa concluſio formalis quamdiù durat, vel repetitur evidentia præmiſſarum; ſicut tandiù durat, vel repetitur ſenſatio in corpore, quamdiù durat, vel repetitur plaga; & motus localis, quamdiù durat irreſiſtibilis impulſus; deinde diſtinguo majorem: quoties jam ſatisfecit ſatisfactione debita ex vi præmiſſarum, non rapitur neceſſariò &c. conc. ma. ſatisfactione alia nego: & proportionatè diſtincta minore, nego conſequentiam: ex vi præmiſſarum debetur aſſenſus objecto concluſionis diſtinctus ab ipſis præmiſſis juxta noſtram rationem hìc repetendam; præmiſſæ fundant debitum ſatisfaciendi objecto concluſionis, & nemo ſatisfacit debito per debitum ipſum; ſed per illud, ad quod obligat debitum, quod ſemper eſt diſtinctum a debito ipſo.

190. Ad confirmationem diſtinguo ant. Poſſumus elicere ore concluſionem directam, vel indirectam conc. (ſed ad concluſionem vocalem non neceſſitant præmiſſæ); poſſumus elicere mente, nego ant.; quia nolimus, velimus, eliciemus mente illam concluſionem determinatè, cum qua determinatè appareant nobis evidenter metaphyſice conexæ præmiſſæ; ergo eliciemus concluſionem directam, ſi cum hac determinatè appareant connexæ: eliciemus indirectam, ſi cum hac determinatè: eliciemus disjunctivè directam, aut indirectam, aut copulativè utramque, ſi præmiſſæ appareant nobis evidenter connexæ cum ea veritate copulativa, aut cum disjunctiva: ubi ſemper repetenda eſt ratio ſcripta num. 46.

CA.

CAPUT VIII.

Explicantur octo Locutiones valde frequentes.

191. 1. Eſt *formaliter*: hoc ſyncategorema eſt valde æquivocum; quandoque nihil addit termino, cui adjungitur, ſed ſolum removet æquivalentiam, aut virtualitatem v. g. *ignis eſt formaliter calidus*, ſignificat ignem eſse calidum non æquivalenter, ſeu virtualiter, ſicut piper, mel, vinum &c. ſed verè, ac propriè: ſimiliter *Petrus eſt formaliter Rex*, *aut formaliter Epiſcopus*, ſignificat Petrum non eſse æquivalenter, aut virtualiter regem, ſicut Prorex, aut Epiſcopus, ſicut eſt Vicarius generalis, ſed verè, ac propriè ſine ulla limitatione: aliquando ſignificat idem, quod *immediatè* v. g. *eſſentia phyſica hominis ſtat formaliter in corpore, & anima*, ideſt ſtat immediate; non verò in alio trahente ſecum eſsentialiter corpus, & animam.

192. Aliquando ſignificat rationem, ſeu motivum, ſeu fundamentum affirmandi, aut negandi verè rem aliquam v. g. *res formaliter ut vera, non autem formaliter ut bona eſt objectum intellectus, è converſo formaliter ut bona, non autem formaliter ut vera eſt objectum, ſive ſpecificativum voluntatis* ſignificat hoc, & nihil aliud, *quod movet intellectum ad judicandum, eſt cognitio veritatis, non autem cognitio bonitatis; è converſo, quod movet voluntatem ad amandum, eſt cognitio bonitatis, non autem veritatis.*

193. Aliquando ſignificat idem, quod *ratione noſtra*; cùmque ratio, ſeu conſideratio noſtra poſſit eſſe logica, id eſt ſpectans ad Logicam; aut metaphyſica, hoc eſt, ſpectans ad Metaphyſicam, aut alia quævis ſpectans in genere ad Philoſophiam animaſticam: hac de cauſa illud ſyncategorema *formaliter* quandoque alludit ad ſenſum logicum, v. g. *Homo formaliter eſt ſpecies: Univerſale formale eſt unum aptum eſſe in multis*; quandoque facit ſenſum metaphyſicum, v. g. *Homo eſt formaliter animal rationale*, ſignificat hominem definiri metaphyſicè per hæc duo prædicata; quandoque facit ſenſum purè animaſticum, id eſt ſignificantem aliquam aliam cognitionem, v. g. *Veracitas, & ſapientia ſunt objectum formale Fidei*, reddit hunc ſenſum, *Cognitio veracitatis, & ſapientiæ eſt quæ movet, vel id quo Deus movet nos ut credamus ipſius verba*: quando autem habeat unum, quando alium ex his ſenſibus deprehendes ex circumſtantiis; quæ ſi æqui-

æquivocæ fuerint, debes diſtinguere prædictum terminum *formale*, aut *formaliter*, & concedendo illum in ſenſu vero, negare in falſo.

194. 2. Locutio *Primò intentionaliter*; *ſecundò intentionaliter*; ſcito tres eſſe quæſtionum claſſes in tota Philoſophia, & Theologia; una eſt earum, in quibus tractamus, diſputamus, evolvimus res, *prout ſunt in ſe ipſis coram Deo* independenter à noſtris cognitionibus, reflexionibus, conſiderationibus, ſpeculationibus; & tunc dicimur diſputare in ſenſu directo, ſeu *primo intentionali*; & tunc tam improprium, & abſonum eſt recurrere (excepto ſi fiat per modum extranei exempli) ad noſtras præciſiones, reflexiones, & conſiderationes, quàm eſſet recurrere ad quæſtiones architectonicas, ſutorias, vel ſartorias quando diſputantur res aſtronomicæ, ſeu Divinæ: alia claſſis eſt quęſtionum, in quibus agimus de rebus, non prout ſunt in ſe ipſis; *ſed prout à nobis cognitis*; & tunc dicimur diſputare *in ſenſu reflexo*, *ſeu ſecundo intentionali*; & tunc tam diſſonum eſt recurrere ad realitates, & ad id quod contingit independenter à noſtris cognitionibus, quàm recurrere ad has quando diſputamus de realitatibus ipſis.

195. Cùm autem inter noſtras cognitiones unæ ſpectent determinatè ad Logicam, aliæ ad alias ſcientias, hinc reſultat tertia claſſis quęſtionum, in quibus agimus de rebus, non prout ſunt in ſe coram Deo: non item ut à nobis cognoſcuntur *per cognitiones proprias Logicorum*; ſed prout à nobis cognoſcuntur per cognitiones ſpectantes ad alias ſcientias, ut quando dicimus: *Actio ut conſona*, *ut diſſona conſcientiæ*: hic etiam eſt ſenſus reflexus, & tunc etiam tam abſurdè confugies ad realitates, vel ad illum alium ſenſum reflexum Logicorum, quàm nuper dicebamus: hoc diligenter nota, quia frequenter inter diſputandum magna caligo excitatur, & magna fraus committitur ab alterutris, quia incautè, vel ſubdolè tranſeunt ex quęſtione in uno horum ſenſuum ad quęſtionem in alio penitùs impertinente.

196. 3. Locutio eſt de *Conſtitutivis*, *& Connotatis*; Conſtitutiva ſunt illa, quæ ſunt partes eſſentialiter componentes rem, de qua fuerit ſermo. Connotata ſunt illa, quæ non ſunt partes eſſentiales rei, ſed ſunt id, ſine quo res non poteſt exiſtere vel ex ſua natura, vel ex aliena inſtitutione; ſic corpus non eſt connotatum, ſed conſtitutivum creaturæ humanæ completæ, quia eſt pars eſſentialis hujus; Creator verò non eſt conſtitutivum, ſed connotatum ejuſdem Creaturæ; quia Creatura ſub his terminis, ſub hac luce, & expreſſione

Crea-

Digitized by Google

Creatura oſtendit nobis intimam, & eſſentialem connexionem cum Creatore; ſed non conſtituitur eſſentialiter per Creatorem ſicut per corpus, animam, aut unionem, quandoquidem omnis Creatura diſtinguitur adęquatè à Creatore.

197. Hic naſcitur 4. Locutio *de Recto*, *& Obliquo*; quod obliquum perperàm confundunt aliqui cum connotato, & detorquent quęſtiones de re ad quęſtiones de voce: igitur multoties contingit, quòd aliquod complexum, ſeu concretum, ſeu denominatio, ſeu aggregatum, ſeu effectus formalis (ne terrearis multitudine vocum, quia hæ omnes ſolent ſignificare idem) eſſentialiter imbibat duo, ſed ęquivocè, atque inęqualiter: unum tanquam id, quod immediatè, ac directè affirmatur, aut negatur quando affirmatur, aut negatur illud complexum: vel tanquam id, de quo affirmatur, aut negatur, quod affirmatur, aut negatur de illo complexo (& hoc eſt quod vocatur *rectum*, ſeu *ut quod*;) alterum tanquam rem hoc, aut illo modo adjacentem ei, quod affirmatur, aut negatur, vel ei, de quo aliquid affirmatur, aut negatur; & hoc vocatur *obliquum*, *ſive ut quo*.

198. Sic Album ut tale non connotat, ſed eſſentialiter conſtituitur per ſubjectum, & albedinem, ſed inæqualiter; nam ſubjectum eſt conſtitutivum ut quod, atque in recto; albedo autem ut quo, atque in obliquo; quando enim dicimus, *homo eſt albus*, ſolùm affirmamus immediatè, ac directè ſubjectum, quod habet albedinem, de homine; albedinem autem enunciamus ut phyſicè inhęrentem ei ſubjecto: ſimiliter quando dicimus, *album eſt rationale*, rationalitatem affirmamus de ſubjecto, cui albedo inhæret: ſed hic cave æquivocationem; nam interdum utimur his terminis concretis ad ſignificandum in recto, tam id, quod aliàs eſſet obliquum, ut quando dicimus *album* eſt complexum quoddam ex ſubjecto, & albedine ipſi unita; igitur ex prędicato plerumque dignoſces quid veniat in recto ex parte ſubjecti, quid in obliquo, & viciſsìm ex ſubjecto quid veniat in recto, quid in obliquo ex conſtitutivis prædicati, nempe inter utriuſque conſtitutiva quęnam adęquatè, vel inadęquatè affirmentur, aut negentur inter ſe. Iſta ſunt, quæ veniunt in recto, atque ut quod adęquatè, vel inadęquatè; cętera in obliquo; quòd ſi res adhuc fuerit æquivoca, utere diſtinctione.

§. II.

199. QUinta locutio eſt de *ſignis, ſive prioritatibus*: in primis adverte ſignum rei non eſſe aliquod cubile, aliquam burſam, aliquam ſpecum, ubi lateat res illa: ſignum rei nihil aliud eſt, quàm res ipſa ſive complexum intrinſecè conſtitutum per rem illam ſimul cum alia: unde quando audias, *A. & B. ſunt in eodem ſigno*, intellige unum ex his duobus; aut *A.* & *B.* eſſe prorſus idem, ſicut animal, & rationale, aut A. & B. coſtituere unam cauſam reſpectu alicujus effectus, licet ſi A. & B. inter ſe ſola comparentur, unum ſit cauſa, aut quaſi cauſa alterius: illa verò, quæ diſtinguntur invicem ſed neutrum eſt ullatenus cauſa alterius dicuntur etiam eſſe in eodem ſigno non abſolutè, & ſimpliciter, quia eſſet locutio valde impropria; ſed in eodem ſigno *collectivo*, hoc eſt poſſe formari numerum, ſeu collectionem quandam ex illis: ſicut ex quibuſlibet arenis maris, quæ invicem diſtinguuntur, & nullæ ſunt cauſa aliarum, poteſt formari aliquis numerus, ſeu aliqua collectio: & ob hanc cauſam omnes arenæ maris ſunt in eodem ſigno *collectivo* & ſunt etiam negativè in eodem ſigno cauſalitatis quatenus nullæ ſunt cauſa, aut effectus aliarum.

200. Igitur quando audieris: *in priori*; *in eo priori*; *in ſigno priori aut prioritatis*, nihil aliud intelligas, quàm cauſam, ſive principium rei illius, de qua fuerit ſermo, nec non prærequiſitas conditiones ad rem illam producendam v.g. *In priori ad rem A. ſeu in ſigno priori ad A. eſt res B. non eſt res B. præſcinditur à re B.* Hæ phraſes ſignificant quando ſunt affirmativæ rem B. eſſe cauſam, principium, aut prærequiſitam conditionem ad A. quando ſunt negativæ ſignificant rem B. nec eſſe cauſam, neque principium ullatenus, neque prærequiſitam conditionem ad rem A. cùmque paſſim contingat quod ex duobus contradictoriis neutrum ſit cauſa, principium, aut conditio prærequiſita reſpectu alius tertiæ rei (v.g. neque equus, neque carentia equi; neque lapis, neque carentia lapidis ſunt cauſa, principium, aut prærequiſita conditio ad producendum lucem: ad producendum metallum &c.) idcirco paſſim contingit quod ex duobus contradictoriis neutrum ſit in priori ad tertiam aliam rem: quia hoc non eſt deficere à rebus duo contradictoria ſimul; ſed ſolùm eſt duo contradictoria eſſe diſparata reſpectu alius tertiæ rei.

201. Hìc duo caveas; 1. eſt non putare illud, quod eſt in priori ad

ad aliud exiſtere in rebus ſicut modò exiſtit hæc charta, antequam exiſtat illud aliud: quoniam in eodem momento temporis, in quo incepit ſol, refulſit: non enim fuit aliquando tenebroſus; & tamen ſol fuit in priore ad ſuum fulgorem, quia fuit cauſa ipſius: item Æternus Pater eſt principium Verbi, & tamen nunquam fuit Pater ſine Verbo, & ratio eſt: nihil intimè connexum cum alio poteſt adhuc in primo inſtanti ſuę exiſtentiæ eſse ſine illo: at multæ cauſæ ſunt intimè connexæ cum ſuis effectibus, ut conſtat: ergo multæ cauſæ nequeunt adhuc in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ eſse ſine ſuis effectibus: ergo multæ cauſæ non poſsunt exiſtere in rebus antequam exiſtant ſui effectus; & tamen omnis cauſa eſt prior, ſeu eſt in priori ad ſuum effectum, ut modò diximus: ergo per hanc locutionem non debes intelligere quod res prior ſemper exiſtat in rebus antequam exiſtat ſuus effectus: nimirum quia prioritas *à quo* ſeu cauſalitatis non ſemper eſt prioritas *in quo*, ſeu temporis: ſicut è converſo non omne quod eſt prius tempore eſt prius *natura* ſive cauſalitate; aliàs eſsent cauſæ noſtræ vitæ quotquot entitates fuerunt in Mundo antè noſtram conceptionem.

202. 2. Eſt non putare quod eo ipſo, quod duæ res ſint in diverſis ſignis, poſſint coexiſtere in eodem momento, aut loco: nam certè duo contradictoria, & duo contraria eſſentialiter oppoſita, ſunt in diverſis ſignis, ſeu ſunt ſigna diverſa, ſeu ſunt res diverſæ, (quæ omnia ſunt idem), & tamen nec divinitus poſſunt eſſe in eodem inſtanti, aut loco; ergo duo eſſe in diverſis ſignis impar eſt conjungendo illa in eodem tempore. Peſſima intelligentia bonæ hujus Philoſophiæ ſignorum impulit aliquos in abſurdas propoſitiones; hinc in eodem indiviſibili momento temporis ſunt verè a parte rei innumera ſigna, una priora, altera poſteriora; altera nec priora, nec poſteriora, quia hoc nihil aliud eſt a parte rei, quàm quod in eodem momento ſint ſimul multæ res in mundo, quarum unæ ſunt cauſæ aliarum, alteræ effectus earumdem, alteræ neque cauſa, nec effectus: ſed hæc omnia conſtat eſſe vera: ergo in eodem momento indiviſibili temporis ſunt ſimul a parte rei independenter a noſtris conſiderationibus multa ſigna, una priora, altera poſteriora &c. Decipit Tyrones apprehenſio de eo, quod ſigna ſint quaſi particulæ inſtantis: item quod hujuſmodi prioritas, & poſterioritas ſit quaſi ſucceſſiva quædam exiſtentia; unde ęgre, aut in ſiniſtro ſenſu intelligunt, quod in eodẽ inſtãti ſint multa ſigna, una priora, & altera poſteriora, & cõſequẽter ſucceſſiva ſucceſſione cauſalitatis; ſed arceãtur a mẽte duę iſtę apprehẽſiones

203. 6. Locutio eſt; *præſcindendo*: *abſtrahendo*; hæ & ſimiles phraſes non ſignificant, quod non ſit in rebus id, a quo præſcindimus, ſeu abſtrahimus; ſed quod ſive ſit, ſive non ſit, *de illo nolumus loqui*; *illo uti nolumus* ad probandum, aut improbandum, ad explicandum rem, de qua tunc agimus v. g. *præſcindendo*, *abſtrahendo ab eo*, *quod homo ſit rationalis ſubſiſtit ne illum eſſe creaturam?* certè quæſitum hoc nec explicitè, nec implicitè negat hominem eſſe rationalem; ſed ſolùm quærit, an quando uti nolumus ea ratione ſuppetat ne alia, qua probemus hominem eſſe creaturam; quam ob rem ne confundas ſenſum merè præciſivum, nempe modo dictum, cum ſenſu poſitive excluſivo, ſive negativo.

204. 7. Locutio; *ſpecificativè*, *ſecundum ſe*: *ut quod*, *&* *ſecundùm rectum præcisè*; hæc ex una parte: ex altera; *reduplicativè*; *formaliter ut tale*: *ut quod & quo*; *ſecundùm rectum*, *& obliquum*; his locutionibus utimur inter diſputandum de concretis, ſive logicis, ſive phyſicis, ſive metaphyſicis; primę phraſes ut inſinuavimus cap. 3. ſignificant nos affirmare, aut negare immeditè, ac directè de ſolo ſubjecto illius denominationis, non ſolitudine excludente unionem ſive phyſicam, ſive metaphyſicam cum forma, ſed excludente affirmationem, ac negationem de illa forma.

205. Secundę phraſes ſignificant nos loqui non ſolùm de ſubjecto, verùm etiam de forma, non ſolum de ſubſtracto, verùm etiam de abſtracto v. g. *coloratum ſpecificativè materialiter*, *ſecundùm ſe præcisè inſpectum*, *ut quod*, *atque ſecundùm rectum præcisè non eſt viſibile*; *eſt autem viſibile formaliter*, *ac reduplicativè ut coloratum*, *ideſt ſumptum ut quod*, *& ut quo*, *ſecundùm rectum*, *& obliquum*; tota hęc propoſitio cum caterva ſuorum terminorum nihil aliud ſignificat, quàm quod res non eſt viſibilis, quando non habet colorem, & eſt viſibilis, quando illum habet; idem intellige de illis particulis, *ut*, *quatenus*: *inquantum*; *qua*: quippe omnes iſtæ ſunt de genere reduplicationum.

206. Sed oportet notare rem, de qua fuerit ſermo: nam interdum ſignificat formam phyſicam phyſicè unitam ſubjecto v. g. *album qua album*, *in quantum album &c.* Interdum formam phyſicam, ſed non phyſicè inhærentem ſubjecto v. g. *viſum*, *cognitum*, *amatum*, *quatenus viſum*, *quatenus cognitum &c.* ſignificat viſionem, cognitionem, & amorem, quæ ſunt formæ phyſicæ, & non purè ideales; aſt non inhærent phyſicè illis ſubjectis: quia viſio, cognitio, & amor, quæ tu habes reſpectu Regis, non ſunt in Rege, ſed in te:

in-

interdum ſignificant formam, quæ eſt ſecunda intentio logica v. g. Natura in quantum univerſalis; homo qua ſpecies; animal ut genus: hæ phraſes ſignificant determinatè ſpecificas illas cognitiones, & non alias, per quas natura fit univerſalis, fit ſpecies, fit genus; hæ autem ſpecificæ cognitiones vocantur ſecundę intentiones logicę, quia ſoli Logici agunt de illis: interdum ſignificant rem, quę eſt titulus, argumentum, & ratio ad ſuadendum alia v. g. Homo in quantum rationalis, eſt riſibilis, eſt admirativus, eſt apprehenſivus, eſt diſcurſivus &c. ſignificat nos uti hac ratione, ſeu argumento, ſeu titulo rationalitatis ad probandum iſta omnia.

207. Interdum dictę reduplicationes ſignficãt rem, quę eſt motivũ, ſeu impulſus ad aliud v.g. Deus qua bonus eſt amabilis, quâ verax eſt credendus ſignificat bonitatẽ eſſe motivũ amoris, veracitatẽ eſſe motivum fidei &c. Interdũ denique ſignificant formã metaphyſicam, ideſt quę nõ diſtinguitur a ſubjecto; ſed apprehenditur a nobis per ſpeciẽ rei diſtinctę a ſubjecto; ſicut Angeli nõ ſũt corporei Juvenes, ſed apprehẽdimus illos ad ſimilitudinẽ, ſeu per ſpeciẽ Juvenũ, v.g. loquendo de homine; *hoc animal in quantum rationale eſt diſcurſivum*; rationalitas, quę hic reduplicatur, eſt forma dumtaxat metaphyſica huius animalis: quando autem reduplicationes prædictę ſignificent unum, quando aliud ex dictis debes colligere ex contextu aliarum rerum tunc concurrentium; quod ſi adhuc res maneat ambigua, debes diſtinguere propoſitionem, & conceſſam in ſenſu vero, negare in falſo.

208. Ultima locutio eſt de hypotheſi, ſeu caſu impoſſibili; quam explicare ſolemus his verbis *ſi per poſſibile, vel impoſſibile*: adverte omnem caſum, ſeu hypoteſim, ſeu conditionem impoſſibilem importare in ſuis viſceribus duo contradictoria; ex hypotheſi autem gravida duorum contradictoriorum, quid niſi chimæra, diſcordia, & hallucinatio naſci poteſt? quamvis enim initio diſſimuletur impoſſibilitas, ſenſim, & pedetentim ſolemus redire ad illam; atque ſi contradictoria ex uno latere obſtruantur, erumpunt ex altero; ſolum ergo debent admitti iſtæ locutiones non in ſenſu directo, & objectivo; ſed in reflexo ac mentali.

209. Sic: Hæc propoſitio, *ſi per poſſibile, vel impoſſibile Homo non eſſet rationalis, adhuc eſſet vivens*; hæc propoſitio in ſenſu directo, quem præſefert, eſt falſa, & ſimul vera, hoc eſt, non ipſa, ſed ipſius veritas impoſſibilis, quia fundatur in hypotheſi chimærica; in ſenſu autem reflexo, & mentaliter præciſivo eſt vera, quoniam ęquivalet huic: *etiamſi obliviſcamur, etiamſi relinqua-*

qua-

quamus mente rationalitatem , etiamſi præſcindamus ab illa : (hę hypotheſes non ſunt impoſſibiles , ſed practicè poſſibiles) ; *adhuc ſubſiſtit titulus , ratio , & argumentum ad probandum hominem eſſe viventem* ; in hoc ſolo ſenſu admitti debent iſtę locutiones : & in hoc ſolo utiles ſunt ad diſputandum , explorandumque eſſentias rerum : alias ſcholaſticorum locutiones uſus te docebit.

Digitized by Google

DISPUTATIO II.

In qua quindecim Quæſtiones tractantur.

1. *An, quomodo, & quando ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis?* Cap. 3.

2. Quæſtio. *An converſiones juxta illas regulas*, ſimpliciter feci &c. *ſint formales, atque legitimæ?* Cap. 5. Ubi: *An ſit bona conſequentia ex converſa ad convertentem?*

3. Quæſtio. *Qualis eſt converſio formalis, & legitima in omni materia etiam Beatiſſimæ Trinitatis.* Ibid. Ubi: *An ſubſiſtant in Divinis regulæ converſionum?*

4. Quæſtio. *An omnis homo currit, aliquis homo non currit*, ſint contradictoriæ formales, & legitimæ. Cap. 6.

5. Quæſtio. *An duæ contradictoriæ poſſint eſſe veræ ſaltem in diverſis inſtantibus.* Ubi: *An, & quomodò duo contradictoria objectiva poſſint exiſtere in diverſis inſtantibus?* Ibid.

6. Quæſtio. *An, & quo ſenſu deficere unum contradictorium ſit ſemper exiſtere alterum?* Ibid.

7. Quæſtio. *An, & quando ex negatione copulativæ, & aſſertione unius extremi ſequatur contradictorium alterius?* Cap. 7.

8. Quæſtio. *An, & quando ex veritate disjunctiva, & excluſione unius ſequatur alterum?* Ibid.

9. Quæſtio. *An ſyllogiſmi conditionales concludant ex vi formæ, & quando non?* Cap. 8.

10. *An, & quando ex conditionali, & contradictorio conditionati ſequatur contradictorium conditionis?* Ibid.

11. Quæſtio. *An, & quando ex puris negativis nihil ſequatur?* C. 9.

12. Quæſtio. *An, & quando ex puris particularibus nihil ſequatur?* Ibid.

13. Quæſtio. *An, & cur ab indiſtributo ad diſtributum non valeat?* Ibid.

14. Quæſtio. *An, & quando ſyllogiſmus non debeat conſtare niſi tribus terminis?* Ibid.

15. Quæſtio. *An, & quo ſenſu medium debeat eſſe idem in ſyllogiſmis?* Ibid.

Digitized by Google

De Modis legitimis, & illegitimis arguendi.

HIc eſt proximus Dialecticæ ſcopus, nimirùm docilem intellectum inſtruere, ut rectè ratiocinetur ſuper quacumque materia occurrente, modò affirmando, modò negando. Igitur ſupra viginti fontes, quaſi digito oſtendemus, ex quibus fermè tercenti fluunt legitimi, atque efficaces argumentandi modi, quorum occaſione illegitimos etiam, & ſophiſticos notabimus, ut ſcias reprobare malum inter philoſophandum, & eligere bonum.

CAPUT I.

Sex Modi legitimi argumentandi.

1. PRimus eſt argumentatio negativa, ſeu indirecta, ſcilicet illa, quæ immediatè, ac directè tendit in ſubverſionem rationis contrariæ, & inde quaſi retrogrado motu reſilit in ſententiam ipſam contrariam. Ut hic arguendi modus valeat, debet aſſumi in *majore*, non quidem omnis, ſed tota ratio contraria; non *omnis*, quoniam rarò unicâ ratione confutabis diſcurſus omnes contrarios; debet aſſumi *tota*; nam ſi vel unam prętermiſeris partem ex iis, in quibus ſtat nervus rationis contrarię, negabit adverſarius tuam Majorem, aut eam diſtinguet aſſuetis illis terminis, *ideò*, *præcisè*, *nego*: *ideò*, *& quia &c. concedo*; qua diſtinctione malè utetur ille, ex eo, quòd argumentum tuum non adoriatur omnes illius rationes; quia non teneris ad hoc, quando unam ſolam impugnandam ſuſcipis.

2. Trifariàm poteſt inſtrui hęc ſpecies argumentationis. Primò ſuppoſita in Majore tota ratione contrariâ, ponendo in Minore contradictorium illius, & inferendo contradictorium opinionis contrarię: v. g. *Ideò per te exiſtit* A. *quia exiſtit* B. *ſed non exiſtit* B. *ergo non exiſtit* A. Secundò repetendo in Minore eandem rationem contrariam, quam poſuiſti in Majore, addendo tamen illam imparem eſſe evincendo ſententiam illam; v.g. ideò per te exiſtit *A*. quia exiſtit *B*. ſed quanquam exiſtat B. hoc *non ſufficit ut exiſtat* A. *ergo non exiſtit* A. Tertiò ſuppoſitâ eâdem Majore, dividendo in Minore eam rationem contrariam, & prętermiſſa in ſenſu non veniente ad rem

præ-

prçſentem, negando illam in ſenſu favente ſententię contrarię; v. g. *Eatenùs per te exiſtit* A. *quia exiſtit* B. *ſed quanquam exiſtat* B. *in tali vel tali ſenſu* (qui ſit impertinens) *non tamen exiſtit in hoc ſenſu, quem modò diſputamus*; *ergo non exiſtit* A. Ratio horum trium eſt. Hęc ſpecies argumentationis negativę eſt reipsà ſolutio argumenti contrarii: at legitimus modus ſolvendi argumentum contrarium eſt unus è tribus, videlicet aut negare Antecedens, aut negare Conſequentiam, aut diſtinguere Antecedens, concedendo illud in uno ſenſu, & negando in altero; ergo hęc triplex ſpecies argumentationis negativę eſt legitima.

3. Secundus eſt argumentatio *per diſtractionem* ab una re ad aliam, nempe quando adverſarium revocas in aliud, quod cum ille probare, aut explicare non poſſit aut nolit, concludis tu mirum non eſse quod rem præſentem explicare nequeas, aut nolis: hac argumentationis ſpecie uſus eſt Chriſtus Dominus contra Judæos pravo animo percunctantes *in qua poteſtate hæc facis?* quibus reſpondit *interrogabo vos, & ego unum ſermonem* ſcilicet ſuper Baptiſmo Joannis, & cum illi reſpondere non auderent, nec Chriſtus reſpondere illis voluit: hæc argumentationis ſpecies utilis eſt, quando adverſarius impugnat tuam opinionem circa explicationem alicujus dogmatis obſcuri: nam cum ille non minus obſcuram, & difficilem dare ſoleat explicationem, jure ipſum diſtrahes ad ſuam ipſius ſententiam, ne repræhendat in aliena domo quod patitur in propria. *Matth. 21.*

4. Tertius eſt argumentatio per *inſtantiam*, ſeu per *retorſionem*, ſeu ad *hominem*, nempe quando adverſarium refutas ratione, ſive vera ſive falſa, ſed quam ille putat veram, aut ſaltem putare debet conſequenter ad ſuam doctrinam: forſan hac argumentationis ſpecie uſus eſt Chriſtus, quando Apoſtolos famelicos defendit exemplo Davidis qui panes ſacros olim manducavit: nam forſan Chriſtus Dominus factum illud Davidis non approbavit abſolutè utpote aliàs ſeviſſimè prohibitum in lege; ſed cum illi Phariſæi probarent actionem illam, ideo Chriſtus *ad hominem*, hoc eſt ex ipſorum doctrina probavit, actionem Apoſtolorum non eſse reprehendendam ab ipſis Phariſæis. *Luca 6. Exodi 29.*

5. Quartus eſt *ab authoritate*: ut argumentatio hæc ſit legitima opus eſt primò Authorem, quem objicis, loqui juxta eaſdem prorſus circumſtantias, juxta quas fuerit controverſia: ſi vel una deficiat, aut ſuperſit, aut mutetur, illhac impunè aufugit adverſarius: quocirca conſulendus eſt contextus totus verborum, perpendendus finis Authoris, nec ſententia mutilanda, ſed integra eſt proferenda. Quia re-

gulam hanc arguendi ab authoritate Macharius Patriarcha Antiochenus non obſervavit, ſumma ignominia affectus eſt, atque depoſitus à ſua dignitate coram tota Synodo ſexta generali: lege miſeram illam cataſtrophen, & exclamationes illorum Patrum coram Imperatore clamantium, reſtituendum non eſſe in priſtinam dignitatem, hominem

Sexta Synodus act. 8. 9. & 12. *teſtimonia ſanctorum, & probabilium Patrum falſantem, & quædam quidem abſcindentem, quædam verò addentem, & ſecundum quod ei videbatur in devia mittentem.*

6. Opus eſt ſecundò: contrarium revereri Authorem, quem illi objicis, aliàs enim irridebit tibi, & nihil evinces: ob hanc rationem

Lucæ 20. diſputans Chriſtus Dominus cum Saducæis negantibus reſurrectionem mortuorum, & ſubdolam quandam eorum quęſtionem reſcindens,

Iob. 19. non objecit illis celebre teſtimonium Jobi *in noviſſima die de terra ſurrecturus ſum & rurſum &c.* nec clarum illud Iſaiæ *excitabuntur mortui, & reſurgent qui in ſepulcris ſunt*, neque illud æque clarum Da-

Iſ. 24. *Dan. 12.* nielis: *multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium* neque famoſum illud Machabæo-

2. Mach. 12. rum *bene, & religioſè cogitans de reſurrectione*, ſed obſcuriſſimum

Exodi 3. quendam exodi protulit illis textum *quia vero reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominus Deus Abraham &c.*

Hieronymus Can. ſup. 22. Matth. nempe quia ut docet Hieronymus illi Saducæi Hæretici *quinque tantum libros Moyſi recipiebant, Prophetarum vaticinia reſpuentes: ſtultum ergo fuiſſet inde proferre teſtimonia, cujus authoritatem non ſequebantur.*

7. Hinc male argumentaberis primò adverſus ethnicos teſtimoniis erutis ex ſacra Scriptura, quam illi non ſuſcipiunt: ſecundò adverſus

P. Bellarmin. lib. 1. & 2. de Ver. Dei. Hæreticos ſcripturis illis, quas temere, ac ſceleratè à canone expungunt, quorum catalogum texit Bellarminus. Tertiò adversùs Græcos textibus octavæ ſynodi, quia ſolas ſeptem ampleċtuntur, ut conſtat ex Concilio Florentino. Quartò adverſus Lutheranos authorita-

Concil. Flor. ſeſſion. 5. & 6. te ullius Concilii præter prima ſex, quibus ſolis fidem præſtant. Quintò adverſus Aſiaticos Concilio ullo præter prima tria, quoniam Hæretica pravitate reliquis fidem negant. Sextò adverſus Neſtorianos

Magdeburg. cent. 8. cap. 9. & cent. 9. cap. 9. definitione ullius Concilii præter prima duo. Septimò adverſus nefarios illos Sanctiſſimæ Trinitatis hoſtes, qui nullum Concilium admittunt.

8. Ob oppoſitam rationem bene diſputabis ab authoritate,

Ad Coloſ. 2. quando illa tametſi imbecillis ſuſcipiatur ab adverſario: ſic Paulus, qui nihil ſciebat, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum, quique hac doctri-

na

na imbutos volebat ſuos Diſcipulos *videte nequis decipiat vos per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum*: quandoque tamen Arati Poetæ Græci authoritate argumentatus eſt: *ſicut, & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: ipſius enim, & genus ſumus; genus ergo cum ſimus Dei &c.* quandoque Menandri *nolite ſeduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala*: quandoque Epimenidis: dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri: teſtimonium hoc verum eſt*: imò præclara de Chriſto Domino vaticinia voluit Deus inſeri carminibus Sybillarum, ut ex libris ipſis gentium haurirent Doctores noſtri argumenta, quibus Chriſtum annunciarent, atque idcirco Paulus, teſte Clemente Alexandrino, ad lectionem Sybillarum ethnicos hortabatur.

Actor. 17. *1. ad Cor. 15.* *Ad Tit. 1.* *Lib. 6. Stromatū ante medium.*

§. II.

9. QUintus eſt argumentio *ab abſurdo*, quæ omnium utiliſſima videtur: multoties namque contingit ut adverſarius ob ignorantiam, vel proterviam rationes à priori parvi pendat, & ſola ratione deducente ad impoſſibile vel ad abſurdum deterreatur, ut bene advertit P. Suarez: quapropter non abs jure ſcripſit Averroes, *ſine illo principio*, impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe, *neminem poſſe Philoſophari, diſputare, aut ratiocinari*: hoc autem principium eſt quod energiam infigit argumento ab abſurdo: ut hæc ſpecies argumentationis ſit legitima, duo indiſpenſabiliter poſcit: primum, quod abſurdum verè ſit tale apud omnes, vel ſaltem apud tuum adverſarium, unde ſi alicujus ſcotiſtæ ſententiam impugnares ſic: *ſi hæc ſententia eſſet vera ſequeretur dari formam corporeitatis, aut dari diſtinctionem formalem ex natura rei*, immeritò irrideret ille. Secundum, quòd abſurdum re ipſa ſequatur ſequela aut metaphyſica, quæ eſt inviolabilis, aut phyſica, vel morali, quæ violatæ non ſint, ut eſſe poſſunt: aliàs negabit adverſarius ſequelam.

P. Suarez diſp. 3. Met. n. 6. & 9. *Aver. 2. Met. cap. 1.*

10. Sextus eſt argumentatio *à paritate, ſeu exemplo*: ſi paritate utaris in rebus practicis, vim habet hæc argumentatio: *in operationibus enim, & paſſionibus humanis* (loquitur Sanctus Magiſter Thomas) *in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla, quàm verba*: hæc ſpecies argumentationis requirit tria: primum quod paritas, ideſt exemplum ipſum adductum admittatur ab adverſario: alioquin paritatis ſuppoſitum negabit, & reſpondendi onus rejiciet in eum,

1. 2. q. 34. a. 1.

qui paritatem admiſerit: ſecundum quod ratio eadem, quæ antecedenti militat, militet quoque adæquatè ſumpta pro conſequente, aliàs adverſarius promptam habebit diſparitatem: tertium quod paritas non formetur ex quidditate ipſa, & natura rerum v.g. *Homo ex natura ſua eſt rationalis: ergo etiam canis, aut cedo diſparitatem* eſt argumentatio frivola; nam cum quidditatis, & naturæ rei ut talis nulla ſit dabilis ratio ſtricte à priori, quandoquidem ipſa quidditas eſt prima radix, & origo cœterarum proprietatum rei, & primę originis non datur alia nova origo (aliàs non eſſet prima) idcirco non eſt dabilis diſparitas quæ ſit formalis, & à priori, inter quidditates ipſas rerum: ergo qui hujuſmodi petit diſparitatem, petit quod non eſt dabile.

11. Hęc argumentationis ſpecies, quę ad impugnandum contrarios non magno pretio haberi ſolet ſi conferatur cum argumentis à ratione, utiliſſima eſſe ſolet ad defendendum propriam ſententiam: exempli gratia: ſint centum homines in obſcura aula diverſarum ętatum, veſtium, colorum &c. duobus modis poſſumus hoc oſtendere contradicentibus: uno agglomerando rationes, quibus probetur numerus, & diverſitas earum perſonarum, & iſte eſt longus, obnoxiuſque cavillationibus contradicentis; alio modo aperiendo feneſtram, per quam lux illapſa patefacit numerum, & diverſitatem earum perſonarum; ſic contingit, quòd aliqua opinio ex ſe ſit valde obſcura, & conſequenter ardua, & conſequenter acriter negetur ab aliis: producis unam, vel duas bonas paritates, unum, vel duo bona exempla, per quæ tanquam per feneſtras illabitur lux in eam opinionem obſcuram, & pandit latentem veritatem, & hęc manifeſtata intellectui per ſe immediatè movet ad aſſentiendum ſicut bonitas manifeſtata voluntati movet ad amandum; illa namque paritate, ſeu exemplo videt Adverſarius opinionem tuam non eſſe ita arduam, & amoto obice obſcuritatis diſponitur ad aſſentiendum; ſunt ergo argumentationes à paritate optima arma defenſiva.

12. Sed incipiamus jam aperire fontes argumentationum, quæ ſint prorsùs infallibiles, & quarum energia negari nequeat niſi à non intelligente terminos: ſunt autem hi. Primò ex definitione. Secundò ex diviſione. Tertiò ex conſequentia. Quartò ex ſuppoſitione. Quintò ex converſione. Sextò ex oppoſitione. Septimò ex connexione metaphyſica abſoluta. Octavò ex oppoſitione metaphyſica abſoluta. Nonò ex connexione terminativè conditionali. Decimò, ex oppoſitione itidem terminativè conditionali. Undecimò, ex connexio-

nexio-

nexione terminatiuè disjunctiva. Duodecimò, ex oppoſitione terminativè disjunctiva. Decimotertiò, ex veritate copulativa. Decimoquartò, ex conditionali. Decimoquintò, ex disjunctiva. Decimoſextò, ex identitatibus realibus. Decimoſeptimò, ex diſtinctionibus realibus, quæ omnia diligenter diſcuſſa pateſacient ſophiſmata, quæ ſub umbra harum veritatum latere ſolent, ut incautos adoriantur.

§. III.

13. PRiùs tamen memento, quòd quando non ſuppetunt principia, ſeu rationes phyſicè, aut metaphyſicè evidentes, ut multoties contingit, recurrendum eſt ad principia prudentialia, ut facimus in omnibus, vel ferè omnibus diſputationibus, & controverſiis ſuper rebus Fidei: ratio prima eſt: ſtultiſſimum eſt, nolle credere niſi evidentiis phyſicis, quales ſunt illæ, quæ percipiuntur oculis, tactu, vel alio ſenſu externo, aut metaphyſicis, qualis eſt, *bis tria ſunt ſex*; ergo quivis mediocriter rationalis debet contentus eſſe evidentia morali, ex principiis prudentiæ eruta, & ei cedere quando aliunde non inſurgat potentior ratio.

14. Probatur antecedens, quia aliàs 1. abjicienda eſſet omnis Religio, vel de omni dubitandum eſſet, & conſequenter redire poſſent homines impunè ad priſcam barbariem, ſive ad novum phanatiſmum (quandoquidem in nulla Religione datur evidentia prorsùs irreſiſtibilis omnium ſuorũ articulorum) & unuſquiſque eſſet ſibi Dux, ac Magiſter. 2. Omnes hæreditates negandæ eſſent, vel revocandæ in dubium, quandoquidem nuſquam datur evidentia phyſica, aut metaphyſica apud alios de eo, quod hic homo ſit filius legitimus talis Regis, talis Dynaſtæ, talis Equitis privati, in cujus hæreditatem vult ingredi, quibus argumentis uſus fuit olim Auguſtinus c. 22. de utilitate credendi, inquiens: *Si quod neſcitur credendum non eſt, quomodò ſerviant Parentibus Liberi, eoſque mutua dilectione diligant quos Parentes ſuos eſſe non credunt? non enim ratione ſciri ullo pacto poteſt, ſed interpoſita Matris auctoritate de Patre creditur: de ipſa verò matre, plerumque nec Matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis; nam cui furari poteſt Filius, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta decipere? credimus tamen, & ſine ulla dubitatione credimus, quod ſcire non poſſe confitemur.*

15. Explicatur: negotium maximi momenti, & omnium graviſſimum,

mum, quod tractat intellectus noſter, eſt fides, quæ immobilis aſſenſus eſt illis, quæ voluit Deus, & tamen ab ea disjunxit Deus omnem evidentiam phyſicam, & metaphyſicam, ut conſtat, nempe quia rationalis intellectus debet eſſe docilis, juxta petitionem Salomonis 3. Reg. cap. 3. *Dabis ergo Servo tuo cor docile*; & juxta regulam Pauli 2. ad Timotheum cap. 2. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem*: unde cùm Iſaias 54. dixiſſet: *Univerſos Filios tuos doctos à Domino*, proferens Chriſtus apud Joan. 6. hoc teſtimonium dixit; *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*; & quia hanc docilitatem arcent nimius timor, & nimia protervia, quæ duo non cedunt niſi ineluctabilibus evidentiis, idcircò ambò damnantur ad Infernum: *Timidis autem, & incredulis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti*. Apocalyp. 21. ſi ergo in aſſenſu omnium firmiſſimo debet intellectus non aſpirare ad evidentias, multò minùs in aliis.

16. 3. Omnes prorsùs humani contractus, matrimonia omnia eſſent reſcindibilia, vel in dubium revocanda, ſiquidem nunquam datur evidentia phyſica, vel metaphyſica de interno alterutrius partis conſenſu, qui ſanè indiſpenſabiliter requiritur ad valorem contractus cujuslibet. Omnium Subditorum obligatio obediendi ſuis Superioribus, & omniū filiorum obligatio reverendi ſuos parentes revocanda eſſet in dubium, quia nullus filius habet evidentiam irreſiſtibilem de eo, quod tales perſonæ ſint ſui parentes: & nullus Subditus de eo, quod talis, aut talis perſona ſit ſuus Judex, ſuus Princeps &c. nec habet evidentiam de eo, quòd illa verè præcipiat, aut velit talem rem, quoniam non habet irreſiſtibilem evidentiam de eo, quod non ſit ſpectrum aliquod, ſeu phantaſma, ſeu aliquis diabolus transfiguratus in perſonam ſui Superioris, ille, qui velle, aut præcipere videtur talem, aut talem rem.

17. His ergo, quæ ſunt cardines humanæ ſocietatis, ac commercii, loco motis, totum humanum commercium rueret, & ſocietas humana diſſolveretur, & genus humanum non formaret Rempublicam, ſed *non bene junctarum diſcordia ſemina rerum*; ergo ſtultiſſimum eſt nolle cedere, niſi evidentiis phyſicis, aut metaphyſicis; ergo multoties oportet inter argumentandum recurrere ad ſola principia prudentialia, & his ſuccumbere debet quivis mediocriter rationalis.

18. Explicatur. Per ſe loquendo, non habemus ſenſum æquè perſpicacem, ac viſum; & tamen non habemus ſenſum, qui toties

deci-

decipiat nos; ſi enim oculis credas, dices cęruleum eſſe Cęlum, cęruleos eſſe montes diſtantes, vicinos inter ſe eſſe colles, inter quos magna ſolet eſſe diſtantia, vicinum eſſe oppidum in quod pergis, & ſimilia multa, quæ ratio deprehendit falſa eſſe: è converſo fere nil eſt apud Rempublicam civilem tanti momenti, quanti legitimitas filiorum, (quot, & quanta hinc pendent) & tamen nihil eſt æquè obſcurum, atque ignotum; dumtaxat enim conſtat ex teſtimonio unius perſonæ, quæ quia eſt fœmina, quia eſt una ſola, quia eſt teſtimonium in cauſa propria, nempe proprii honoris, & ptoprii filii, in nullo alio tribunali haberet fidem; ergo natura ipſa, & conſtitutione rerum conſtat rationalem diſputatorem veritatis amantem, tricas, contentioneſque exoſum, debere contentum eſſe inter ratiocinandum argumento ex prudentia eruto, & non debere contendere, atque tergiverſari, donec evidentia irreſiſtibili obruatur.

19. Profectò ſi humani ingenii procacitati permittitur negare, aut dubitare donec irreſiſtibilis evidentia opprimat ipſum, potuiſſent Hæbrei, qui inter-fuerunt ſignis, & portentis Ægypti, maris rubri, & Montis Sina, dubitare an illa omnia eſſent vera, vel potius ſpectra, aut phantaſmata: an à vero Deo, vel à Diabolo fierent, & quamvis ipſi non poſſent, tamen ſui filii, & nepotes, qui talia miracula non viderunt: unde neceſſe eſſet, quod ſingulis generationibus mitteret Deus Angelos, qui evidentia ſimili huic *bis tres ſunt ſex* panderent hominibus ſuam legem, ac pręcepta: abſit decumana ſtultitia.

20. Secunda ratio eſt: ſi non, niſi evidentiis irreſiſtibilibus ſuccumbendum eſt, cum non probentur per metaphyſicam evidentiam duo contradictoria in his ridiculis ſpeciebus, quas ſubjicimus, ſequetur illas eſſe poſſibiles v. g. ſpeciem quamdam equorum, qui per ſe ab intrinſeco, ac eſſentialiter determinati eſſent ad ter in die verberandum calcibus aerem: oſtende per metaphyſicam evidentiam in hoc duo contradictoria, aut repugnantiam cum animalitate, & hinnibilitate ſecundùm poſitivum: item ſpeciem hominum, qui ſint eſſentialiter determinati ad ridendum bis in die, & bis in nocte, ad canendum quater in hebdomada, ad dormiendum 12. horas ſingulis diebus (loquendo ſemper de tempore merè poſſibili) oſtende per metaphyſicam evidentiam duo contradictoria, vel oppoſitionem cum animalitate, ac rationalitate ſecundùm poſitivum, & ſic frivolus quivis, & otioſus intellectus poſſet comminiſci ſpecies varias, & protervè illas defendere eo quia non probetur in illis geminum contradictorium per metaphyſicam evidentiam, abſit.

CAP. II.

C A P U T I I.

Quot modi arguendi eruantur ex Definitionibus, & Diviſionibus.

20. RESpondeo ex loco definitionis tredecim legitimas erui argumentationes: cumque definitio ſoleat eſſe duplex, una phyſica v.g. *Homo eſt compoſitum quoddam ex corpore, & anima rationali*: altera Metaphyſica v. g. *Homo eſt animal rationale*, inde fit quod ex definitione fere viginti ſex ſolent elici convincentes, & infallibiles modi argumentandi. Primò ex affirmatione definiti ad affirmationem totius definitionis. Secundò ex negatione illius ad negationem hujus. Tertiò ex affirmatione definitionis ad affirmationem definiti. Quartò ex negatione definitionis ad negationem definiti, ut videri poteſt in duabus definitionibus nuper datis: & horum ratio eſt: definitum, & tota definitio ſunt termini convertibiles, quia definitio debet convenire omni ſuo definito, & illi ſoli: ergo quoties verè affirmatur unum eſt verè affirmabile alterum, & è converſo: item quoties verè negatur unum eſt verè negabile alterum, & è converſo.

21. Quintò ex affimatione definiti ad affimationem uniuſcujuſque ex illis duobus prædicatis quibus conſtat definitio v.g. eſt homo: ergo eſt animal: eſt homo ergo eſt rationalis: eſt homo: ergo *habet corpus eſt homo* ergo habet animam rationalem. Sextò ex affirmatione prædicati differentialis, ſecus prædicati generici, ad affirmationem definiti: *eſt hinnibile ergo eſt equus*: non autem *eſt animal ergo eſt equus*: diſparitas, eſt quia prædicatum differentiale infimum debet convenire omni ſoli & ſemper ſuo definito: ergo ſi illud affirmatur, affirmabile etiam eſt definitum, aliàs non conveniret illi *ſoli*: prædicatum verò genericum convenit multis aliis: ergo ex eo quod affirmatur illud non ſequitur quod poſſit affirmari definitum: Septimò ex negatione definiti ad negationem prædicati differentialis v. g. non eſt equus: ergo non eſt hinnibilis: non verò ad negationem prædicati generici, quia hæc eſt mala conſequentia, non eſt equus: ergo non eſt animal.

22. Octavò ex negatione uniuſcujuſque prædicati definitionis ad negationem definiti v.g. non eſt animal: ergo non eſt equus; non eſt hinnibilis: ergo non eſt equus: præterea cum unumquodque ex iis duobus prædicatis, quibus conſtare debet definitio, habeat ſuas pro-

prietates

prietates in quarto modo, ideſt proprietates, quæ omni, & ſoli, & ſemper ei competunt, ſequitur quod benè arguatur. Nonò ex definito ad omnes illas proprietates ſimul v. g. eſt homo: ergo eſt ſenſitivus (ecce proprietatem genericam) & ſimul eſt riſibilis (ecce proprietatem prædicati differentialis, Decimò ex definito ad unamquamque ſeorſim ex his proprietatibus. Undecimò ex negatione definiti ad negationem proprietatum prædicati differentialis v. g. non eſt homo: ergo non eſt riſibilis: ſecus ad negationem proprietatum genericarum: nam malè argues non eſt homo: ergo non eſt ſenſitivus. Duodecimò ex negatione omnium proprietatum ſimul ad negationem definiti v. g. nec eſt ſenſitivum, nec eſt riſibile: ergo non eſt homo. Decimotertio ex negatione uniuſcujuſque ſeorſim proprietatis ad negationem definiti v. g. non eſt ſenſitivus: ergo non eſt homo: non eſt riſibilis: ergo non eſt homo.

24. Ut autem firmi ſint hi modi arguendi, oportet primò quòd definitio ſit prorſus adæquata, ut advertimus diſp. 1. cap. 6. alioquin irrita erit convertentia cum definito, in qua convertentia nituntur pleraque dicta: ob hanc rationem quanquam *animal rationale* ſit definitio Petri, eo quod ſit tota eſſentia metaphyſica illius, nullæ ſunt hæ conſequentiæ: *eſt animal rationale: ergo eſt Petrus: non eſt Petrus: ergo non eſt animal rationale*: quia animal rationale ſolùm eſt definitio Petri quoad ſpeciem, ſeu quoad eſſentiam metaphyſicam; ille autem ultra eſſentiam metaphyſicam habet à parte rei ſuam differentiam individualem (ſiquidem Petrus non ſolùm eſt eſſentialiter homo, ſed etiam talis individuus, & determinatus homo) ergo definitio illa præſcindit à quodam intimè imbibito in Petro, nempè ab hujus differentia individuali: ergo non eſt definitio adæquata illius ſecundùm totum quod ille habet à parte rei: quid mirum quod nullæ ſint illæ conſequentiæ?

25. Oportet ſecundò quòd definitum, & definitio ſumantur ſecundùm eandem acceptionem, ſive ſuppoſitionem terminorum: ſi namque definitũ juxta diverſas ſuppoſitiones, diverſas habeat definitiones, malè argues ſuppoſitiones tranſmutando v. g. homo ſumptus primò intentionaliter ſic definitur *animal rationale*; ſumptus verò ſecundò intentionaliter definitur *prædicabile de multis* tanquã tota eſſentia metaphyſica illorũ: male igitur argues ſic: talis res eſt homo: ergo eſt prædicabilis de multis tanquam tota eſſentia metaphyſica, quoniam Petrus eſt homo, & non eſt prædicabilis de multis: item ſic: hæc res non eſt prædicabilis de multis tanquam tota eſſentia: ergo non eſt *homo*, ob eandem

dem rationem; neceſſe igitur eſt definitum, & definitionem ſumi in eadem terminorum acceptione ut valeant ad convertentiam.

26. Oportet tertiò quòd definito, ac definitioni non adjungantur illa ſyncategoremata, ſeu adverbia *formaliter, de fide*, aut alia quæ mutāt ſenſum propoſitionum: quia cum Authores ſoleant variè opinari circa illa, non argumentaberis omninò efficaciter à definito ad definitionem illis terminis adjunctis: hinc non valet: *talis res eſt formaliter animal rationale; ergo eſt formaliter homo*; quoniam homo ipſe eſt formaliter animal rationale, & non eſt formaliter homo; hęc enim prędicatio *homo eſt homo* non eſt formalis, ſed identica: ſimiliter non valet ob eandem rationem *non eſt formaliter homo: ergo non eſt formaliter animal rationale*: Similiter non ſunt firmæ hæ conſequentiæ *de fide eſt* Noe emiſiſſe *Columbam ex arca: ergo de fide eſt emiſiſſe animal ſine felle*; eſto quòd hæc ſit à parte rei definitio Columbæ: neque valet hæc *non eſt de fide emiſiſſe animal ſine felle; ergo non eſt de fide emiſiſſe Columbam*: ratio eſt: licèt teſtimonium Divinum faciens de fide definitum faciat de fide *abſolutè, & in ſe* definitionem, imò, & reſpectivè etiam quoad nos quando definitio eſt aliunde nota: non tamen facit illam de fide quoad nos, quando eſt omnino ignota vel dubia: de quo Theologi ad tractatum de fide: ergo non ſemper ſequitur eſſe de fide definitionem ex eo quod ſit de fide definitum reſpectivè quoad nos.

§. II.

27. EX capite diviſionis plura emergunt argumentationis genera. Triplex ut jam diximus eſt diviſionis ſpecies. Prima totius phyſici in ſuas partes eſſentiales, ut hominis una pars eſt corpus, altera eſt anima, omittimus diviſionē in partes integrantes, quales ſunt manus, caput &c. Secunda totius metaphyſici in partes metaphyſicas, *ut eſſentiæ hominis una pars animal, altera rationale*, ubi ne intelligas eſſe partes ſicut ſunt corpus, & anima, hoc eſt realiter diſtinctas, ſed ſolùm ſunt partes mentaliter ratione noſtra, qui ut poſſimus philoſophari, & uni intelligi ab alteris circa eſſentias rerum, diſcernimus inter cognoſcendum, & loquendum cum aliis hominibus varia prædicata, quæ etiam vocantur *attributa, gradus, formalitates, rationes*, quæ verè, & ſimpliciter identificantur inter ſe, unde non ſunt verè, & ſimpliciter *multa, varia*, ſed unum quid ſimpliciſſimum; cognoſcimus tamen illa per ſpeciem multitudinis, ſicut Angelos, qui verè, & ſimpliciter non ſunt pueri, aut juvenes, cognoſcimus per ſpeciem, hoc

eſt

eſt per ſimilitudinem puerorum, aut juvenum. & ſicut æternum Patrem, quem credimus, & confitemur non eſſe corporeum, ſenem, cognoſcimus per ſpeciem, ac ſimilitudinem graviſſimi alicujus ſenis: & ſicut Spiritum Sanctum, quem credimus, & confitemur non eſſe Columbam, cognoſcimus per ſpeciem ſeu ſimilitudinem Columbæ: & ſicut noſtras ipſas animas, quas credimus, & confitemur non eſſe puellas; aut auram tenuem, aut volucrem flammam (quia iſta omnia ſunt corporea, & animæ noſtræ ſunt ſpiritus) nihilominus cognoſcimus ad modum, ſeu per ſpeciem, hoc eſt per ſimilitudinem puellarum &c. hoc jam ab initio illicò capias ne vocibus deceptus aſſueſcas pravis apprehenſionibus, ex quibus prava judicia, & diſcurſus poſtea deſcendant.

28. Tertia eſt totius Logici in partes Logicas, ſeu poteſtativas, quod contingit quando genus dividitur in ſuas ſpecies, *ut animal aliud rationale, aliud irrationale*: vel ſpecies in ſua individua ut homo alius Petrus, alius Joannes: eſt tamen diſcrimen inter has ſpecies diviſionum, quòd in prima, & ſecunda non multiplicatur diviſum in membris dividentibus: ſolum namque corpus non eſt homo, & ſolum animal non eſt eſſentia metaphyſica hominis: cæterùm in tertia diviſione multiplicatur diviſum, quoniam ſolus Petrus eſt homo, & ipſe cum Joanne ſunt duo homines: igitur ex hoc loco diviſionum, ad quem ſpectant etiam argumentationes *ab amplo*, ſeu *non reſtricto* ad *non amplum*, ſeu *reſtrictum*, ſiquidem amplum, ſeu non reſtrictum eſt diviſum quoddam reſpectu non ampli ſeu reſtricti: ex hoc inquam loco viginti ſex emergunt legitimæ atque infallibiles argumentationes.

29. Nam primò ex affirmatione totius permanentis (non autem ſucceſſivi, cujus ſcilicet partes nequeunt in eodem inſtanti exiſtere, qualis eſt hora, dies, menſis, tempus &c.) arguitur efficaciter ad affirmationem copulativam omnium ſuarum partium ut *exiſtit homo ergo exiſtunt materia, forma, & unio*; Secundò ad affirmationem uniuſcujuſque membri dividentis ut *exiſtit homo: ergo exiſtit materia: exiſtit homo; ergo exiſtit ſua anima*. Tertiò ad affirmationem vagam alterutrius, ut *exiſtit homo: ergo vel exiſtit materia, vel anima*. Quartò ad ſimiles affirmationes definitionis tum omnium, tum ſingularum partium dividentium, item tum omnium, tum ſingularum proprietatum in quarto modo genericarum, & ſpecificarum partium earundem: vide quantam ſegetem argumentationum. Ratio eſt: quoties antecedens eſt infallibiliter connexum cum conſequente, infallibilis eſt

argumentatio: ſed hoc contingit in omnibus his caſibus: nam totum permanens infallibiliter connectitur cum omnibus ſuis partibus eſſentialibus, & cum unaquaque, & cum aliqua, & cum definitionibus, ac proprietatibus in quarto modo earundem, ut rem perpendenti conſtabit: ergo.

30. Quintò ex negatione diviſi ad negationem *ſimultatis* ſuarum partium: omnes enim partes totius permanentis exiſtere ſimul ſimultate ſibi proportionata (ideſt quoad idem tempus, quoad eundem locum &c.) trahit ſecum infallibiliter exiſtentiam totius illius: ergo ſi verè negatur hæc exiſtentia, verè quoque negabilis eſt illa ſimultas, quoniam ex vera negatione termini connexionis infallibilis evincitur vera negatio fundamenti, ut ſuo loco dicemus. Sextò ex negatione diviſi ad negationem vagam alicujus partis eſſentialis, ut *homo non exiſtit; ergo vel non exiſtit materia, vel non exiſtit forma, vel non exiſtit unio*: ſi enim nulla pars deficeret, omnes prorſus exiſterent; ergo exiſteret totum ipſum: ergo ſi hoc non exiſtit; evidens eſt, quod aliquod ipſius conſtitutivum, hoc eſt pars eſſentialis non exiſtit; ex hoc ſexto argumentandi genere ſumimus frequenter in Philoſophia, & Theologia argumentum contra illos, qui vocantur *Connotatores*: at verò ex negatione totius non arguitur per ſe negatio omnium partium diſtributivè ſumptarum, neque alicujus determinatæ; quandoquidem mortuo homine permanet aliqua ipſius pars eſſentialis, nimirum corpus, & anima. Septimò ex affirmatione omnium partium ſimul ſumptarum ſimultate ſibi proportionata arguitur affirmatio ipſius: nam hoc eſt complexum, ſeu integritas omnium ſuarum partium, & nihil aliud: ergo ſi omnes ſuæ partes eſſentiales, ſi omnia ſua conſtitutiva exiſtunt, nullo dempto, neceſſe eſt quod ipſum totum exiſtat: cæterùm nec ex affirmatione vaga omnium, nec ex determinata alicujus partis infertur affirmatio totius (niſi forte ipſæ partes inter ſe habeant intimam connexionem) poteſt enim deficiente toto illo perſeverare aliquod conſtitutivum ipſius.

31. Octavò ex negatione omnium partium ſimul arguitur negatio totius. Nonò, ex negatione cujuſvis partis determinatæ. Decimò, ex negatione vaga omnium partium infertur ſimiliter negatio totius; quorum ratio eſt: eſſentia diviſi conſiſtit in complexione, ſeu integritate ſuarum partium; ergo quoties complexio hæc defecerit, deficiet ipſum totum, ſeu ipſum diviſum ſed quoties deficiant omnes partes ſimul, aut una determinata, aut aliqua disjunctivè, deficit complexio omnium, cùm ſit evidens non eſſe omnes quando deficit una; ergo.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

32. EX diviſione totius Metaphyſici decem aliæ efficaces emanant argumentationes. 1. Ex affirmatione diviſi ad affirmationem utriuſque membri dividentis ſimul; ut, *eſt homo; ergo eſt ſimul animal, & rationale*. 2. Ad affirmationem uniuſcujuſque diſtributivè, ut *eſt homo; ergo eſt animal: eſt homo; ergo eſt rationalis*. 3. Ad affirmationem definitionis omnium, & ſingulorum membrorum dividentium, nec non ad affirmationem omnium proprietatum in quarto modo tum ſpecificarum, tum genericarum eorum membrorum. 4. Ad affirmationem vagam alterutrius membri dividentis; quorum rationem jam accepiſti; ex omni quippe infallibiliter connexo cum alio infallibiliter arguitur hoc aliud: at diviſum, ſeu totum metaphyſicum eſt infallibiliter connexum cum ſimultate omnium ſuarum partium metaphyſicarum, & cum unaquaque, & cum aliqua (quia ad veritatem disiunctivæ propoſitionis ſufficit veritas unius partis determinatæ; unde ſi datur una, datur aliqua, quando res eſt capax multiplicationis; ſecùs quando eſt incapax, & propter hoc *una Deitas non infert aliquam Deitatem*) & cum definitionibus, ac proprietatibus horum omnium; ergo. Cæterùm ex affirmatione hujus totius metaphyſici, ſicut etiam totius phyſici, & negatione unius partis nihil conficies, quoniam antecedens erit impoſſibilis veritatis, cùm negatio illius partis ſit incompoſſibilis cum affirmatione totius; unde nullæ ſunt hæ conſequentiæ: *eſt homo, & non eſt animal*; (ecce hoc contradicit illi) *ergo eſt rationalis: exiſtit homo*, & *non exiſtit ſuum corpus* (ecce hoc quoque contradicit illi) *ergo exiſtit ſua anima*.

33. 5. Ex negatione totius, ſeu diviſi argues ad negationem ſimultatis ſuarum partium; ut *non eſt homo; ergo non eſt ſimul animal, & rationale*. 6. Ad negationem disjunctivam alicujus partis, ut *non eſt homo; ergo vel non eſt animal; vel non eſt rationale*: ſed non arguitur ex negatione totius ad negationem ullius partis determinatæ ſemper; ideò non valent hæ conſequentiæ, non eſt homo, ergo non eſt animal: non eſt homo; ergo non eſt rationalis; quia Angelus non eſt homo, & tamen eſt rationalis; ſed hoc intelligendum eſt, niſi fortè pars aliqua metaphyſica ſit convertibilis cum ipſo toto, ut contingit differentiis aliarum ſpecierum ab humana: tunc quippe valet conſequentia à negatione diviſi ad negationem illius partis determinatæ,

ut

ut *non eſt equus*; *ergo non eſt hinnibilis*. 7. Ex affirmatione omnium partium ſimul ad affirmationem ipſius totius, ſeu diviſi metaphyſici, ut, *eſt animal*, *& ſimul rationale*; *ergo eſt homo*; ſed non ex affirmatione unius tantùm ad affirmationem diviſi; quia non valet, *eſt animal*, *ergo eſt homo*, niſi pars illa fuerit convertibilis cum diviſo, ut hinnibilis cum equo; nec ex affirmatione vaga partium ad affirmationem diviſi, ut *eſt animal*, *vel rationale*, *ergo eſt homo*. 8. Ex negatione omnium partium ſimul ad negationem ipſius diviſi metaphyſici. 9. Ex negatione uniuſcujuſque partis determinatæ ad negationem ipſius diviſi. 10. Ex negatione disjunctiva earumdem partium ad negationem diviſi, ut *vel non eſt animal*, *vel non eſt rationale*; *ergo non eſt homo*; quorum ratio eſt pervia: diviſum omne metaphyſicum eſt intimè connexum cum omnibus, & ſingulis ſuis partibus metaphyſicis; ergo ſi deficiant omnes, aut una determinata, aut aliqua disjunctivè, neceſſe prorsùs eſt quòd deficiat ipſum diviſum: attamen ex una parte metaphyſica, neque affirmativè, neque negativè argui poteſt ad alteram, excepto quando fuerit convertibilis cum ipſo diviſo.

34. Ex diviſione totius Logici ſex conſurgunt argumentationes. 1. Ex affirmatione diviſi ad affirmationem disjunctivam alicujus ex membris dividentibus, ut, *eſt animal*; *ergo vel eſt rationale*, *vel eſt irrationale*: aſt non arguitur ad affirmationem omnium diſtributivè, aut copulativè, aut alicujus determinati; idcircò non valent hæ conſequentiæ, *eſt animal*; *ergo eſt rationale*: *eſt animal*, *ergo eſt ſimul rationale*, *& irrationale*. 2. Ex affirmatione diviſi, atque definitionis ſuæ, & ſimul negatione unius membri, aut negatione definitionis membri hujus arguitur ad affirmationem alterius membri, necnon ad definitionem hujus, ut *eſt animal*, *ſeu principium ſentiendi*; *& non eſt rationale*, *ſeu principium diſcurſus*; *ergo eſt irrationale*, *ſeu vivens non diſcurſivum*. 3. Ex affirmatione cujuſque membri dividentis, aut ſuæ definitionis arguitur ad affirmationem diviſi, & definitionis ſuæ. 4. Ex affirmatione unius membri, aut ſuæ definitionis arguitur, quando diviſum eſt eſſentiale membris dividentibus ad negationem alterius, atque ſuæ definitionis, ut *eſt animal*, *& non eſt irrationale*; *ergo eſt rationale*; quando autem diviſio non ſit id generis, non bene arguitur v. g. in hac diviſione accidentali, *corpus aliud eſt album*, *aliud dulce*, non bene arguitur ſic, *eſt corpus*, *& non eſt album*; *ergo eſt dulce*; quia illa membra dividentia non opponuntur invicem. 5. Ex negatione diviſi ad negationem omnium membrorum dividentium, &

cu-

cujuſque determinati, & etiam alicujus disjunctivæ, ut *non eſt animal; ergo neque eſt omne animal, neque eſt aliquod animal, neque eſt hoc animal in individuo*. 6. Ex negatione omnium membrorum dividentium, aut ſuarum definitionum ad negationem diviſi, ac ſuæ definitionis. Ecce illos viginti ſex modos promiſſos.

CAPUT III.

Quot Modos Arguendi offerat bona Conſequentia, ubi an ex oppoſito Conſequentis inferatur ſemper oppoſitum Antecedentis.

35. RESpondeo, offerre undecim. 1. Ab antecedenti *ad falſitatem* illius, quod opponitur cum conſequente: ſic quia eſt bona hæc conſequentia *eſt homo: ergo eſt animal*, etiam eſt bona hæc *eſt homo: ergo falſum eſt eſſe quidquam oppoſitum eſſentialiter cum eo, quod ſit animal*, quoniam primi conſequentis veritas infert neceſſariò falſitatem ſui oppoſiti: ergo omne inferens illam veritatem infert aliquid inferens hanc falſitatem: ergo infert hanc falſitatem; ſed in omni bona conſequentia antecedens infert veritatem conſequentis; ergo infert falſitatem illius, quod eſſentialiter opponitur cum ipſo conſequente. 2. Ex antecedenti arguitur ad disjunctivam vagantem inter illud conſequens, & quodcumque aliud, ut *eſt homo: ergo vel eſt animal*, vel truncus, vel chimæra; nam cum hæc disjunctiva ſit contenta uno extremo, ſequitur quod unius ſolius extremi veritas infert veritatem disjunctivam; ſed in omni bona conſequentia antecedens infert veritatem conſequentis: ergo infert veritatem disjunctivæ, cujus una pars ſit illlud conſequens. 3. Ex antecedenti illo arguitur ad definitionem conſequentis. 4. Ad propoſitionem æquipollentem hujus. 5. Ad convertentem ejuſdem; quia conſequens ipſum trahit ſecum infallibiliter veritatem harum trium: ſicut etiam veritatem cujuslibet propoſitionis disjunctivæ vagantis inter quodlibet ex iis tribus, & quodcumque aliud; ergo ſi antecedens infallibiliter infert veritatem conſequentis, infallibiliter etiam infert veritatem illorum omnium.

36. 6. Licet ex oppoſito antecedentis non ſequatur per ſe loquendo oppoſitum conſequentis, quia ſolùm ſequitur quando antecedens, & conſequens ſunt mutuò connexa; attamen ex oppoſito

con-

Digitized by Google

conſequentis ſequitur cum moderationibus mox dandis oppoſitum antecedentis ; nam quoties deficit a rebus terminus connexionis eſſentialis debet deficere fundamentum, nempè illud, quod eſſentialiter connectitur cum eo termino : ſed quoties conſequentia eſt infallibilis, conſequens ipſum eſt terminus, cum quo eſſentialiter connectitur antecedens, aliàs conſequentia non eſſet infallibilis : ergo quoties infallibilis eſt, debet deficere antecedens, ſi deficit conſeſequens : ergo ex defectu, ſeu ex oppoſito hujus ſequitur defectus, ſeu oppoſitum illius. 7. Ex oppoſito conſequentis arguitur ad definitionem oppoſiti antecedentis. 8. Ad *convertentem* ejuſdem oppoſiti. 9. Ad *æquipollentem*. 10. Ex eodem oppoſito conſequentis ſequitur disjunctiva quæcumque, cujus unum extremum ſit illud oppoſitum antecedentis, aut unum ex nuper dictis. 11. Ex eodem oppoſito ſequitur falſitas ipſius antecedentis: quorum ratio eſt: omnia hæc, & ſingula infallibiliter ſequuntur ex illo oppoſito antecedentis: ergo ſi oppoſitum conſequentis infert oppoſitum antecedentis, neceſſe eſt, quod inferat omnia ea, & ſingula.

P. Ribaden. lib. de Impoſ. q. 19.

37. Sed quia in hoc principium *ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis* acriter invehuntur quidam Doctores Complutenſes, antequam ipſorum argumenta diluamus, oportet ſeptem advertentias ipſi adjungere, ex quarum oblivione naſci ſolent importuna ſophiſmata : 1. eſt, *modò oppoſitum conſequentis non ſit evidenter apud omnes impoſſibile* ; tunc enim utpote connexum cum gemino contradictorio tam infert oppoſitum antecedentis, quàm antecedens ipſum: ob hanc rationem fallit ille arguendi modus quo aliqui definitionem poſſibilitatis repellunt, ſcilicet *poſſibile eſt illud quod ſi exiſtat non involvet duo contradictoria* dicentes illam convenire chimæræ:quoniam hæc eſt bona conſequentia *chimæra includit duo contradictoria: ergo non exiſtit*: ergo ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis etiam erit bona hæc conſequentia *chimæra exiſtit ergo non includit duo contradictoria*: ſed hoc ipſo eſt vera hæc conditionalis illativa ſi chimæra exiſtat non involvet duo contradictoria : ergo illa definitio poſſibilitatis convenit chimæræ, fallit inquam; oppoſitum enim primi conſequentis eſt evidenter apud omnes impoſſibile, quia eſt exiſtentia ipſa chimæræ : ergo ex illo oppoſito non ſolùm infertur in ſenſu reali oppoſitum primi antecedentis, videlicet chimæram non includere duo contradictoria, ſed etiam infertur antecedens ipſum, ſcilicet chimæram includere duo contradictoria: quia *ex impoſſibili quodlibet*, ut poſtea dicemus : ſed hoc eſt chimæram involvere duo contradi-

tradi-

Digitized by Google

tradictoria reflexa: ergo fugiens à directis incidis in reflexa.

38. 2. Eſt: modò antecedens ſit connexum logicè, aut metaphyſicè cum conſequente: quoniam ſi connexio fuerit purè phyſica aut naturalis, ut connexio ignis cum calore, fieri poteſt quod res formaliter immediatè oppoſita conſequenti, tam longe abſit ab inferendo adhuc illatione naturali oppoſitum antecedentis, ut potiùs metaphyſicè infallibiliter inferat antecedens ipſum: hæc enim eſt bona conſequentia in vi ſolius connexionis naturalis *exiſtunt duæ quantitates: ergo non ſunt mutuò penetratæ*, quia non poteſt fieri abſque miraculo quod duæ quantitates ſint in eodem puncto loci: & tamen eſt mala hæc conſequentia inverſa adhuc in vi illationis naturalis *ſunt penetratæ mutuò duæ quantitates: ergo non exiſtunt ſimpliciter in rebus*, quoniam duarum quantitatum penetratio, quæ eſt oppoſitum primi conſequentis, metaphyſicè connectitur cum exiſtentia abſoluta utriusque, ſiquidem omnino repugnat exiſtere in eodem loco illa, quæ non ſunt in rebus: hoc eſt unum ex eis, quibus poſtea probabimus non omnem oppoſitionem naturalem eſſe reciprocam: ergo quando conſequentię rectitudo ſit purè phyſica, & naturalis non ſemper arguitur ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis.

39. 3. Ex oppoſito conſequentis non arguitur ad oppoſitum antecedentis *diſtributivè ſumpti*, ideſt non arguitur defectus ſingularum partium antecedentis; ſed dumtaxat defectus alicujus partis, qui defectus interdum trahit ſecum, interdum non trahit defectum aliarum, ſic in hoc ſyllogiſmo *omnis homo eſt animal: omnis arbor eſt homo: ergo omnis arbor eſt animal*: oppoſitum, ſeu falſitas hujus conſequentis contenta eſt falſitate minoris, & indemnem relinquit veritatem majoris. 4. Si antecedens non fuerit *per ſe* connexum cum conſequente, ſed *per aliud*, quod rectitudinem fundet conſequentiæ, tunc ex oppoſito conſequentis non infertur determinatè oppoſitum illius antecedentis, ſed oppoſitum illius alterius, quo antecedens reddebatur connexum cum conſequente: v. g. quando datur promiſſio divina concedendi Beatitudinem homini morienti in gratiâ; eſt infallibilis hæc conſequentia: *hic mortuus eſt in gratiâ; ergo habet, vel habebit beatitudinem*: oppoſitum hujus conſequentis non infert metaphyſicè abſolutè oppoſitum illius antecedentis, quoniam ſine ullo abſurdo potuit Deus negare gloriam decedentibus in gratiâ; ſed ſolùm infert disjunctivè, ſcilicet *vel hominem* non eſſe mortuum in gratiâ, vel Deum non promiſiſſe gloriam.

40. 5. Non ex *omni* oppoſito cum conſequente, ſed ad ſummum

Digitized by Google

ex contradictorio formali, & immediato ipſius infertur ſemper oppoſitum antecedentis: fieri namque poteſt, quod aliquid oppoſitum cum conſequente tam longe abſit ab inferendo oppoſitum antecedẽtis, ut potiùs infallibiliter inferat antecedens ipſum v.g. *ignis exiſtit cum omnibus prærequiſitis ex parte ſui, & ex parte paſſi: ergo Deus præbet illi ſuum concurſum ad comburendum*; tunc ſic; eſto Deum habere hoc decretum efficax *volo exiſtere ignem cum omnibus iis prærequiſitis, & non præbere illi meum concurſum*: en decretum metaphyſicè oppoſitum cum conſequente illo, & metaphyſicè ſimul inferens illud antecedens: ergo non ex omni metaphyſicè oppoſito cum conſequente infertur oppoſitum antecedentis: verùm exceptio hæc intelligenda eſt conſentaneè ad ſecundam, nempe quando antecedens fuerit connexum tantùm naturaliter cum conſequente, ſecus quando metaphyſicè: nam licèt connexum metaphyſicè cum fundamento connexionis phyſicæ non ſit eo ipſo connexum cum termino, ut conſtat exemplo nuper dato, ſubindeque pateat locus, ut poſſit opponi cum illo: at omne metaphyſicè connexum cum fundamento connexionis metaphyſicæ eſt eo ipſo connexum cum termino, ut ſuo loco exponemus: ergo repugnat quod ſit illi oppoſitum, ergo repugnat, quod res oppoſita metaphyſicè cum conſequente ſit metaphyſicè connexa cum antecedente, quando hoc eſt metaphyſicè connexum cum conſequente.

41. 6. Nec ex contradictorio conſequentis arguitur *ſemper ad omne* oppoſitum cum antecedente, ſed directè & immediatè ad ſolum contradictorium formale illius: v. g. *Petrus habet amorem ardentiſſimum Dei ſuper omnia; ergo non habet odium efficaciſſimum ejuſdem Dei*: tunc ſic contradictorium hujus conſequentis, nimirum Petrum ardentiſſimè odiſſe Deum non infert *omne* oppoſitum illius antecedentis. Probatur, unum ex oppoſitis cum illo antecedente eſt carentia ipſa Petri, repugnat quippe, quod amet Deum ſuper omnia ille, qui non eſt in rebus; ſed odium illud non infert carentiam Petri, quinimò infert exiſtentiam, ut patet: ergo oppoſitum conſequentis non ſemper infert *omne* oppoſitum antecedentis, ſed dumtaxat contradictorium immediatum illius: 7. Neque ſemper infert *omne* contradictorium formale, & immediatum, ſed ſufficit quod inferat aliquod v. g. hæc conſequentia eſt infallibilis exiſtit Petrus: ergo non habet Deus efficacem abſolutam nolitionem exiſtentiæ illius: oppoſitum hujus conſequentis, ſcilicet efficax abſoluta nolitio Divina de eo, quòd Petrus exiſtat, non infert *omne* contradictorium illius exiſtentiæ Petri; quia cum hic conſtituatur eſſentialiter corpore, animâ, & unione.

ne, contradictorium uniuſcujuſque ex his eſt contradictorium immediatum ipſius Petri: atqui illa nolitio Divina non infert contradictorium uniuſcujuſque ex his, quippe ſolùm infert Petrum non exiſtere in rebus, & ad hoc ſufficit, quòd non exiſtat unio corporis cum anima, licet perſeverent cum exiſtentia corpus, & anima, ergo.

§. II.

42. His poſitis audiamus argumenta contraria. Primum eſt in hac infallibili conſequentiâ *Petrus actù producitur: ergo actù exiſtit*: contradictorium conſequentis eſt illud quod fuerit objectum propoſitionis contradictoriæ, nimirum *Petrus non exiſtit actù*; ſed objectum hujus propoſitionis non infert oppoſitum, ſeu defectum illius antecedentis: ergo contradictorium illius conſequentis non infert contradictorium, ſeu defectum, ſeu oppoſitum antecedentis. Probatur minor; objectum hujus propoſitionis, *Petrus non exiſtit actù*, eſt objectum hujus, *exiſtit actù*, nam cùm ambæ ſint contradictoriæ, debent habere idem objectum; ſed objectum hujus affirmativæ eſt exiſtentia Petri: ergo hæc eadem eſt objectum illius negativæ; ſed exiſtentia Petri non infert defectum illius primi antecedentis, nam illud eſt actualis ipſa productio Petri, cujus defectum certè non infert exiſtentia Petri, ut patet; ergo oppoſitum illius conſequentis non infert oppoſitum, ſeu defectum illius antecedentis. *P. Ribadeneira quæſt.cit. prop.9.*

43. Scito implexam valde diſputari difficultatem a Philoſophis, ſcilicet an dentur ex parte rerum carentiæ, ſeu contradictoria, ſeu defectus, ſeu quædam nihila, ſeu negationes? (omnia hæc ſignificant idem) Affirmant plerique, & alii negant ajentes objectum omnis penitus humanæ, Angelicæ, atque Divinæ cognitionis eſſe phyſicas ipſas, & reales exiſtentias rerum, quas intellectus tractat jam ſub velamine unarum cognitionum, jam aliarum; iſtud argumentum, ſicut & reliqua, quæ modò ſequuntur, tacitè unit has duas oppoſitas opiniones, & in hoc ſtat ſua fallacia. Noſtrum principium *ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis*, cùm ſit principium univerſale, præſcindit ab utrâque opinione: quapropter non habet ſenſum directum circa contradictoria ipſa conſequentis, aut antecedentis, quia ut dixi, de hoc dubitant Philoſophi; ſed habet hunc ſenſum reflexum, *quotieſcumque intellectus admiſerit propoſitionem contradictoriam conſequentis, quod cumque fuerit obje-*

Hum talis contradictoriæ, debet admittere propoſitionem contradicto'riam antecedentis: unde ad objectionem diſtinguo majorem: ſi ſint contradctoria objectiva, ſeu ex parte rerum, concedo: ſi non ſint; nego ſuppoſitum:. & diſtinguo minorem, non infert, ſi ſint contradictoria objectiva; nego minorem: ſi non ſint; concedo: & diſtinguo ſimiliter conſequens; ad probationem minoris diſtinguo majorem: objectum ambarum illarum propoſitionum contradictoriarum eſt idem, ſi non ſint contradictoria objectiva; concedo: ſi ſint, ſubdiſtinguo: objectum eſt idem diſtributione accommoda, concedo: diſtributione non accommoda, nego majorem: & diſtinguo minorem; objectum affirmativæ eſt ſola exiſtentia, nego: eſt exiſtentia, & carentia, ſed diverſimode, nempe illa affirmata, & hæc negata, concedo minorem: & ſimiliter explicantur cætera. Itaque ſi non ſint contradictoria, ſeu negationes ex parte rerum; totum iſtud argumentum procedit bene; ſed non impugnat noſtrum principium, quippe quod non habet ſenſum directum, ſed reflexum illum, quem dedimus; ſin verò dentur ex parte rerum carentiæ, ſeu contradictoria, dicimus quod propoſitio affirmativa, & negativa habent idem objectum, non quatenus tendant in *ſolam* exiſtentiam; ſed quatenus ambę tendunt in exiſtentiam ſimul, & carentiam, licet diverſimodè, quia propoſitio affirmativa adſtruit exiſtentiã, & deſtruit carentiam; negativa autẽ è contrario adſtruit carentiam, & negat exiſtẽtiam.

44. Eodem modo ſolvenda ſunt, quæ ſequuntur. Objicit 2. hæc conſequentia eſt infallibilis. *Deus decernit Petrum non exiſtere: ergo Petrus non exiſtit*: tunc ſic; objectum hujus conſequentis negativi eſt objectum hujus propoſitionis affirmativæ. *Petrus exiſtit*: ſed objectum hujus eſt exiſtentia Petri: ergo etiam eſt objectum illius conſequentis objectivi; ſed contradictorium hujus exiſtentiæ eſt carentia Petri: ergo contradictorium illius conſequentis eſt carentia Petri; ſed hæc carentia non infert defectum decreti, quo Deus decernat Petrum non exiſtere, cum potius videatur inferre exiſtentiam illius decreti: ergo contradictorium illius conſequentis non infert defectum hujus decreti: ſed hoc decretum eſt, quod aſſumitur in eo antecedente; ergo contradictorium conſequentis non infert defectum antecedentis: & ratio eſt: eatenus ab oppoſito conſequentis itur bene ad oppoſitum antecedentis, quatenus in omni bona conſequentiã objectum antecedentis deberet connecti cum objecto conſequentis; ſed hoc eſt falſum: probatur; ut intellectus firmiter procedat a propoſitione aſſerente præfatum decretum ad propoſitionem negan-

tem

tem exiſtentiam Petri, non requiritur, quod tale decretum connectatur, ſed potiùs quòd opponatur cum exiſtentia Petri; ſed tale decretum eſt objectum illius antecedentis; & exiſtentia Petri eſt objectum illius conſequentis, quia eſt objectum propoſitionis contradicentis, ſcilicet Petrus exiſtit: & propoſitiones contradictoriæ debent habere idem objectum; ergo. Ecce redit ad idem, unde reſpondemus idem, ſi non ſint carentiæ, negationes, ac contradictoria ex parte rerum concedimus totum diſcurſum, ſed non nocet noſtro principio; quia in hac ſuppoſitione habet ſenſum illum reflexum, quem dedimus, & ille ſenſus ſtat firmus independenter ab iſtis defectibus, ſeu contradictoriis: ſi verò ex parte rerum dentur carentiæ ſeu contradictoria, jam diximus, quod propoſitio affirmativa, & negativa non dicuntur habere idem objectum quatenus ambæ tendant in ſolam exiſtentiam; ſed quatenus ambæ tendunt diverſitate jam dicta in exiſtentiam & in carentiam objectivam.

§. III.

45. Objicit 3. hæc conſequentia eſt legitima, *Petrus non exiſtit; ergo Deus habet nolitionem exiſtentiæ Petri*, defectus ſeu contradictorium hujus nolitionis eſt contradictorium hujus conſequentis objectivi, ut patet: item contradictorium exiſtentiæ Petri eſt contradictorium illius antecedentis objectivi, quoniam exiſtentia ipſa eſt objectum illius antecedentis negativi, cùm ſit objectum hujus propoſitionis *Petrus exiſtit*, quæ eſt contradictoria illius antecedentis; ſed contradictorium illius nolitionis de exiſtentia Petri non infert contradictorium ipſius Petri, ut patet: ergo contradictorium conſequentis objectivi non infert contradictorium antecedentis objectivi: Adverſarius redit ad idem, & tu ad idem redeas, nempe principium noſtrum *ab oppoſito conſequentis &c.* non habere ſenſum directum circa ipſa contradictoria his argutiis obnoxium (quamvis indulgentes modo communi loquendi nos etiam utamur illo in ſenſu directo, quando ſumus extra has cavillationes) ſed reflexum illum jam dictum: & adde quo ſenſu propoſitiones contradictoriæ habent, ac non habent idem objectum.

46. Objicit 4. hæc conſequentia eſt legitima, *Petrus non exiſtit: ergo productio A. Petri non exiſtit*: objectum hujus conſequentis eſt productio *A.* & objectum illius antecedentis eſt exiſtentia Petri: ergo

con-

contradictorium conſequentis objectivi eſt contradictorium productionis *A.* & contradictorium antecedentis objectivi eſt contradictorium exiſtentiæ Petri: ſed defectus, ſeu contradictorium *A.* non infert defectum, ſeu contradictorium Petri, ſiquidem deficiente productione *A.* poteſt Petrus exiſtere ex vi productionis *B.* ergo ex contradictorio conſequentis non ſemper arguitur ad contradictorium antecedentis. Juxta jam dicta diſtinguo hoc conſequens ex contradictorio objectivo, ſeu in ſenſu directo non ſemper arguitur &c. permitto conſequentiam; quia ſi non dantur talia contradictoria objectiva, certè non arguitur ex illis quidquam: ex contradictorio in ſenſu reflexo, nego conſequentiam: quia quidquid ſit de objecto, quod habent, aut non habent propoſitiones contradictoriæ ex capite carentiarum, quas multi agnoſcunt ex parte objecti, & multi negant, firmum ſtat, & inconcuſſum, quod ſi ſemel concedis propoſitionem contradictoriam alicujus conſequentis infallibiliter illati ex antecedente, debes concedere propoſitionem contradictoriam illius antecedentis.

47. Objicit 5. hæc conſequentia eſt infallibilis: *exiſtit creatura, ergo exiſtit Deus*: ſed defectus hujus conſequentis objectivi non infert defectum antecedentis objectivi: probatur; nullus defectus purè fictus, & apparens infert eſſentialiter defectum realem, & verum, ſicut quòd homo habeat meram apparentiam mortui non probat illum eſſe mortuum, imò ſi eſt mera apparentia, certum eſt illum eſſe vivum: ſed omnis imaginabilis defectus illius conſequentis objectivi eſt defectus purè fictus, & apparens, quia Deus non poteſt verè, & realiter deficere ab exiſtendo: ergo nullus defectus, ſeu contradictorium illius conſequentis objectivi infert defectum verum, & realem illius antecedentis, ſed ad ſummum inferet defectum fictum, & apparentem: redit hic Author ad rem ſimilem: diſputant enim Philoſophi ſit necne cognoſcibile ab intellectu objectum, quod in ſe ſit chimæra, quod in ſe ſit ens rationis, unis affirmantibus, & alteris negantibus:

48. Principium noſtrum ab hoc præſcindit, quia dignitate non fungeretur principii univerſalis, ſi opinionibus iſtis privatis ſe ingereret: habet ergo ſenſum reflexum dictum, ſcilicet quoties intellectus concedat propoſitionem contradictoriam conſequentis, ſive objectum illius ſit purè fictum, & apparens, ſive verum, & reale; debet concedere contradictoriam antecedentis quomodolibet ſit ſuum objectum: unde diſtinguo minorem, defectus reflexus hujus conſequentis objectivi, hoc eſt propoſitio contradictoria illius conſequentis non infert contradictoriam antecedentis nego: quia ſi ſemel conceſſeris hanc,

Deus

Deus non exiſtit, debes concedere hanc, *Creatura non exiſtit*, quodcumque ſit objectum ambarum, quia hoc ſpectat ad alias quæſtiones: defectus directus, & immediatus non infert &c. permitto minorem: & ſimiliter explicantur reliqua. Alia argumenta, quæ fieri poſſunt contra hoc principium ſolvemus propriis in locis.

CAPUT IV.

Quot Argumentationes præbeat ſuppoſitio Terminorum.

49. Suppoſitio argumentationibus opportuna eſt quadruplex: *diſtributiva*: *copulata*: *determinata*: *confuſa*, cùmque omnes multiplicitatem innuant illius termini, cui immediatè adhærent, omnes poſcunt terminum univerſalem, ne falſa ſuppoſitione laborent: dixi *cui immediatè adhærent*, quippè non ſignificant directè aut indirectè multiplicitatem termini, quem mediatè ſolùm afficiunt, ut conſtat in his prædicationibus veris *omnis Perſona divina eſt Deus*: *nullus lapis eſt Deus*; utrobique enim ille terminus *Deus* prorſus ſingularis, & multiplicationis incapax afficitur mediatè, ſeu à longe illis diſtributivis ſignis *omnis, nullus*; & tamen non ſignificatur multiplicitas Dei, alioquin falſæ eſſent ambæ propoſitiones.

50. Igitur ſubjectum v. g. propoſitionis tunc ſupponitur *diſtributivè*, quando prædicatum enunciatur de ſingulis contentis ſub illo ſubjecto: & tunc prædicatum ſupponitur *diſtributivè*, quando prædicatum enunciatur de ſingulis contentis ſub illo ſubjecto: & tunc prædicatum ſupponitur diſtributivè, quando ſingula contenta ſub illo enunciantur de ſubjecto eodem: quam ob rem terminus diſtributivè acceptus non eſt reſolvendus, ſeu applicandus per unicam propoſitionem, ſed per multas, in quarum ſingulis enuncietur prædicatum de uno: v. g. *omnis homo peccat* exponitur ſic: *hic Homo peccat*: *& hic homo peccat &c.* hæc autem cujus prædicatum ſupponitur diſtributivè; *Deus eſt omnis ſua perfectio* reſolvitur ſic: *Deus eſt hæc ſua perfectio immenſitas &c.* quod ſi ſubjectum, & prædicatum ſuppoſitione afficiantur diſtributiva, propoſitio implexa ſatis erit: quoniam explicanda eſt duplici claſſe propoſitionum, in quarum una erunt propoſitiones, quarum ſingulæ enuncient unum contentum ſub prædicato de uno contento ſub ſubjecto: & in claſſe altera erunt propoſitiones, quarum ſingulæ enuncient unum contentum etiam ſub ſubjecto v. g. hæc propoſitio, *omnis Perſona divina eſt realiter omne attributum divinum*

vinum, reſolvitur ſic *Pater eſt realiter omnipotentia*, *& eſt realiter immenſitas &c. & etiam Filius eſt realiter omnipotentia*, *& eſt realiter immenſitas: & etiam Spiritus Sanctus eſt realiter omnipotentia*, *& eſt immenſitas*: cùmque propoſitio, cujus ſubjectum, & prædicatum ſupponuntur diſtributivè, reſolvatur in tot, & tot alias propoſitiones, quarum ſi una ſola ſit falſa, erit quoque falſa copulatio omnium, hac de cauſa multifariam eſt obnoxia falſitati propoſitio, cujus tam ſubjectum, quàm prædicatum ſupponantur definitivè, & ideò pauciſſimæ ſunt veræ.

51. Hinc infertur 1. Propoſitionem, in qua datur ſuppoſitio diſtributiva, fore falſam ſimul, ac una ſola ex eis, in quas reſolvitur, falſa ſit; quoniam omnis propoſitio copulativa requirit ad ſui veritatem, quòd ſingula membra, quibus conſtat, ſint vera, quia hoc eſt, quod enunciat, nimirùm ſimultatem veritatum membrorum ſuorum: ſed quoties propoſitio habet ſuppoſitionem diſtributivam æquivalet, ſeu reſolvitur in propoſitionem copulativam coaleſcentem ex omnibus eis ſingularibus propoſitionibus jam dictis; ergo requirit ad ſui veritatem omnes, & ſingulas omnes propoſitiones eſſe veras; ergo ſi vel una ſola ſit falſa, erit quoque falſa ipſa propoſitio, in qua eſt terminus ſupponens diſtributivè.

§. II.

52. INfertur 2. Enodatio illius ſophiſmatis: *Omnis homo eſt omnis homo*; *ſed Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt omnis homo*; cujus major eſt identica ſupponens eodem modo in ſubjecto, & in prædicato ille terminus *homo*, unde illa major videtur tam vera, quàm hæc, *Hic homo eſt hic homo*: rursùs minor eſt certa, & tamen conſequens illud legitimè illatum eſt falſum. Neque prodeſt dicere minorem debere eſſe hanc, *Petrus eſt omnis homo*, ut hic terminus habeat in minore eandem ſuppoſitionem diſtributivam, quam in majore, aliàs ut hic etiam ſyllogiſmus eſſet rectus, *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*; hæc minor dicere debebat, *Petrus eſt omnis homo*, ut in minore perſeveraret eadem ſuppoſitio diſtributiva, quæ eſt in majore.

53. Solvitur autem negando illam majorem, quæ videtur identica; etenim ponamus duos tantùm eſſe homines, Petrum, ac Joannem; illa major reddit hunc ſenſum, *Petrus eſt Petrus*, *& Petrus eſt Ioannes*: *& Ioannes eſt Ioannes*, *& Ioannes eſt Petrus* (cùm enim ſub-

ſubjectum, & prædicatum ſupponantur diſtributivè, utrumvis reſolvendum eſt per integras propoſitiones juxta nuper dicta; ſed in eo ſenſu, ſive reſolutione, ſive explicatione deteguntur duæ propoſitiones falſæ, ut vides; ergo legitima explicatio illius majoris, quæ dicitur identica, imbibit propoſitiones falſas; ergo illa major non eſt identica, ſed falſa: hæc intellige ſumpta illa majore in ſenſu directo, in quo licèt ſit falſa, hæc tamen eſt vera: *Omnis homo eſt aliquis homo*, ſiquidem Petrus eſt aliquis homo, & Joannes eſt aliquis homo &c. ſi autem ſumatur illa major in ſenſu reflexo, ita ut ſuppoſitio diſtributiva, quam præſefert, admiſceatur cum ſuppoſitione copulata reflexa, vera erit illa major, quia dabit hunc ſenſum: *Complexum ex omnibus, & ſingulis hominibus eſt complexum ex omnibus, & ſingulis hominibus*, ſeu hunc: hic terminus, *Omnis homo ſignificat idem quod hic terminus omnis homo*; & ambæ ſunt illæ propoſitiones identicæ, quæ hic quæri poſſunt: verùm illius ſyllogiſmi conſequentia erit mala; quia *homo* in majore fungitur ſuppoſitione reflexa, aut copulata, & in minore ſuppoſitione directa; variatis autem hoc modo ſuppoſitionibus nihil concluditur.

54. Infertur 3. Solutio ſimilis ſophiſmatis, nempe: Omnis homo eſt ſubjectum adæquatum hujus propoſitionis: *Omnis homo eſt animal*; ſed Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt ſubjectum adæquatum illius propoſitionis, quod apertè eſt falſum. Reſpondeo, aut ſumitur in majore illud ſubjectum *omnis homo* in ſenſu directo, ac juxta ſuppoſitionem purè diſtributivam, aut in ſenſu reflexo, & juxta ſuppoſitionem copulativam reflectentem ſupra illam diſtributivam, quam præſefert propoſitio ipſa? Si primum, nego majorem, quoniam ſignificabit *Petrum eſſe ſubjectum adæquatum illius propoſitionis, & Joannem eſſe ſubjectum adæquatum illius propoſitionis*; ſed hoc eſt planè falſum; ergo falſa eſt illa major in hoc ſenſu. Si ſecundum, concedo majorem, & minorem, ſed nego conſequentiam; quia *homo* non habet in minore ſenſum reflexum, ſed directum; ergo mutatur hujuſmodi ſuppoſitio; ergo nihil concluditur.

55. Quod ſi replices, ſubjectum adæquatum illius propoſitionis non eſſe hunc ſolum hominem, neque aliquem præcisè, ut patet; ergo eſt omnis homo. Hoc diſtinguo, omnis homo diſtributivè ſumptus diſtributione pura, & directa, nego: diſtributione admixta ſophiſticè cum ſuppoſitione copulativa reflectente ſupra ipſam diſtributivam, concedo; ſenſus enim, in quem verti oportet ea propoſitio, eſt hic, *Petrus, & Ioannes, & Paulus, & reliqui ſunt ſubjectum*

adæquatum hujus propoſitionis, *omnis homo eſt animal*, ubi prædicatum, nimirum *eſſe ſubjectum* adæquatum ejus propoſitionis, non enunciatur de unoquoque, ſed de complexo ex cunctis hominibus. Quodnam igitur eſt contradictorium illius propoſitionis? Reſpondeo, ſi homo ſupponatur diſtributivè diſtributione pura, & directa, hæc erit contradictoria: *Aliquis homo non eſt ſubjectum adæquatum &c.* quod eſt verum, imò nullus homo: & conſequenter altera eſt falſa; ſi autem ſumatur diſtributivè diſtributione reflexè affecta per ſuppoſitionem copulativam, æquivalet propoſitioni ſingulari, quoniam ſubjectum illius eſt ſingulare, ſcilicet complexum ex cunctis hominibus; (non autem eſt dabile multiplex complexum ex cunctis hominibus) ergo inſtar ſingularium aſſignanda eſt contradictoria præponendo negationem toti propoſitioni ſic: *Non omnis homo eſt ſubjectum adæquatum &c.* hæc autem propoſitio eſt falſa in hac ſuppoſitione, & conſequenter illa altera eſt vera.

56. Infertur 4. Solutio hujus ſimilis nodi: *Aliquis homo eſt individuum vagum*; *ergo vel Petrus eſt individuum vagum*, *vel Ioannes &c.* quod eſt falſum, cùm antecedens ſit verum. Reſpondetur, illud eſſe verum in ſenſu reflexo, & ſecundo intentionali; quia de ſingulis hominibus propoſitis ſub ea expreſſione, *aliquis homo*, verificatur eſſe individuum vagum, id eſt eſſe illud, de quo enunciare poſſumus eſſe hominem, non autem *eſſe* hunc determinatè, aut illum determinatè; quia licèt reverà ſit unus determinatè, hoc nobis non panditur ex vi præcisè illius expreſſionis, *aliquis homo*. Cæterùm antecedens illud eſt falſum in ſenſu directo, ſeu primo intentionali, in quo ſolo idoneum erat inferendo conſequens; quippe de nullo ſub propria ſingulari, & characteriſtica expreſſione verificatur eſſe individuum vagum, quandoquidem de unoquoque homine ſub proprio ſuo nomine poſſumus dicere eſſe talem hominem determinatum, & ſingularem.

57. Infertur 5. Solutio Paralogyſmi probantis omnes partes hominis *diſtributivè* ſumptas eſſe partes ejuſdem hominis *collectivè* ſumptas, ideſt unamquamque eſſe omnes, quod jam vides falſum eſſe. Paralogyſmus eſt, omnes partes hominis diſtributivè ſumptæ non ſunt corpus ſolùm; non ſunt anima ſola; non ſunt unio ſola; quæ tria vera ſunt: ergo ſunt ſimul corpus, anima, & unio: ſed hæc tria ſimul ſunt omnes partes hominis collectivè ſumptæ; ergo omnes diſtributivè ſumptæ ſunt omnes collectivè ſumptæ; ergo unaquæque pars alicujus totius eſt ipſum totum. Diſtinguo antecedens: non

ſunt

ſunt corpus ſolùm, non ſunt anima ſola *in una ſola propoſitione*, concedo; quia, ut diximus, terminus diſtributivè ſupponens non reſolvitur per unicam propoſitionem, ſed per multas; non ſunt corpus ſolùm *in una propoſitione*, & anima ſola *in alia propoſitione*, nego antecedens, & conſequentiam; etenim prædicatum illud enunciatum de omnibus partibus diſtributivè acceptis, enunciatur de ſingulis partibus, & quidem diſtributione accommoda per *propoſitiones diſtinctas*, v. g. *Omnes partes diſtributivè ſemper diſtinguuntur inadæquatè à toto*, reddit hanc ſenſum complexum ex multis propoſitionibus: *Corpus diſtinguitur inadæquatè à toto, & etiam anima diſtinguitur inadæquatè à toto*: ubi non fit mentio ſolius corporis, neque ſolius animæ, ſed utriuſque; verùm in propoſitionibus diverſis, ita ut *diſtinctio inadæquata à toto* non enuncietur de utraque ſimul, ſed de unaquaque ſeorsìm.

§. III.

58. HActenus de ſuppoſitione diſtributiva, quâ abuti ſolent Sophiſtæ: eam important ſemper omnia, & ſola ſigna univerſalia, ſive ſint quoad numerum, ut Omnis, Nullus, Utervis, Uterque, Neuter: (nam etiam hæc diſtribuunt illa duo, quæ ſignificant) ſive ſint univerſalia quoad tempus, ut *Semper*, *quotieſcumque*, *Nunquam*; ſive quoad locum, ut *Ubivis*, *Ubilibet*, *Nullibi*, *Nuſpiam*; ſive deni que ſint univerſalia quoad illos modos, quos tractat Dialectica, ut *Neceſſe*, *Impoſſibile*; quocirca omnes propoſitiones, in quibus audieris aliquod ex his vocabulis, vel aliud æquivalens, intelligere debes juxta explicationem ſuppoſitionis diſtributivæ paulò ante datam.

59. Suppoſitio *copulata* tunc datur in ſubjecto propoſitionis, quando prædicatum enunciatur per unam, eandemque tum formaliter, tum æquivalenter propoſitionem, non de una tantùm parte ſubjecti, ſed de cunctis ſimul impartitè, atque indiviſè v. g. *omnes Planetæ ſunt ſeptem*: ubi ſeptenarius numerus non enunciatur de Saturno ſolo aut de Saturno, & Jove ſolis, ſed de cunctis nullo dempto, & quidem per unicam propoſitionem, non multas, ſic v. g. *Saturnus, Iuppiter, Mars &c.* ſunt ſeptem: idem dic de hac, *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*; quod ſi aliquando contingat prædicatum diſtingui adæquatè ab aliqua parte ſubjecti, provenit ex eo quod pars illa non ſignificetur in recto, ſed in obliquo, ut contingit in hac, & ſimilibus *Album eſt rationale*, di-

Google

ſtinguitur utique adæquatè rationalitas ab albedine, ſed ideo vox illa *Album* non ſignificat in recto albedinem, ſed in obliquo.

60. Tunc afficit ſuppoſitio copulata prædicatum, quando cunctæ partes hujus, nullâ exceptâ, enunciantur ſimul impartitè, ac indiviſè de ſubjecto: v.g. homo eſt *corpus*, *anima*, *&* *unio*, ubi de ſubjecto neque per unicam, eandemque propoſitionem affirmatur corpus ſolum, neque anima ſola, neque ſolum corpus & anima, ſed ſimul atque quaſi unico impetu corpus, anima, & unio. Tunc demum hæc ſuppoſitio afficit ſubjectum, ac prædicatum, quando per unicam tum formaliter, tum æquivalenter propoſitionem complexum ex omnibus, quæ ſonant ex parte prædicati enunciatur de complexo ex omnibus, quę ſonant ex parte ſubjecti: v.g. *omnes partes collectivè ſumptæ ſunt omnes partes collectivè ſumptæ*: quæ propoſitio eſt vera, & identica, quando vertitur in hanc, *complexum ex omnibus partibus eſt complexum ex partibus omnibus*: unde clara fluit diſparitas ad hanc *omnes partes diſtributivè ſumptæ ſunt omnes partes diſtributivè ſumptę*, quæ, tametſi videatur identica, eſt ſophiſtica, & falſa, ut ſupra diximus de illa, *omnis homo eſt omnis homo*: reddit enim hunc ſenſum complexum *corpus eſt corpus*, *&* *corpus eſt anima*, *&* *anima eſt anima*, *&* *anima eſt corpus*, ubi jam detegis duas falſas enunciationes: ecce involucra, quæ imbibit illa propoſitio, quę identica videbatur, quorum ratio eſt: ſuppoſitio diſtributiva ęquivalet multis propoſitionibus, in quarum ſingulis enuncietur unumquodque contentum ſub prędicato diſtributo de unoquoque contento ſub diſtributo ſubjecto: ſuppoſitio verò copulata uni dumtaxat ęquivalet propoſitioni, in qua acervus, ſeu multitudo, ſeu complexum ex omnibus, quę ſonant ex parte prędicati affecti ſuppoſitione copulatâ enunciatur uno quaſi impetu de multitudine, ſeu complexo ex omnibus, quę ſonant ex parte ſubjecti affecti ſuppoſitione copulata; ſin verò has ſuppoſitiones decuſſaveris affigens ſubjecto ſuppoſitionem copulatam, & prędicato diſtributivam, aut vice verſâ, magnam confuſionem, & non neceſſariam induces: oportet tamen has duas ſpecies ſuppoſitionum benè notas habere, quia prava earum intelligentia eſt origo multarum captionum.

61. Suppoſitio *determinata* tunc afficit ſubjectum commune, quando prædicatum enunciatur de aliquo determinato ſingulari, quin modus ipſe enunciandi explicet potiùs unum, quam alterum ſingulare, & quin ad ſui veritatem requirat potiùs unum, quàm alterum: v. g. *aliquis homo peccat*, ut hoc ſit verum, opus eſt aliquem

deter-

determinatum ſingularem hominem peccare, & propter hoc vocatur hæc ſuppoſitio *determinata*, cum alioquin ſit vaga, & diſiunctiva in ſuo modo tendendi, quoniam falſa eſſet ſi nullus peccaret; cæterùm non explicat quiſnam ſit ille, nec requirit ad ſui veritatem quod potiùs Petrus, quàm Joannes, aut è converſo, peccet: quocirca reddit hunc ſenſum: *vel hic homo peccat*, *vel ille homo peccat*, & ſic divagando per cunctos homines, nam ſi vel unus ſolus omittatur fieri poteſt ut ille ſit, qui peccat, & cœteri non peccent. Tunc hæc ſuppoſitio afficit prædicatum, quando aliquod ſingulare determinatum contentum ſub illo enunciatur de ſubjecto, ſed non aperitur quodnam ſit illud ſingulare: v.g. *Petrus eſt aliquis homo*: ut ſit vera hæc propoſitio neceſſe eſt aliquam determinatam humanitatem convenire Petro; ſed non potius hanc, quàm illam: unde ſic reſolvitur, *Petrus eſt vel hic homo*, *vel hic homo*, & ſic divagando non per duos, vel tres, quia reſolutio exponetur periculo fallitatis, ſed per cunctos homines poſſibiles.

62. Tunc demum afficit ſubjectum, & prædicatum, quando determinatum aliquod ſingulare contentum in termino communi enunciatur de determinato alio ſingulari, ſed neutrum clarè exprimitur, neutrumque determinatè requiritur formaliter ex vi ſolius propoſitionis ad hujus veritatem, v.g. *aliquis homo eſt aliquod animal*; ad veritatem enim hujus propoſitionis requiritur, quòd unus individuus homo ſit unum individuum, & ſingulare animal; ſed propoſitio hęc neque aperit quis ſit ille homo, neque quodnam ſit illud animal, neque formaliter ut talis ad ſui veritatem requirit potiùs hunc hominem, quàm illum, aut potiùs hoc animal quàm illud. Exponitur hic caſus triplici propoſitionum ſerie, in quarum una ſint propoſitiones divagantes per cuncta individua humana ſic; *vel hic homo eſt aliquod animal, vel ille homo eſt aliquod animal &c.* in alia claſſe ſint propoſitiones vagantes per cunctas ſpecies, atque individua animalium, nulla & nullo omiſſis v. g. *aliquis homo vel eſt hoc animal*, *vel eſt illud animal &c.* in tertia demum claſſe ſint propoſitiones per utraque individua nullo dempto vagantes ſic; *vel hic homo eſt hoc animal*, *vel eſt illud animal*: *vel ille homo eſt hoc animal*, *vel eſt illud animal &c.* quam ob rem jam vides deſcenſum, ſeu explicationem exactam dictę propoſitionis debere fieri per infinitas alias propoſitiones nexas illâ particulâ, *vel*.

63. Suppoſitio confuſa datur ex parte ſubjecti v. g. quando prędicatum ita enunciatur de ſubjecto aliquo communi, ut non ſit neceſſe

eſſe, quod conveniat abſolutè ulli ſingulari individuo contento in illo ſubjecto communi. v.g. *Equus requiritur ad equitandum. Navis eſt neceſſaria ad navigandum. Oculus requiritur ad videndum. Penna ad ſcribendum*, & in ſimilibus propoſitionibus: etenim in prima (idem reſpectivè de cœteris) illud prędicatum *requiritur*, ita enunciatur de natura equina, ut non ſit neceſſarium ad veritatem, quod ulli ſingulari, & individuo equo abſolutè conveniat, ſiquidem re vera nulli convenit in particulari; quod non accidit in ſuppoſitione determinata, ſeu disjunctiva nuper explicata: quoniam ſi eſt verum aliquem hominem peccare, eſt prorſus neceſſarium, quod aliquis individuus, & ſingularis peccet.

64. Hæc ſuppoſitio confuſa non invenitur, niſi quando aliqua res connectitur vagè, ſeu disjunctivè cum multis, ut navigatio cum navibus, viſio cum oculis, terminus cum actionibus, materia cum formis; ſemper autem reſolvenda, atque explicanda eſt per connexionem abſolutam, atque determinatam ſic. *Equus requiritur ad equitandum; ergo quoties detur equitatio, & nullus alius ſit præter equum A, hic requiritur*; & ſimiliter reſolvuntur illæ aliæ propoſitiones. Hucuſque convenit ſuppoſitio confuſa cum illa altera determinata, ſeu disjunctiva, quia etiam illa ſic explicanda eſt; differt tamen, quia quando ſubjectum ſupponit confusè, prædicatum pro uno ſolo caſu, poteſt verè convenire uni ſingulari, nimirum pro caſu, quo cœtera omnia abſint, quapropter *requiri ad equitandum* ſolum pro caſu, quo nullus alius ſit equus, poteſt verè convenire equo A. quando verò datur ſuppoſitio determinata, ſeu vaga, ſeu disjunctiva, prædicatum poteſt convenire uni individuo, & ſingulari, tametſi etiam ſint alia, quibus conveniat: quoniam aliquem hominem peccare poteſt eſſe verum, etiamſi multi peccent, quanquam non requiratur hoc, ſed ſufficiat, quod unus ſolus homo peccet; unde infertur, quod ſuppoſitio confuſa tunc ſolum datur, quando ſunt illæ voces ſignificantes connexionem, *requiritur*; *eſt neceſſarium*; *opus eſt*, & ſimiles

§. IV.

65. His poſitis ex ſuppoſitione diſtributiva affirmativa octo eruuntur modi efficacies arguendi, & totidem in diſtributione negativa: quod intelligendum eſt, quando diſtributio cadit ſupra ſubjectum duntaxat propoſitionis: nam ſi cadat ſupra

pra copulam etiam, aut ſupra prædicatum, aut ſupra omnia, innumeri alii reſultabunt; igitur ex termino diſtributivè ſuppoſito arguitur infallibiliter. Primò ad unumquodque ſingulare ſolum, v.g. *omnis homo peccat: ergo hic homo peccat*: quoniam ſi hic non peccaret, eſſet verum, *aliquis homo non peccat*, quæ eſt contradictoria illius primę; ergo illa prima eſſet falſa: ergo ſi non eſt falſa, ſed vera, vera quoque eſt, *hic homo peccat*.

66. Secundò ad disjunctivam vagantem inter unumquodque ſingulare, & quodvis aliud ſive verum, ſive falſum; ſive poſſibile, ſive impoſſibile v.g. *omnis homo peccat: ergo vel hic homo peccat, vel Gallus cantat, vel chimæra ridet*. Tertiò ad disjunctivam vagantem inter omnia illa ſingularia, v. g. *omnis homo peccat: ergo vel hic homo peccat, vel ille homo peccat &c.* Quartò ad eadem ſingularia affecta per quantitatem particularem v.g. *omnis homo peccat: ergo aliquis homo peccat*: ratio eſt plana: omne ex quo infallibiliter ſequitur aliquid, ex quo infallibiliter ſequitur aliud, eſt id ex quo infallibiliter ſequitur illud aliud, ut declarabimus agentes de connexionibus rerum: ſed ex illo antecedente *omnis homo peccat* infallibiliter ſequitur *hunc hominem peccare*: & ex hoc infallibiliter ſequuntur ſecundum, tertium, & quartum, quod diximus: nam illa omnia ſunt disjunctiva, & ad veritatem cujuſvis disjunctivæ ſufficit veritas unius partis, tametſi reliquæ ſint falſæ aut impoſſibiles, ut conſtat in hac propoſitione vera *Deus exiſtit, vel non exiſtit*, cujus hæc ultima pars manifeſtè eſt chimærica: ergo.

67. Arguitur. Quintò ad ſingula inferiora, enunciando prædicatum de unoquoque per diſtinctas propoſitiones unitas invicem v. g. *omnis homo peccat: ergo hic homo peccat, & ille homo peccat, & ille alius homo peccat &c.* Sextò ad definitionem tum ſubjecti tum prædicati, tum utriuſque horum omnium v.g. *omnis homo peccat: ergo hoc animal rationale peccat*: item *ergo hic homo avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam*: ſic ſolet definiri peccatum; item *ergo hoc animal rationale avertitur à Deo &c.* en definitiones ſubjecti, & prædicati. Septimò ad propoſitionem convertentem horum omnium diſtributione accommoda v. g. *omnis homo peccat: ergo aliquid, quod eſt peccans, eſt homo*. Octavò ad falſitatem omnium propoſitionum contrariarũ, & contradictoriarum ſuarum v.g. *omnis homo peccat: ergo falſum eſt nullum hominem peccare*: en contrariam: item *ergo falſum eſt aliquem hominem non peccare*: en contradictoriam: ſimiliter de cæteris, & ſimiliter etiam quando ſuppoſitio diſtributiva eſt in prædicato, ut, *Deus eſt omnis ſua perfectio*: & ſimiliter etiam quando ſuppoſitio diſtributiva eſt negativa, ut *nullus homo eſt lapis*.

Digitized by Google

68. Suppoſitio *copulata* cũ faciat propoſitionem ſingularem tametſi conſtantẽ termino aliàs communi quatuor ſolas perhibet argumentationes. Primò ad omnia imbibita in ſubjecto vel prędicato (ſi ſuppoſitio copulata afficiat illud) quin ullum ex eis omittatur conjungendo illa omnia in unica propoſitione, & enunciando prædicatum non de ſingulis, ſed de omnibus v. g. *omnes Planetæ ſunt ſeptem: ergo Saturnus, Iupiter, Mars &c. ſunt ſeptem*: quod ſi vel unum omittas, falſum erit conſequens, & mala conſequentia, ut in hoc eodem exemplo conſtat: niſi fortè prædicatum eo quod ſit ex tranſcendentalibus conveniat unicuique illorum, quæ habent ſuppoſitionem copulatam v. g. *omnes partes hominis collectivè ſumptæ exiſtunt*: quia hinc non modò infertur *ergo materia, & forma, & unio exiſtunt*: ſed etiam, *ergo materia exiſtit, & forma exiſtit*, quod ex peculiari natura naſcitur illius prædidicati, nequeuntis convenire abſolutè ac ſine limitatione toti, quin etiam conveniat ſingulis partibus illius quando totum non eſt ſuceſſivũ, ſed permanens. Arguitur ſecundò ad definitiones eorum omnium conjungendo ſimiliter illas in unica propoſitione, & enunciando prædicatum de omnibus ſimul. Tertiò ad definitionẽ prædicati enunciando illam de cunctis illis, quæ ſunt in ſubjecto, aut de cunctis definitionibus illorum. Quartò ad falſitatem contrarii, vel contradictorii horum omnium conſequentium.

69. Ex ſuppoſitione determinata, ſeu disjunctiva (quæ duo vocabula non eſſe oppoſita jam explicavimus) quinque depromes legitimas argumentationes. 1. ad omnia ſingularia nullo dempto enunciando prædicatum de quolibet in propoſitionibus diſtinctis, ſed colligatis particulà aliquâ disjunctivâ v.g. *aliquis homo peccat; ergo vel hic homo peccat, vel ille homo peccat &c.* Ratio eſt pervia: ſi falſum eſſet hoc conſequens disjunctivum vagans per omnes homines, eſſet verum nullum hominem peccare: ergo eſſet vera contradictoria illius, aliquis homo peccat: ſed hoc eſt impoſſibile quando illa eſt vera: ergo quando eſt vera eſt impoſſibile quod ſit falſum illud conſequens: ergo neceſſariò eſt verum. Diximus *nullo dempto*: quoniam ſi non numerantur omnia ſingularia, mala erit argumentatio v. g. *aliquis homo peccat: ergo vel Ioannes peccat vel Petrus peccat*: abſit, quia poteſt eſſe alius diſtinctus ab his duobus.

70. Arguitur 2. ad unumquodque ſingulare ſub hypotheſi tamen defectus cœterorum omnium v. g. eſto tres ſolos eſſe homines, hæc conſequentia eſt legitima, *aliquis homo peccat: ſed non hic, neque ille: ergo ille alius*: quoniam ſi neque ille alius peccaret, nullus ex tribus

pec-

peccaret, & conſequenter eſſet falſum: *aliquis homo peccat: ergo vel hoc animal rationale peccat, vel illud peccat &c.* 4. Ad definitionem prædicati enunciatam ſimiliter de illis ſingularibus v. g. *ergo vel hic homo avertitur à Deo, vel ille homo avertitur à Deo &c.* 5. Ad definitionem prædicati enunciatam ſimiliter de definitionibus ſingularium v.g. *ergo vel hoc animal rationale avertitur à Deo, vel illud animal rationale avertitur à Deo &c.* 6. Ad falſitatem contrariorum omnium, & contradictoriorum cujuslibet ex his. Modos arguendi ex ſuppoſitione confuſa oriundos attingemus, quando connexionem terminativè disjunctivam, in qua illi fundantur, exponemus.

CAPUT V.

Quot Argumentationes eliciantur ex converſione Propoſitionum.

71. CONverſio Logica propoſitionum eſt *unius ad alìud per extremorum tranſpoſitionem conſequentia neceſſaria*: unde converſio idonea eſt, ut in illa formentur modi omnes arguendi efficaciter, quos dedimus agentes de conſequentia: convertitur propoſitio, quando aſſumitur pro ſubjecto illud, quod erat ſuum prædicatum, & pro prædicato illud quod erat ſubjectum v. g. *nullus homo eſt Angelus*, (en propoſitionem, quæ vocatur converſa) *ergo nihil quod eſt Angelus eſt homo*) en quæ vocatur convertens, quia hæc ſecunda aſſumit pro ſubjecto prædicatũ alterius, & pro prędicato ſubjectum, unde poſſet vocari *Invertens*: ſimiliter *omnis homo eſt animal ergo aliquid, quod eſt animal* (ecce pro ſubjecto prædicatum alterius.) *eſt homo*: harum conſequentiarum energia eſt infallibilis, quia fundantur in eo quod omnis identitas realis adæquata, & omnis realis diſtinctio eſt mutua, quod ſuo loco oſtendemus: unde fit quod ſi *A.* eſt *B.* realiter adæquatè (ecce converſam) prorſus neceſſarium eſt quod *B.* ſit *A.* (ecce convertentem.) item ſi *A.* non eſt *B.* ſeu diſtinguitur realiter à *B.* eſt prorſus neceſſarium quod *B.* non ſit *A.*

72. Sed hic occurrit gravis quæſtio, ſcilicet, an ſint formales hæ converſiones, & ſimiles: Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo: Omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal eſt homo? Major Logicorum pars affirmat, ſed reverà non videntur converſiones formales, ſeu legitimæ ex vi formæ, ſed tantùm ex vi materiæ,

teriæ. Probatur. Quemadmodùm argumentationem eſſe formalem, ſeu concludere ex vi formæ, ſtat in eo quòd tale habeat artificium, ut in quacumque materia ſervetur nulla penitùs excepta concludat, quod ſi non contingat, dicimus illam argumentationem non eſſe formalem, ſeu non concludere ex vi ſui artificii, ſed ad ſummum ex vi materiæ, de qua procedit ille diſcurſus.

73. Ita converſionem eſſe formalem ſtat in eo, quòd eam habeat inverſionem, ſive tranſpoſitionem terminorum, ut ubilibet, in quacumque materia ſervetur, infallibiliter ſequatur veritas convertentis, ſi ſemel conceditur veritas converſæ: ergo quoties hoc non contingat, converſio non erit formalis, ſeu non concludet ex vi ſui artificii, ſeu non erit principium prorsùs univerſale, & metaphyſicum: ſed hoc ita contingit in iſtis converſionibus. Probatur. Loco illorum terminorum, *homo*, *lapis*, *animal*, qui ſunt univerſales, pone terminum omninò ſingularem, & deprehendes converſam eſſe veram, & convertentem falſam, & conſequenter deprehendes converſionem non eſſe legitimam, ſeu non concludere, quandoquidem inconcuſſum ſtat, quòd ex vero nunquam poteſt ſequi falſum, v. g. *Nullus lapis eſt Deus; ergo nullus Deus eſt lapis*: en converſam veram, & convertentem falſam, quia hæc ſecunda ſupponit multiplicitatem Deorum. Similiter: *Omnis Perſona Divina eſt Deus; ergo aliquis Deus eſt Perſona Divina*: ecce idem. Similiter. *Aliqua Perſona Divina eſt Deus, ergo aliquis Deus eſt Perſona Divina*; ecce idem: ergo iſtud artificium, ſeu iſte modus tranſponendi terminos non eſt univerſalis in omni penitùs materia; ergo non eſt formalis, ſeu legitimus ex vi formæ, ſed tantùm ex vi materiæ, nimirùm quando hæc fuerit capax multiplicationis.

74. Quando igitur converſio erit formalis, & in omni prorsùs materia univerſalis? Reſpondeo. Quando ſigna illa innuentia multiplicitatem non afficiant immediatè prædicatum converſæ, ſed *illud quod eſt illud prædicatum*, v. g. *Nullus lapis eſt Deus; ergo nihil quod eſt Deus* (v. g. Pater, ac Filius, ac Spiritus Sanctus) *eſt lapis*. En convertentem veram legitimè illatam ex vera converſa. Similiter: *Omnis Perſona Divina eſt Deus: ergo aliquid quod eſt Deus* v. g. *Pater eſt Perſona Divina*; converſio eſt legitima, & ambæ ſunt veræ: ſimiliter: Aliqua Perſona Divina eſt Deus; ergo aliquid quod eſt Deus, v. g. Pater, eſt Perſona Divina; alias converſiones difficiliores in Divinis explicuimus in Præludio ad Scholaſticam diſciplinam diſp. 1. cap. 5. Idem dico quando ſubjectum, & prædicatum ſunt univerſalia,

lia, v. g. Nullus lapis eſt animal; ergo nihil quod eſt animal, eſt lapis. Omnis homo eſt animal; ergo aliquid quod eſt animal, eſt homo: ſed cùm Logici plerumque abſorpti ſint in iis ſuis univerſalibus, & in eis bene procedat ratione materiæ illa converſio, hac de cauſa apud illos invaluit ille modus convertendi tanquam formalis, & univerſalis, & poſteà hærent quando converſio fit in materia Trinitatis.

75. Hinc capies non ſpernendam utilitatem, ſcilicet principia logica extendi etiam uſque ad Myſterium Trinitatis, & hoc non adverſari regulis converſionum bene, & formaliter factarum, ut vidiſti in exemplis datis; etenim ſicut converſiones non ſunt excogitatæ pro caſu, quo inter ſubjectum, & prædicatum detur tantùm identitas, aut diſtinctio inadæquata, ſed adæquata: & non adæquata per rationem, ſed adæquata phyſicè à parte rei, ut dicemus ſuo loco: ita regulæ, principia, & firmitas converſionum logicarum non ſunt reſtringenda ad caſum, in quo non detur diſtinctio virtualis, aut formalis ex natura rei (poſteà explicabimus ambas) *inter prædicatum, & id quod eſt prædicatum*, ſed concipienda ſunt cum præciſione ab iſto caſu, ſive materia particulari; atqui ſi converſiones fiant prout à nobis factæ ſunt modò, erunt firmæ, & univerſales, ſive dentur, ſive non dentur illæ diſtinctiones inter *prædicatum*, & *id quod eſt prædicatum*; ſi autem fiant, & concipiantur modo Logicis ſolito, non ſunt firma, quando datur aliqua ex illis diſtinctionibus, ut oſtendimus, ſiquidem ex converſa vera ſequetur convertens falſa; ergo ſolæ converſiones, quas dedimus ſunt formales, & quas plerumque dant Logici ſunt purè materiales.

§. II.

76. Converſio trifariàm fieri ſolet. 1. *Simpliciter*. 2. *Per accidens*. 3. *Per contrapoſitionem*. Propoſitio convertitur ſimpliciter quando in convertente perſeverat eadem quantitas, (id eſt idem ſignum univerſale, aut particulare *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis &c.*) quæ erat in converſa; eademinquam quantitas quoad numerum, quoad tempus, quoad locum, quoad modum, & ſic convertuntur univerſalis negativa, & particularis affirmativa, v.g. *Nullus homo eſt lapis; ergo nihil quod eſt lapis eſt homo. Aliqua Perſona Divina generatur; ergo aliquid quod generatur eſt Perſona Divina. Impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem; ergo impoſſibile eſt id, quod eſt lapis, eſſe hominem*. Convertitur *per accidens*, quando quantitas

univerſalis, quæ erat in converſa mutatur in particularem; & ſic convertuntur univerſalis affirmativa, & univerſalis negativa; v. g. *Omnis Perſona Divina eſt Deus; ergo aliquid quod eſt Deus eſt Perſona Divina. Nullus homo eſt lapis; ergo aliquid quod eſt lapis non eſt homo.* En in utraque quantitatem illam univerſalem, *Omnis*, *Nullus*, mutatam in particularem *Aliquid*.

77. Convertitur *per contrapoſitionem*, quando ſervata in convertente quantitate eâdem converſæ tranſmutantur ſubjectum, & prædicatum, ſed ex finitis evadunt infinitata: hoc modo convertuntur univerſalis affirmativa, & particularis negativa; v. g. *Omnis homo eſt animal; ergo omne quod eſt non animal* (ecce infinitatum *animal* ratione negationis præpoſitæ) *eſt id, quod eſt non homo*; ecce infinitatum ſimiliter illum terminum *homo. Omnis Perſona Divina eſt Deus; ergo omne, quod eſt non Deus eſt id quod eſt non Perſona Divina.* Item, *Aliquis homo non eſt lapis; ergo aliquid quod eſt non lapis non eſt id, quod eſt non homo.* Has tres converſiones redegerunt priſci Logici ad hos rudes verſus:

Simpliciter feci, convertitur Eva per Acci;
Aſt O. per contra; ſic fit converſio tota.

78. *A.* in his regulis logicis ſignificat univerſalem affirmativam Omnis, Quoties, Ubicumque, Neceſſe. *E.* univerſalem negativam; v. g. Nullus, Nunquam, Nullibi, Impoſſibile. *I.* particularem affirmativam, v. g. Aliquis eſt, Aliquando, Alicubi, Poſſibile eſt. *O.* particularem negativam, v. g. Aliquis non, Aliquando non, Alicubi non. Poſſibile eſt non. Quapropter hi verſus docent, quòd *E.* atque *I.* ideſt univerſalis negativa, & particularis affirmativa, quæ ſunt in illa voce *Feci* convertuntur ſimpliciter, & quòd *E.* atque *A.* quæ ſunt in illa voce *Eva*, convertuntur per accidens; & quòd *A.* & *O.* quæ ſunt in illa voce *Aſto*, convertuntur per contrapoſitionem.

79. Ex hoc loco converſionum multa ſophiſmata erui ſolent, ad quæ extricanda regula generalis eſto. Propoſitio non eſt cæco impetu convertenda, ne ex converſa vera deſcendat convertens falſa; ſed examinandus eſt ſenſus, quem reddit converſa, & juxta illum danda eſt convertens; in hac poni debent jam affirmativè, jam negativè iidem prorsùs termini, qui erant in converſa, & in eodem ſenſu, & in iiſdem ſuppoſitionibus, excepta quantitate, quæ, ut vidiſti, interdum mutatur: ob hanc regulam violatam malæ ſunt, prout jacent hæ undecim converſiones, & conſequenter malæ, atque fallaces hæ conſequentiæ, quibus alias ſimiles conſiderare potes.

80.

80. 1. *Aliqua ſpecies eſt homo; ergo aliquis homo eſt ſpecies*: malè, quia homo in prima accipitur ſecundò intentionaliter prout eſt unum quoddam univerſale; in ſecunda accipitur primò intentionaliter, nempe procedit ea propoſitio circa hominem prout eſt à parte rei; ergo mutatur ſuppoſitio; ergo nihil habetur: convertenda igitur eſt: *ergo homo eſt aliqua ſpecies*, ita ut illa vox *homo* ſumatur etiam ſecundò intentionaliter, prout ſignificat unum individuum, & ſingulare ex numero univerſalium; ſunt enim multa univerſalia, ſicut multi lapides: & homo ſumptus reflexè, ac ſecundò intentionaliter eſt unum ex univerſalibus. 2. *Aliquod generans* (ſcilicet Pater Æternus) *eſt Eſſentia Divina*: ergo Eſſentia Divina generat, ſeu eſt aliquid generans; malè, quia Eſſentia Divina nec generat, nec generatur; quapropter ſic debet converti; *ergo Eſſentia Divina eſt aliquid, quod eſt generans*, quod verum eſt, quoniam illa eſt Paternitas, quæ eſt aliquid, quod eſt generans Filium; neque putes eſſe idem *Eſſentia eſt generans*, & *Eſſentia eſt id, quod eſt generans*; quemadmodùm non ſunt idem, Pater eſt Filius; Pater eſt id, quod eſt Filius; nam primum eſt falſum, ſecundum verum; nam Pater eſt Eſſentia Divina, quæ etiam eſt Filius; ratio autem eſt: Eſſentia Divina, & id quod eſt generans, nempe Paternitas, diſtinguuntur invicem ea diſtinctione, quam infra explicabimus, & quæ vocatur diſtinctio virtualis; ergo ex eo, quòd Eſſentia ſit illud, quod eſt generans, & id, quod eſt generans generet, non ſequitur Eſſentiam generare; ergo non ſunt idem, *Eſſentia eſt id quod eſt generans*: *Eſſentia generat*.

81. 3. *Nullum corpus eſt album; ergo nullum album eſt corpus*: aut *ergo aliquod album non eſt corpus*: malæ ambæ; nam illa prima negat unionem albedinis cum corpore; ſecunda, & tertia tacitè ſupponentes exiſtentiam albi, ſupponunt quoque hanc unionem; ergo non manet ſuppoſitio eadem; quomodò ergo vonvertenda eſt? Reſpondeo. Quando converſa negativa unicè eſt vera ob defectum formæ, quam connotat prædicatum, non eſt convertenda in propoſitionem tacitè ſupponentem illam formam, v.g. *Nullus equus exiſtit exiſtentia equina* (nempe quia omnis equus ſit mortuus, ſubindèque neque hac, neque illa, neque ullla exiſtentia exiſtat) non ſic convertitur; *ergo aliquod exiſtens exiſtentia equina non eſt equus*; neque ſic, *ergo nihil exiſtens exiſtentia equina eſt equus*; quoniam illa prima unicè ob defectum exiſtentiæ equinæ poteſt eſſe vera: hæ autem duæ tacitè ſupponunt hanc exiſtentiam; ergo non ſunt bonæ convdrſiones; quocirca

circa ejuſmodi propoſitiones convertendæ ſunt in disjunctivam vagantem inter negationem illius formæ, & negationem illius prædicati de illo ſubjecto; v.g. Nullus equus exiſtit exiſtentiâ equinâ; ergo vel nulla datur exiſtentia equina, vel nihil exiſtens per illam eſt equus; aut ſic; *ergo vel nulla datur exiſtentia equina, vel aliquid exiſtens per illam, non eſt equus*; quæ disjunctiva eſt vera ratione primæ partis, quamvis ſecunda ſit falſa. Similiter itaque convertitur illa: *Nullum corpus eſt album; ergo vel nullum datur album, vel illud non eſt corpus*; quæ ſecunda pars, licèt neceſſariò ſit falſa, illa prima poteſt eſſe vera.

82. 4. Nullus ſenex erit puer; ergo nullus puer erit ſenex: malè, quia in prima ſenex ſupponit de præſenti, & puer de futuro; in ſecunda è contra puer de præſenti, & ſenex de futuro: convertitur itaque ſic: ergo nullus qui erit puer eſt ſenex. 5. Omnis puer erit ſenex; ergo aliquis ſenex erit puer: malè, quia in prima accipitur puer de præſenti, & ſenex de futuro: in ſecunda puer de futuro, & ſenex de præſenti: convertitur itaque, *ergo aliquis, qui erit ſenex eſt puer*. 6. Aliquis homo eſt mortuus; ergo aliquis mortuus eſt homo: malè, quia homo in priore accipitur de præterito, (non enim eſt modò, ſed fuit anteà homo ille, qui modò eſt mortuus) & in poſteriore de præſenti; unde ſic convertitur, *ergo aliquis mortuus fuit homo*. 7. *Aliquod animal non eſt Petrus; ergo Petrus non eſt aliquod animal*: eſt ambigua; ſi namque negatio in hac ultima diſtribuat terminum *animal*, quem poſt ſe invenit, falſa erit, & conſequenter mala converſio, quippe ſignificabit Petrum non eſſe ullum ex cunctis animalibus; ſin verò terminum illum relinquat cum ſua vaga, & disjunctiva ſuppoſitione, converſio erit bona, & convertens vera; quia Petrus reipsà non eſt equus, & conſequenter non eſt aliquod quoddam animal.

83. 8. Poſſibile eſt nullum corpus eſſe album; ergo poſſibile eſt nullum album eſſe corpus; malè: prima namque non ſupponit exiſtentiam albi; ſecunda hanc exiſtentiam ſupponit tacitè, quia reddit hunc ſenſum: *poſſibile eſt nullum, quod ſit album, eſſe corpus*, qui ſenſus eſt falſus: convertitur itaque; ergo poſſibile eſt vel non exiſtere ſubjectum album, vel illud non eſſe corpus; quæ disjunctiva eſt vera ratione primi membri. 9. Neceſſe eſt omne album eſſe corpus: ergo neceſſe eſt aliquod corpus eſſe album, quod falſum eſt; ſed converſio eſt mala: etenim vel prima ſupponit abſolutam exiſtentiam *albi* (& ſic eſt falſa, cum non ſit neceſſe exiſtere in rebus ſubjectum album),

Digitized by Google

album), vel ſolum enunciat identitatem illius cum corpore pro caſu, quo album exiſtat. & tunc convertens debet eſſe hæc: *ergo neceſſe eſt aliquod corpus eſſe album caſu, quo detur album in rerum natura*; quæ vera eſt.

84. 10. *Impoſſibile eſt omne animal eſſe hominem: ergo impoſſibile eſt aliquem hominem eſſe animal*; mala converſio per accidens: quoniam veritas antecedentis non conſiſtit in repugnantia animalis utcumque cum homine, ſed *omnis animalis cum homine*: ergo idem terminus ponendus eſt in convertente, & dicendum. *ergo impoſſibile eſt aliquem hominem eſſe omne animal*: ob eandem rationem fallit hæc; *non eſt neceſſe omne corpus eſſe arborem: ergo non eſt neceſſe aliquam arborem eſſe corpus*, quod eſt falſum: igitur cum veritas converſæ conſiſtat in illo termino complexo *omne corpus*, & propter illum ſolum ſit vera, ille idem debet poni in convertente ſic: *ergo non eſt neceſſe aliquam arborem eſſe omne corpus*. 11. Impoſſibile eſt nullum hominem eſſe animal; *ergo impoſſibile eſt aliquod animal non eſſe hominem*; eſt ambigua: vel enim convertens diſtribuit animal, & dat hunc ſenſum, *impoſſibile eſt dari ullum animal, quod non ſit homo*, quod cum ſit falſum, non poteſt eſſe convertens illius prioris, quæ vera eſt; vel non diſtribuit animal, ſed dumtaxat reddit hunc ſenſum: impoſſibile eſt aliquod, ideſt quoddam determinatum animal non eſſe hominem; & hoc eſt verum, & converſio legitima, quoniam impoſſibile eſt animal rationale non eſſe hominem.

§. III.

85. His præmiſſis ſegregare oportet propoſitiones *abſolutè* enunciantes identitatem, aut diſtinctionem inter ſubjectum, & prædicatum ab enunciantibus *conditionatè* connexionem, aut oppoſitionem, aut coexiſtentiam, aut ſeparationem conditionis a conditionato: de harum converſione agemus, quando argumentationes conditionatas evolvemus; in præſenti verò de illis ſolis.

86. Igitur ex converſione ſeptem deſcendunt legitimæ argumentationes. Prima ex converſa ipſa ad convertentem; etenim ut ſupra inſinuavimus, & infra oſtendemus infallibilis, atque univerſalis eſt reciprocatio identitatis realis adæquatæ, atque diſtinctionis: ſi enim A. adæquatè identificatur cum B., neceſſarium eſt, quod B. adæquatè identifitetur cum A.; quoniam vel ita identificatur A. cum B. ut ſi-

ſimul diſtinguantur virtualiter, vel non; ſi primum cum diſtinctio virtualis, & etiam formalis ex natura rei trahant ſecum identitatem eorum extremorum, quæ ſic diſtinguuntur, ut ſuo loco exponemus, palam fit, quod ſi A. ita identificarur cum B., ut ab eo diſtinguatur virtualiter, A., & B. identificantur realiter inter ſe: ergo A. cum B., & B. cum A., ſi ita identificatur A. cum B., ut nulla inter ipſa detur diſtinctio virtualis: ergo omnia penitus, quæ conveniunt uni, conveniunt alteri, ſed rei A. competit identificari ſecum ipſa; ergo etiam rei B. convenit identificari cum A. Hoc modo ſufficiat; cum ergo in converſa enuncietur identitas, aut diſtinctio ſubjecti cum prædicato; in convertente autem identitas, aut diſtinctio prædicati cum ſubjecto, ſequitur, quod ſi eſt vera converſio debet eſſe vera convertens.

87. Sed non modica occurrit quæſtio. An ſcilicet converſa, & convertens valeant ad convertentiam, ideſt an ſicut ex converſa ſemper infallibiliter ſequitur convertens, ex hac etiam ſemper infallibiliter ſequatur illa? Et videtur omnino affirmandum juxta nuper datam rationem ex reciprocatione identitatis prædicati cum ſubjecto: ſed reſpondemus negativè; etenim vel converſio eſt inter ſubjectum, & prædicatum omninò ſingularia, v. g. *Petrus eſt hic homo: ergo hic homo eſt Petrus. Verbum Divinum eſt Deus: ergo Deus eſt Verbum Divinum*: & tunc converſa, & convertens reciprocè ſe inferunt ob rationem datam numero antecedenti.

88. Vel converſio eſt inter terminos univerſales, ut eſſe ſolet; & iterum oportet diſtinguere; vel enim converſio eſt ſimpliciter, aut per contrapoſitionem: vel per accidens? ſi primum æque bene arguitur ex convertente ad converſam, atque ex hac ad illam: quapropter ſicut eſt bona hæc conſequentia, *nullus homo eſt lapis: ergo nullus lapis eſt homo*; ita eſt bona hæc, *nullus lapis eſt homo: ergo nihil quod eſt homo, eſt lapis*; & ſicut eſt bona hæc; *aliquis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt homo*: ita eſt bona hæc; *aliquod animal eſt homo: ergo aliquis homo eſt id, quod eſt animal*, & ſimiliter de aliis. Ratio autem eſt; converſio eſt conſequentia: ergo quoties converſio ſit reciproca, conſequentia eſt reciproca; ſed omnis converſio ſimpliciter, vel per contrapoſitionem eſt reciproca, quia, ut inſinuavimus, conveſa vertitur in convertentem, & convertens in converſam: ergo in omni converſione ſimplici, & per contrapoſitionem conſequentia eſt reciproca.

89. Ob oppoſitam rationem non eſt reciproca conſequentia in converſione per accidens; quocirca licèt firma ſit hæc: *Omnis homo*

eſt

Digitized by Google

eſt animal; *ergo aliquod animal eſt id*, *quod eſt homo*; hæc tamen nulla eſt, *aliquod animal eſt homo*; *ergo omnis homo eſt animal*; quia ad veritatem prioris ſufficit identitas *alicujus* hominis cum animali; ad veritatem poſterioris requiritur identitas *omnium*, & ex identitate alicujus non ſequitur formaliter, & univerſaliter identitas omnium, quanquàm hæc reverà detur; ſimiliter licèt hæc ſit bona, *nullus homo eſt ſanctus*; *ergo aliquis Sanctus non eſt homo*: mala eſt hæc, *aliquis Sanctus* (puta Angelum) *non eſt homo*; *ergo nullus homo eſt Sanctus*; quorum ratio eſt: tametſi veritas univerſalis inferat particularem, utpotè partem ſui ipſius, & intrà ſua viſcera imbibitam; attamen veritas particularis non infert univerſalem: ſed in converſione per accidens propoſitio converſa eſt univerſalis affirmativa, aut negativa, & propoſitio convertens eſt particularis, ut conſtat; ergo quanquàm converſa per accidens inferat convertentem, hæc non infert illam; ergo in converſione per accidens conſequentia non eſt reciproca; ergo falſum eſt; quòd ſicut ex converſa ſemper, ac infallibiliter ſequitur convertens; ita ex hac ſemper, & infallibiliter ſequatur illa.

90. Arguitur 2. ex converſa ad reflexam convertentem ipſius convertentis, niſi fortè converſa ipſa ſit hæc reflexa convertens, quia tunc non datur locus conſequentiæ formali. 3. Ad æquipollentem convertentis, v. g. *Nullus homo eſt lapis*; *ergo omnis lapis non eſt homo*; quia cùm *omnis non* perinde valeat ac nullus, hæc, quam poſuimus, æquipollet huic alteri: *Nullus lapis eſt homo*, quæ eſt immediata convertens illius primæ. 4. Ad ſubalternam convertentis, ſi eam habuerit. 5. Ad ſubalternam quoque æquipollentis, v. g. *Nullus homo eſt lapis*, *ergo aliquis lapis non eſt homo*. 6. Ad propoſitionem, in qua ſint definitiones horum omnium, vel aliquorum. 7. Ad falſitatem propoſitionis contrariæ, aut contradictoriæ uniuſcujuſque ex his; quorum ratio eſt. Ex converſa ſequitur infallibiliter convertens, ut manet probatum; ergo ſequuntur etiam omnes illæ propoſitiones, quæ ſequuntur ex convertente: ſed omnes hæ, quas meminimus, ſequuntur ex convertente, ut eas conſideranti conſtabit; ergo omnes hæ ſequuntur ex converſa; ergo ex illa arguitur benè ad omnes has.

Digitized by Google

§. IV.

91. LOngè plures argumentationes præbet converſio modalium. Propoſitio modalis eſt illa, in qua non ſolùm enunciatur unum de alio, verùm etiam modus, quo illud unum convenit, vel repugnat huic alii; v. g. *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal. Impoſſibile eſt omnem hominem eſſe lapidem*. Illud, quod enunciatur affirmativè, aut negativè, vocatur *dictum*: alterum verò, nempe *Neceſſe*, *Impoſſibile*, vocatur *Modus*, & licèt modi, quibus unum poteſt enunciari de alio, ſint innumeri; Dialectica tamen de ſolis tribus agit, ſcilicet, *Neceſſe eſt*: *Impoſſibile eſt*: *Poſſibile eſt*: ad quod interdum reducitur quartus alius, ſcilicet *Contingens eſt*.

92. Hæ propoſitiones modales poſſunt eſſe univerſales ex parte *Modi*, & *Dicti*, ut ſunt illæ duæ, quia *Neceſſe* correſpondet ei ſigno univerſali *Omnis*: & *Impoſſibile* illi alteri *Nullus*. Poſſunt etiam eſſe particulares ex parte modi, & dicti, v. g. *Poſſibile eſt aliquem hominem currere*. *Poſſibile eſt aliquem hominem non currere.* Poſſunt etiam eſſe univerſales ex parte modi, ſed particulares, aut ſingulares ex parte dicti, v. g. *Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal*. *Impoſſibile eſt aliquem hominem non eſſe animal*. *Neceſſe eſt hunc hominem eſſe animal. Impoſſibile eſt hunc hominem non eſſe animal.* Poſſunt item eſſe particulares ex parte modi, ſed univerſales, aut etiam particulares, aut etiam ſingulares ex parte dicti; v. g. *Poſſibile eſt omnem hominem eſſe animal*. *Poſſibile eſt aliquem eſſe animal*. *Poſſibile eſt Petrum eſſe animal*.

93. Cæterùm, ſicut quòd ſint affirmativæ, aut negativæ non taxatur per id, quòd habeant dictum affirmatum, aut negatum, ſed per id, quòd *Modus* ſit affirmativus, aut negativus: atque idcircò hæc modalis eſt affirmativa, *Neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem*; & hæc eſt negativa: *impoſſibile eſt omnem hominem eſſe lapidem*; ita quòd modalis ſit quantitatis univerſalis, aut particularis, non eſt definiendum penès id, quòd dictum ſit univerſale, aut particulare, ſed penès modum; quocirca hæc eſt univerſalis, *Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal*. *Impoſſibile eſt hunc hominem eſſe lapidem*. Et hæ ſunt particulares, *Poſſibile eſt omnem hominem eſſe animal*. *Poſſibile eſt nullum hominem eſſe lapidem*. Ratio autem eſt, quod præcipuè, directè, ac primariò enunciatur per has propoſitiones eſt ille modus *Neceſſe*, *Impoſſibile &c.* ubi præcipua copula applicatur; ergo

hinc,

hinc, & non aliundè ſumendum eſt, quod hæ propoſitiones ſint affirmativæ, aut negativæ, ſint univerſales, aut particulares.

94. Igitur ex converſione propoſitionis modalis de *neceſſe*, v.g. ſeptem ſupra decem validas conſequentias depromes (tuum erit ſimiles meditari circa converſionem propoſitionum de *impoſſibili*, ac de *poſſibili*) Etenim vel ſubjectum dicti eſt affectum ſigno univerſali affirmativo, vel univerſali negativo: vel particulari affirmato, vel particulari negato; vel eſt prorſus ſingulare? Si primum, ecce tres validas conſequentias; neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal: ergo 1. neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem: ergo 2. poſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem; ergo 3. poſſibile eſt omnem hominem eſſe animal: cùmque hæ tres conſequentiæ multifariàm poſſint multiplicari juxta ſupra datas argumentationes ex definitione, ex conſequentia, & juxta infra dandas ex contradictione, ex æquipollentia propoſitionum, jam vides copioſam ſegetem conſequentiarum naſcentem ex his tribus. Quod ſi dixeris ſecundam illam conſequentiam non tam eſſe convertentem, quàm ſubalternam primæ convertentis: concedimus hoc, & negamus illud; nam etiam hæc abſoluta univerſalis *nullus homo eſt lapis*, convertitur per accidens in hanc, *aliquis lapis non eſt id, quod eſt homo*;& tamen hæc eſt ſubalterna alterius illius, *nullus lapis eſt homo*, in quam convertitur ſimpliciter illa *nullus homo eſt lapis*: ergo aliquam propoſitionem eſſe ſubalternam alicujus convertentis non tollit eam eſſe quoque convertentem per accidens ejuſdem converſæ.

95. Si ſecundum, ecce quinque conſequentias; neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem: ergo 1. neceſſe eſt nullum lapidem eſſe hominem; ergo 2. neceſſe eſt aliquem lapidem non eſſe hominem: ergo 3. poſſibile eſt nullum hominem eſſe lapidem; ergo 4. poſſibile eſt nullum lapidem eſſe hominem; ergo 5. poſſibile eſt aliquem lapidem non eſſe hominem: omnes ſunt infallibiles attento capite converſionis.

96. Si tertium, ecce tres conſequentias: neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal; ergo 1. neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem: ergo 2. poſſibile eſt aliquem hominem eſſe animal; ergo 3. poſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem. Si quartum, ecce alias tres: neceſſe eſt aliquem hominem, non eſſe lapidem: ergo 1. neceſſe eſt aliquid, quod non ſit lapis non eſſe id, quod non eſt homo, (hæc eſt converſio per contrapoſitionem); ergo 2. poſſibile eſt aliquem hominem non eſſe lapidem: ergo 3. poſſibile eſt aliquid, quod non ſit la-

pis non eſſe hominem. Tandem ſi contingat quintum, ecce alias tres: neceſſe eſt Petrum eſſe hunc hominem; ergo 1. neceſſe eſt hunc hominem eſſe Petrum; ergo 2. poſſibile eſt hunc hominem eſſe Petrum: ergo 3. poſſibile eſt Petrum eſſe hunc hominem.

97. En ſeptendecim promiſſas argumentationes ex converſione ſolius modalis de *neceſſe* erutas; quod ſi prædicato *dicti* affigas aliquod ex illis ſignis *nullus*, *omnis*, *aliquis*, & illud detrahas ſubjecto v. g. neceſſe eſt Patrem Æternum eſſe omnem perfectionem abſolutam: item ſi tam ſubjecto, quàm prædicato apponas ea ſigna, v. g. neceſſe eſt omnem Perſonam Divinam eſſe omnem perfectionem abſolutam Dei, multæ aliæ pullulabunt legitimæ argumentationes ex converſione; hujuſmodi combinationes percallere oportet: ex angulis quippe iis erumpunt interdum ſophiſtæ, ſicut latrunculi ex lateribus, & pudendas infligunt plagas non ſine adſtantium riſu veteranis aliquibus, qui præ nimia gravitate ſubtilitates temnunt, quas non didicerunt: *ridendi quidem parallogyſmi ſunt*, prudenter ajebat Doctor Ribadeneira homo rei ſcholaſticæ peritiſſimus, *ſimul tamen ſolvendi: hic enim riſus, vel irriſio haud ſemel eſt eum Adverſarium doloſè contemnere, quem ſuperare non potes, quoddamque ni fallor ignorantiæ propriæ diverticulum.*

P. Ribadeneira diſp. 19. de Actib. Human. cap. 2.


98. Hinc habes quod ſicut ſignum univerſale *nullus*, & particulare affirmativum *aliquis* convertuntur ſimpliciter, nempe ſervando in convertente eandem quantitatem, quæ erat in converſa; ita modus negativus *impoſſibile*, qui eſt univerſalis, & etiam modus particularis affirmatus *poſſibile* convertuntur ſimpliciter, perſeverantes nimirum ambo reſpective in convertente; & ſicut idem ſignum univerſale negativum *nullus*, & univerſale affirmativum *omnis* convertuntur per accidens tranſeuntia nimirùm in ſignum particulare *aliquis*; ita modus univerſalis affirmativus *neceſſe*, & univerſalis negativus, *impoſſibile* convertuntur per accidens tranſeuntes in modum particularem *poſſibile*, jam cum affirmatione, jam cum negatione: & ſimiliter reſpectivè de aliis.

CA-

CAPUT VI.


Quot Argumentationes miniſtrat Logica Habitudo Propoſitionum.

99. LOgicam Habitudinem vocamus eam combinationem, ſeu correſpondentiam propoſitionum tum amicarum invicem, tum inimicarum, ex qua multi naſcuntur argumentationum fontes. Syſtema Logicis antiquum eſt hoc pro abſolutis propſitionibus



Similiter pro modalibus.

Con-



100. Sed primum illud quadratum non videtur plenum, & perfectum pro re præſenti, quia in eo non habent locum propoſitiones de ſubjecto ſingulari, quæ ſtrictiſſimè ſunt contradictoriæ, v. g. *Petrus currit, non Petrus currit*. Secundò quia nec habent locum propoſitiones oppoſitæ privativè, aut relativè. Tertiò quia, ut mox dicemus *omnis*, & *aliquis non*, non faciunt contradictorias formales, ſeu quæ in omni prorſus materia ex vi ſuæ diſpoſitionis ſibi contradicant; ſed duntaxat faciunt contradictorias materiales, ideſt quæ contradictoriæ ſint ratione materiæ univerſalis, in qua ſemper fiunt à Logicis; cum tamen attendere debuiſſent omni alii materiæ capaci contradictionis; unde ſequitur ſubalternam unius contrariæ non ſemper eſſe contradictoriam alterius contrariæ, ut dici ſolet.

101. Igitur omnes illas combinationes in ſeptem claſſes redigemus: in prima ſunt propoſitiones, quæ opponuntur *contradictoriè*: in ſecunda, quæ ſunt *contrariæ*: in tertia quæ ſunt *ſubcontrariæ*: in quarta, quæ ſunt *ſubalternæ*: in quinta quæ opponuntur *privativè*: in ſexta quæ opponuntur *relativè*: in ſeptima quæ ſunt *æquipollentes*, ſeu æquivalentes, ideſt quarum una perinde ſe habet ac altera.

102. Propoſitiones contradictoriæ,quę ſemper debent eſſe *ejuſdem de eodem ſecundùm idem* ſunt illę, *quorum una præciſè negat quidquid affirmat*, *& ſupponit altera*: ſi enim non neget ſaltem disjunctivè quod altera ſupponit, ambæ erunt falſæ abſolutè,& ſimpliciter, quidquid ſit de partitionibus,& præciſionibus mentalibus,ſi falſum fuerit illud ſuppoſitũ v.g.hoc album eſt dulce:hoc album non eſt dulce ſignando ſubjectũ nigrum,ſunt falſę ambę,quia ambæ ſupponunt ſubjectum eſſe album: contradictoria ergo illius affirmativæ eſt hæc, *non hoc album eſt dulce*: quia cum negatio ſit ſemper malignantis naturæ, ut ajunt,deſtruit, ſeu diſtribuit quidquid poſt ſe invenit: unde illud *non* propoſitum toti propoſitioni eſt in cauſa ut propoſitio negativa reddat hunc ſenſum disiunctivum, *vel non eſt hoc ſubjectum album,vel non eſt dulce*, qui ſenſus poteſt eſſe verus vel quia non ſit tale ſubjectum: vel quia non ſit album, vel quia non ſit dulce.

103. Et hinc naſcitur quæſtio an ſcilicet ſint contradictoriæ formales, ſeu, ex vi præciſè ſuæ conſtructionis illæ *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, & conſequenter an ſubalterna unius contrariæ ſit ſemper contradictoria alterius contrariæ? Reſpondemus negativè juxta ea, quæ diximus de converſione: probatur quemadmodum ſyllogiſmus formalis eſt ille ſolus qui in omni prorſus materia concludit, ſi ſervetur ſuum artificium, & ſemel concedantur præmiſſæ: & quemadmodum converſio formalis eſt illa ſola, quæ in omni prorſus materia elicit convertentem ex converſa, ſi ſervetur ſuum artificium: ita contradictio formalis, & ex vi ſolius artificii eſt illa ſola, quæ in omni penitus materia facit propoſitiones contradictorias, ſi ſervetur ſuum artificium, ſeu diſpoſitio terminorum.

104. Ergo quæcumque non fuerit id generis, non erit contradictio formalis, ſeu ex vi ſolius ſui artificii: at *omnis*, & *aliquis non*, non ſunt id generis. Probatur: ſi materia propoſitionum fuerit prorſus ſingularis, ut multoties eſt, illa ſigna non faciunt contradictorias abſolutè, & ſimpliciter tales, quidquid ſit de frigidis præciſionibus mentalibus, quas non curamus agentes de realitate: etenim huic propoſitioni falſæ *omnis Deus eſt omnipotens* non contradicitur per hanc, *aliquis Deus non eſt omnipotens*, quia hæc etiam eſt falſa, cùm etiam ſupponat multitudinem Deorum: unde haberemus duas contradictorias abſolutè, & ſimpliciter tales eſſe ſimul falſas: ergo illa diſpoſitio non facit contradictorias in omni materia: idem dic, quando materia eſt impoſſibilis v. g. *omnis chimæra eſt nigra*: *aliqua chimæra non eſt nigra*: ambę falſæ: idem,quando ſubjectum eſt poſſibile, & univer-

ver-

Digitized by Google

verſale, ſed falſę ſuppoſitionis, v. g. caſu quo nulla eſſet albedo: *omne album eſt dulce:aliquod album non eſt dulce*, ambæ falſæ in caſu illo.

105. Et ratio eſt: nullę propoſitiones, quæ in ſuo modo enunciandi expreſsè ſupponunt objectum idem, ſunt contradictoriæ formales (quod ſupponant ſubjectivè idem principium, nil refert, nam certè poſſunt duæ contradictorię eſſe cognitiones ortę ab eodem intellectu, & hujuſmodi convenientia mutua non tollit, quòd ſint contradictoriæ, ſicut hoc non tollitur per id, quod ambæ ſint creaturæ, ſint actus vitales) quia ut nuper dicebamus, contradictoriæ ſunt illæ, quarum una negat disjunctivè ſaltem quod altera affirmat, & ſupponit: ſed ambæ dictę propoſitiones in ſuo modo enunciandi expreſsè ſupponunt idem: nempè multiplicitatem ſubjecti, quia hæc ſigna *omnis*, *nullus*, *aliquis*, expreſsè innuunt multiplicitatem illius termini, quem immediatè afficiunt, ut conſtat: ergo dictę propoſitiones non ſunt contradictoriæ formales ex vi ſui artificii. Neque prodeſt quod nequeant eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ: quoniam etiam multę propoſitiones contrariæ, nimirum illæ, quæ non admittunt medium, nequeunt eſſe ſimul verę, aut ſimul falſæ; & tamen non ſunt contradictoriæ v. g. *Petrus exiſtit: Deus ſcit Petrum non exiſtere* quæ duæ propoſitiones nec poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ.

106. Quęnam igitur eſt contradictoria formalis illius: *omnis Deus eſt omnipotens?* Reſpondeo eſſe hanc ſolam: *non omnis Deus eſt omnipotens*, quæ dat hunc ſenſum disjunctivum verum: *vel non ſunt multi Dii: vel non ſunt omnipotentes ſinguli*: eſt inquam contradictoria, non *phyſicè*, ſicut Petrus, & ſua carentia ſunt invicem contradictoria, quia in hoc ſenſu uniuſcujuſque contradictorium eſt ſua carentia; ſed logicè: quatenus una negat quod affirmat, & ſupponit altera: quamobrem fatemur in illo quadrato propoſitionum: *omnis Deus eſt omnipotens: nullus Deus eſt omnipotens: aliquis Deus eſt omnipotens: aliquis Deus non eſt omnipotens*, duas priores eſſe contrarias, & ambas falſas, duas poſteriores eſſe ſubcontrarias: primam, & tertiam, ſecundam, & quartam eſſe ſubalternas: ſed negamus primam, & quartam, ſecundam, & tertiam eſſe contradictorias: quia ſubalterna unius contrarię tunc ſolum eſt contradictoria alterius contratrię (& quidem purè materialis, quippè nunquam eſt contradictoria formalis, ut diximus) quando licet ſupponat idem quod ille, ſuppoſitum hoc aliunde conſtat eſſe certiſſimum: at prima, & quarta, ſecunda, & tertia ſupponunt omnes idem, ſcilicet multiplicitatem Deorum: & hoc ſuppoſitum certò eſt falſum: ergo.

Digitized by Google

107. Quamobrem Logicorum quadratum circa propoſitiones univerſales ſic videtur formandum *omnis homo currit: nullus homo currit: non omnis homo currit: non nullus homo currit*: contradictio verò formalis, ideſt univerſalis pro quacumq; materia ſine ulla exceptione, & pro quacumque propoſitione, quemcumq; habeat modum tendendi, eſt prępонere negationem toti propoſitioni: quia ex vi hujus diſpoſitionis, ſeu artificii fiet contradictio in omni materia: cùm enim illud *non* ſit malignantis naturæ, deſtruit quidquid poſt ſe invenit: ergo ſive falſitas inſit ſubjecto propoſitionis, ſive ſuppoſitioni, ſive copulę, ſive prędicato, ſive alicui alii voculę his annexę, negatio illa omnia hęc deſtruit: & non faciendo ſenſum copulativum, ſed disjunctivum, ad cujus veritatem ſufficit, quòd una pars ſit vera: ſimiliter ſi illa negatio inveniat propoſitionem negativam, reddit eam affirmativam, quia duæ negationes affirmant eo quod prima deſtruat ſecundã, nam deſtruit quidquid poſt ſe invenit, licèt non deſtruat quidquid habet ante ſe: hac regula ſolvuntur captiones, quibus irretiri ſolent Logici circa propoſitiones contradictorias: quoniam præponendo negationem toti propoſitioni, & quidem non in ſenſu infinitante, ſed in ſenſu negante, nunquam oſtendentur duæ contradictorię ſimul verę aut ſimul falſę *in materia poſſibili*: quamvis oſtendi ſoleant in materia impoſſibili, ſeu implicante contradictionem: non eſt autem abſurdum quod in tali materia eſſent ſimul veræ, & ſimul falſæ duæ contradictoriæ.

108. Hinc ſi fingatur omnem propoſitionem naturalem hodie habendam ab hominibus eſſe falſam, cõtradictoria hujus, *omnis propoſitio bodierna eſt falſa*, erit quidem hæc, *non omnis propoſitio bodierna eſt falſa*: & licèt ambæ ſint veræ, non eſt abſurdum data illa ſuppoſitione, quoniam ſi ſupponis omnem propoſitionem eſſe falſam, & poſtea ſubmittis duas propoſitiones contradictorias hodiernas, conſequenter ſupponis duas contradictorias eſſe falſas: quid ergo mirum, quòd, dato uno abſurdo, iſta alia ſequantur: ſimiliter contradictoria hujus propoſitionis, *ego ſemper mentior*, eſt hæc, *non ego ſemper mentior*, quæ utique reddit ſenſum disjunctivum ſæpe inſinuatum, ſcilicet, *vel non ſum ego; vel non ſemper mentior*.

109. Sed adverte propter ſophiſtas, qui abutuntnr hac propoſitione, ut probent duas contradictorias poſſe ſimul eſſe veras, aut ſimul falſas: tametſi propoſitiones poſſint, & ſoleant reflectere ſupra *ſe ipſas* modo illo, quem dedimus diſp. 1. cap. 6. agentes de definitione: cœterùm iſta non poteſt ſupra ſe reflectere tali ſpeciali reflexione, ut de ſe quoque dicat *ſe eſſe mendacium*; quoniam nil, ex quo ſequitur eamdem propoſitionem eſſe ſimul abſolutè veram, & abſolutè falſam, eſt

S poſ-

poſſibile : ſed ex eo quòd ea propoſitio reflecteret ſupra ſe ipſam hac ſpeciali reflexione enunciandi de ſe ipſa , ſe eſſe mendacium , ſequeretur illam eſſe ſimul veram , & falſam : ergo illa ſpecialis reflexio non eſt poſſibilis . Major eſt certa : quia nil , ex quo ſequitur impoſſibile , eſt poſſibile:& omne,ex quo ſequitur unam,eandemque propoſitionem eſſe ſimul veram , & falſam , eſt id , ex quo ſequitur aliquod impoſſibile , nempe hoc idem , eſſe ſimul veram , & falſam . Probo minorem : ſi reflectit ſupra ſe ipſam hac ſpeciali reflexione , rogo : quando illam profers , vel cenſes illud eſſe falſum:vel non? Si 1. illa propoſitio erit tunc vera , quando quidem tunc etiam mentiris proferendo eam cum judicio de eo,quòd eſt falſa : & ſimul erit falſa , quandoquidem non eſt mendacium , ſed conformis judicio, quo illam profers , & quo judicas illam eſſe mendacium: at ipſa dicit ſe eſſe mendacium , & conſequenter ſe eſſe contra mentem,ſeu contra judicium , quo *profertur* , ergo tunc erit etiam falſa.Si 2. illa tunc eſt falſa, quia cùm non ſit contra tuum judicium,non eſt mendacium,ergo ſi dicit ſe eſſe mendacium, eſt falſa , & ſimul eſt vera , quia non eſt mendacium dicere illam eſſe mendacium,quando ſcit illam non eſſe contra mentem, ſeu judicium , tuum , ergo ſi reflecteret ſupra ſe ipſam , eſſet ſimul vera , & falſa, ergo eſt impoſſibilis hęc reflexio.

110. Igitur ex loco *contradictionis* octo ſumi poſſunt legitimæ argumentationes . Primò ex veritate unius contradictoriæ ad falſitatem alterius , & viceverſa . Secundò ex falſitate unius ad veritatem alterius : quia ut explicabimus poſtea in prima appendice: *impoſſibile eſt eandem rem ſimul eſſe , & non eſſe* : ergo ſi eſt verum rem eſſe , neceſſariò eſt falſum,*rem non eſſe* , & viceverſa: item ſi eſt verum,rem non eſſe, neceſſariò eſt falſum,*rem eſſe*, & viceverſa: cœteræ pendent ex principiis ſuo loco dandis circa rerum connexiones , ac oppoſitiones, ibi eas invenies .

111. Ubi adverte primò ; quando dicimus veritatem unius contradictoriæ trahere ſecum eſſentialiter falſitatem alterius,ne intelligas falſitatem *formalem* : quia hæc ſicut etiam veritas formalis , conſtituitur eſſentialiter per ipſam propoſitionem mentalem , aut vocalem, ut dicemus in libris de Anima ; certum autem eſt veritatem unius contradictoriæ non trahere ſecum eſſentialiter exiſtentiam propoſitionis vocalis aut mentalis : debes ergo intelligere falſitatem *objectivam* , hoc eſt veritatem unius contradictoriæ trahere ſecum eſſentialiter , quòd non ſit illud , quod enunciat ſua contradictoria , unde trahit ſecum, quòd ſua contradictoria ſit formaliter falſa , *ſi exiſtat in rebus* .

112. Adverte ſecundò . Aliud eſt verificari *duas propoſitiones contra-*

tradictorias: & hoc eſt prorſus impoſſibile,ut inſinuavimus: aliud verò longè diverſum, verificari duo *prædicata contradictoria*: & hoc paſſim contingit, quando ſubjecta, de quibus loquimur, ſunt diſtincta: *eſſe namque diſcurſivum*: *non eſſe diſcurſivum*, licèt non ſint duę propoſitiones contradictoriæ, quia non ſonat ſubjectum, ſunt tamen duo prædicata contradictoria, quia unum negat idem, quod enunciat alterum: & non eſt neceſſe, quod prædicata ſint enunciatio tota: ſed primum verificatur de homine; & ſecundum verificatur in eodem inſtanti de belluis: ergo duo contradictoria prædicata verificantur ſimul non utique de eodem ſubjecto, ſed de diverſis: hoc notatum habeto pro diſtinctione virtuali ſuo loco explicanda, quia illa non eſt capacitas ad verificandum duas propoſitiones contradictorias; ſed ad ſuſcipiendum duo prædicata contradictoria, qua capacitate fungitur etiam diſtinctio realis.

§. II.

113. HIc occurrit quæſtio 2. An duæ contradictoriæ poſſint eſſe veræ ſaltem pro diverſis inſtantibus; non quia affirment, aut negent pro diverſis inſtantibus (nam hoc modo non eſſent de eodem, ſecundùm idem, & conſequenter non eſſent contradictoriæ) ſed quia reſpicientes idem penitus inſtans exiſterent ipſæ, ſeu conciperentur in diverſis temporibus: & hinc naſcitur alia, ſcilicet an rei ſemel exiſtentis poſſit unquam dari contradictorium, ſeu defectus, ſeu carentia *abſoluta* ipſius rei ſecundùm ſe? Utrumque negant Lynce, & Ribadeneira, cum multis: affirmant Izquierdo, & Quiros cum aliis.

P. Lynce l.7. Tract. 2.c. 4. P.Ribad l.de contin g. qu. 60.& Diſp.9. diſci. De c.12. Izquierdo Tract.de Deo diſ. 8. P. Quiros p.1. diſ.48.

114. Prima concluſio: duæ propoſitiones contradictoriæ nec divinitùs poſſunt eſſe veræ pro diverſis inſtantibus, ideſt ſi una fuit aliquando vera, altera nunquam poteſt eſſe vera v. g. *Adamus fuit in initio Mundi*: *non fuit Adamus in initio Mundi*, & idem reſpectivè de quibuſvis aliis. Probatur: ſi prima propoſitio ſit hodie vera, eſt prorſus neceſſarium quod Adamus tunc fuerit, quia in hoc ſtat, quòd illa ſit vera. Rurſus ſi ſecunda eſſet vera cras, eſſet prorſus neceſſarium quòd Adamus non fuerit tunc in initio Mundi; quia hoc eſt, quod enunciat illa negativa, & in hoc ſtat ſua veritas, ergo ſi illæ duæ propoſitiones eſſent veræ in diverſis inſtantibus, hoc eſt una hodie, altera cras; infallibiliter ſequeretur, Adamum fuiſſe, & non fuiſſe in eodem initio Mundi: ergo ſequerentur duo contradictoria pro eodem inſtan-

ti ex eo, quòd duæ propoſitiones contradictoriæ, pro diverſis inſtantibus eſſent veræ: atqui eſt prorſus impoſſibile, quòd duo contradictoria exiſtant pro eodem inſtanti, nam *impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*: & licèt duæ propoſitiones contradictoriæ conceptæ ab eodem vel à diverſis intellectibus poſſint exiſtere in eodem inſtanti, hoc ideo eſt, quia neutra eſt contradictorium phyſicum alterius, ſicut Petrus, & ſua carentia, ſed utravis habet pro contradictorio in hoc ſenſu defectum ſuum, carentiam ſuam: ergo impoſſibile eſt, quòd duæ contradictoriæ ſint veræ adhuc in diverſis inſtantibus.

115. Dices 1. Si Petrus hodie vivit, hodie eſt verum dicere, *Petrus nunc vivit*: ſi cras moriatur, cras erit verum dicere, *Petrus nunc non vivit*: ſed *Petrus nunc vivit*, *Petrus non nunc vivit* ſunt duæ contradictoriæ. Diſtinguo, ſi reſpiciant idem *nunc* ideſt idem inſtans, permitto: ſi ſecus, nego minorem: quia contradictoriæ debent eſſe ejuſdem, de eodem, ſecundùm idem: ergo debent reſpicere idē inſtans: ergo ſi una reſpiciat diem hodiernum, & altera craſtinum, ut contingeret in iſto caſu, non erunt contradictorię. Tranſeat ergo quod poſito unam eſſe veram, altera ſit quoque vera: hoc benè nota, quia ſunt multę propoſitiones, quę videntur contradictorię, & tamen non ſunt, quia non ſunt *ejuſdem de eodem ſecundùm idem*: quapropter hę & ſimiles propoſitiones, *Petrus exiſtit*, *Petrus non exiſti*: per ſe pręcisè non ſunt contradictorię, ſed indifferentes, ut ſint, vel non ſint contradictoriæ: ſi adjungas illis terminum ſignificantem idem tempus, eundem locum, eaſdem prorſus omnes circumſtantias erunt contradictoriæ: ſi ſecus, contradictoriæ non erunt: v. g. *Petrus exiſtit, ſed Romæ*: *Petrus non exiſtit, ſed Matriti*.

116. Dices 2. Ut aliqua propoſitio ſit vera, ſolùm requiritur, quòd detur ſua veritas, *quando ipſa exiſtit*, non autem *quando non exiſtit*, quod multis exemplis amplificari poteſt; ergo ut hodie ſit vera illa propoſitio, *Adamus fuit*, ſufficit quòd hodie detur, *Adamum fuiſſe*: & ut altera ſit vera cras, ſufficit quòd cras non detur, *Adamum fuiſſe*: ſed fieri poteſt, quòd detur hodie, & non detur cras *Adamum fuiſſe*: ergo fieri poteſt, quòd ex illis duabus contradictoriis una ſit vera hodie, & altera ſit vera cras. Nego majorem, quia ut propoſitio ſit vera in aliquo tempore non exigit, quòd ſua veritas objectiva ideſt objectum, ex quo verificatur, detur quando ipſa datur, ſed in illo tempore, pro quo illud dari enunciat ipſa propoſitio: quemadmodum, ut ſit vera in aliquo loco non exigit, quòd in eo loco detur ſua veritas objectiva; ſed quòd detur in eo loco, quicumque fuerit, pro

quo

quo enunciatur v. g. in hoc loco eſt vera hæc propoſitio *Deipara eſt in Cœlo*, & tamen in hoc loco neque datur Deipara, neque ſua præſentia, quam habet in Cœlo: nempe quia hoc non enunciatur per eam propoſitionem: ſimiliter illæ propoſitiones non enunciant dari hodie, dari cras hoc, quod eſt Adamum fuiſſe; ſed ſimpliciter, directè, ac ſine involucris una dicit *Adamus fuit in inſtanti A. v. g.* altera dicit *non fuit in eodem inſtanti*: ergo veritas primæ poſcit, quòd fuerit Adamus in inſtanti *A.* & veritas ſecundæ poſcit, quòd non fuerit in eodem inſtanti *A.* ſed eſt chimæra, quòd fuerit, & non fuerit in eodem inſtanti *A*; ergo quod una ſit vera hodie, & altera ſit vera cras poſcit chimæram.

117. 2. Concluſio. Impoſſibile eſt, quòd duo contradictoria phyſica, & objectiva exiſtant adhuc pro diverſis inſtantibus *in ſenſu poſitivo*: poſſunt tamen exiſtere pro diverſis inſtantibus *in ſenſu merè negativo*; & ſic conciliari poſſunt duæ illæ propoſitiones. Explicatur, & probatur: duo contradictoria phyſica, & objectiva exiſtere pro diverſis iſtantibus *in ſenſu poſitivo* ſtaret in eo, quòd ex hypotheſi, quòd Petrus v. g. fuerit, ſit, vel futurus ſit in inſtanti A. detur aliquid, quod in ſe ipſo ſit *Petrum non fuiſſe, aut non eſſe, aut non futurum eſſe in inſtanti A.* ſicut datur aliquid, quod in ſe ipſo ſit *hominem eſſe animal*; & aliud, quod in ſe ipſo eſt *lapidem non eſſe animal*; rurſus dari duo illa contradictoria pro diverſis inſtantibus *in ſenſu merè negativo* ſtat in eo, quòd ex hypotheſi, quòd Petrus aliquando fuerit in inſtanti A., non detur in inſtanti B. quidpiam, quod in ſe ipſo ſit, *Petrum fuiſſe in inſtanti A.*

118. Sed ex hypotheſi, quòd Petrus fuerit in A. prorſus repugnat, quòd unquam ſit, fuerit, aut futurum ſit quidpiam, quod in ſe ipſo ſit, *Petrum non eſſe in A.*, quoniam illud quandocumque ſit, haberet per ſuam eſſentiam, quòd Petrus non ſit in A. (ſicut revelatio divina de peccato Antichriſti, in quocumque inſtanti totius æternitatis exiſtat talis revelatio infallibiliter connectitur cum eo peccato), unde ſequeretur Petrum eſſe in A., ut ponimus: & non eſſe in A., quia eſſet, aut fuiſſet aliquid eſſentialiter habens, quòd Petrus non ſit in A.; ex hypotheſi autem, quòd Petrus fuerit in A. poteſt contingere, quòd non detur in inſtanti B. aliquid, quod in ſe ipſo ſit *Petrum fuiſſe in inſtanti A.*, quia juxta principia ſuo loco danda, futuritiones, & præteritiones non ſunt aliquid phyſicè de præſenti exiſtens, ſicut exiſtit hæc charta; ergo tametſi duo contradictoria phyſica, & objectiva non poſſint exiſtere pro diverſis inſtantibus *in ſenſu poſitivo*, poſſunt *in ſenſu merè negativo*.

119.

119. Explicatur non obſcuro exemplo: aliud eſt, quòd poſito *Regem vivere Matriti* detur in hoc loco aliquid, quod realiter in ſe ipſo ſit *Regem non vivere Matriti* (& hoc benè vides eſſe impoſſibile); aliud autem longè diverſum, quòd in hoc loco non detur quidpiam, quod in ſe ipſo ſit *Regem vivere Matriti*: & hoc vides eſſe poſſibile; quod de loco, dicimus de tempore; poſito quòd res aliquando fuerit, impoſſibile eſt, quod unquam detur aliquid, quod in ſe ipſo ſit, *rem non eſſe in eo tempore*: & in hoc ſenſu dicimus, eſſe impoſſibile, quòd rei ſemel exiſtentis unquam detur carentia, ſeu contradictorium abſolutum, ſeu defectus ipſius rei ſecundùm ſe: quia hoc eſſet dari pro diverſis inſtantibus duo contradictoria abſoluta, & objectiva, dari inquam in ſenſu poſitivo. Cæterùm ex hypotheſi, quòd res aliquando fuerit, poteſt contingere, quòd aliquando non detur aliquid, quod in ſe ipſo ſit, rem eſſe in eo tempore, ſicut non daretur aliquid, quod formaliter in ſe ipſo foret, *hominem eſſe animal*, caſu quo nullus eſſet homo; & hoc vocamus dari duo contradictoria pro diverſis inſtantibus *in ſenſu merè negativo*; & in hoc ſenſu rei ſemel exiſtentis poteſt dari carentia, ſeu contradictorium abſolutum, ideſt rei ſecundùm ſe non ut ſeparatæ, ſed *ut diſtinctæ* a ſuo tempore, ſive duratione.

120. Objicies ex hac eadem doctrina: deficere unum contradictorium eſt exiſtere alterum, ut eſt evidens apud Philoſophos: ergo deficere, ſeu non eſſe in B. res, quæ in ſe ipſa ſit *Petrum exiſtere in A.*; eſt exiſtere in B. contradictorium hujus rei: ſed contradictorium hujus rei *Petrum exiſtere in A.* eſt hoc *Petrum* non exiſtere in A. ergo ſi in B. non datur res, quæ ſit *Petrum* exiſtere in A., neceſſe eſt, quod in B. detur aliquid, quod in ſe ipſo ſit, *Petrum non exiſtere in A.*; ergo ſi concedimus poſſe exiſtere pro diverſis inſtantibus duo contradictoria in ſenſu merè negativo, concedendum eſt, poſſe exiſtere in ſenſu poſitivo: & confirmatur exemplo eis Authoribus ſolenni; ut Petrus modò non ſit in hoc loco, non requiritur, quòd modò detur in hoc loco, vel alibi carentia, mors, defectus, ſive contradictorium ipſius Petri ſecundùm ſe ut diſtincti a ſua præſentia; ſed ſufficit mera, pura, & ſola carentia *præſentiæ romanæ*: ergo ut Adamus non ſit hodie, non eſt neceſſe, quòd hodiè detur carentia, ſeu contradictorium ipſius Adami ſecundùm ſe, ut diſtincti a ſua duratione hodierna, ſed ſufficit mera, & ſola carentia hodiernæ durationis, quæ ſicut carentia præſentiæ vocatur defectus reſpectivus, non autem abſolutus rei; ſicut enim ſe habet præſentia ad locum, ita duratio ad tempus.

121. Ad objectionem reſpondeo; ſi illud antecedens ſine ulla explicatione eſſet evidens, ut vulgò jactatur, ſequeretur, carentiam hujus chartæ eſſe cauſam ſolis: nam deficere unum contradictorium eſt per vos exiſtere alterum; ſed in ſigno priori ad ſolem non datur, ſeu deficit hæc charta, quia hęc non eſt cauſa ſolis: ergo in illo eodem ſigno poiori ad ſolem exiſtit carentia hujus chartę; ſed exiſtere in ſigno priori, eſt eſſe cauſam hoc, vel illo modo; ergo carentia hujus chartę eſt cauſa ſolis; ſimiliter deficere unum contradictorium eſt exiſtere alterum: ſed in hoc loco romano deficit, ſeu non datur aliquid, quod ſit formaliter in ſe ipſo *Regem exiſtere Matriti*: ergo in hoc loco datur aliquid, quod in ſe ipſo ſit formaliter, & quidem non in ſenſu infinitante, *Regem non exiſtere Matriti*; ergo in eodem tēpore licèt pro diverſis locis datur duo contradictoria objectiva, & abſoluta.

122. Itaque vel nega antecedens illud propter hæc duo exempla, ſi objiciatur inſtar regulæ ſine ulla acceptione; vel potiùs diſtingue illud: Deficere *intentionaliter* unum contradictorium eſt exiſtere *intentionaliter* alterum, id eſt eſſe falſam unam contradictoriam eſt, eſſe veram alteram ſi exiſtat, concedo antecedens. Deficere *objectivè* unum contradictorium eſt exiſtere alterum, ſubdiſtinguo: Eſt exiſtere alterum in ſenſu merè negativo, concedo: in ſenſu poſitivo, nego illud antecedens cum conſequentia: in primis hoc argumentum ſupponit cognoſcibile eſſe ab intellectu objectum, quod in ſe ipſo ſit carentia, ſeu defectus, ſeu contradictorium rei poſitivæ: quod poſteà dicemus eſſe falſum: ergo hoc argumentum, ideſt antecedens illud ſupponit falſum: ſed hoc diſſimulato dicimus, quòd deficere unum contradictorium, quod ſit entitas poſitiva, v. g. Petrus, eſt exiſtere alterum *in ſenſu merè negativo*, id eſt non dari quidquam, quod in ſe ipſo ſit formaliter, *Petrum exiſtere in rebus*; & in hoc ſenſu antecedens illud eſt penitùs evidens; veruntamen non eſt exiſtere alterum *in ſenſu poſitivo*: quia non eſt exiſtere aliquid, quod in ſe ipſo ſit formaliter *Petrum non eſſe, aut non fuiſſe, aut non futurum eſſe in inſtanti* A. ut conſtat exemplo illo præſentiæ; etenim ſupponendum eſt contradictoria ut talia conſtitui eſſentialiter per ordinem ad idem tempus reale, vel imaginarium: quia ut talia debent eſſe *ejuſdem, de eodem, ſecundùm idem*: ergo ſi præſcindas ea ab omni tempore, præſcindes à conſtitutivo contradictionis; ergo jam non relinquis illa contradictoria; ergo ſi poſteà infers, illa poſſe coexiſtere, implicas in terminis, quoniam redis ad ſimultatem temporis, aut loci, à qua ſimultate præſcindis.

123.

123. Ad illud exemplum confirmationis dicimus, quod inter explicandum concluſionem dicebamus: conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: non requiritur, quòd modò detur in ſenſu poſitivo in hoc loco, vel alibi carentia, mors &c. concedo conſequentiam: in ſenſu negativo, nego conſequentiam: & ſanè non eſt leve diſcrimen inter exemplum iſtud, & rem præſentem; quoniam repugnat exiſtere eſſentiam, ſeu defectum, ſeu contradictorium abſolutum rei ſecundùm ſe in eodem momento, in quo hæc in rebus exiſtit: at quando Petrus non eſt in loco, in eodem momento poteſt ille exiſtere in rebus, nimirum Matriti v. g. quando ille non eſt in hoc loco, poteſt non dari ſua carentia, defectus, ſive contradictorium abſolutum in hoc loco; ergo non requiritur, quòd detur. Cæterùm, cùm Adamus neque ſit in hoc loco, neque in hoc tempore in rerum natura, poteſt in hoc tempore exiſtere, ac requiri defectus, ſive carentia, non ſolùm reſpectiva, hoc eſt, ſuæ durationis; ſed etiam abſoluta, hoc eſt, ipſius ut diſtincti à ſua duratione.

§. III.

124. HActenus de contradictione propoſitionum quantùm modò ſufficit: jam oppoſitio contrarietatis eſt duplex; una purè phyſica, & naturalis; altera metaphyſica: contrarietas purè phyſica ineſt eis propoſitionibus, quæ enunciant adhærere eidem ſubjecto pro eodem tempore, & eiſdem omninò circumſtantiis formas, aut qualitates invicem ſibi reluctantes, v. g. hæc res eſt intensè calida; hæc res eſt intensè frigida: item hoc ſubjectum habet formam ligni: hoc ſubjectum habet formam ignis.

125. Hæc ſpecies contrarietatis ſemper admittit medium, hoc eſt, fieri poteſt ſaltem de potentia Dei, quòd utraque propoſitio ſit falſa, ut conſtat in propoſitionibus nuper datis; quocirca ex falſitate unius non poteſt argui pro, aut contra veritatem, aut falſitatem alterius; quandoquidem unaquæque ex dictis propoſitionibus poteſt eſſe modò vera, modò falſa in ſenſu compoſito falſitatis propoſitionis alterius: quod ſi aliquando contingat, quòd ex defectu unius formæ inferatur metaphyſicè exiſtentia alterius, hoc non eſt quia defectus ille per ſe præcisè importet hanc exiſtentiam; ſed quia conjungitur cum alia re, & ex amborum veritate infertur illa exiſtentia; ſic defectus ſolus eductionis quantitatis non infert per ſe exiſtentiam creationis, quantitatis ejuſdem, quia fieri poteſt, quòd illa

Digitized by Google

quantitas non exiſtat, unde nec exiſtet per creationem, nec per eductionem: at verò ille defectus eductionis conjunctus cum quantitate ipſa infert metaphyſicè exiſtentiam creationis: quoniam ſi exiſtit quantitas, & non per eductionem, neceſſe eſt quòd exiſtat per creationem.

126. Igitur ex ſola veritate unius harum contrariarum ſumi poſſunt argumentationes reſpectu alterius. 1. Ad falſitatem illius alterius, v. g. hæc res eſt ſummè calida: ergo falſum eſt, quòd ſit ſummè frigida: hæc autem illatio eſt violabilis per potentiam Dei, & interdum per agentia quoque naturalia fortiora, ut patet in hac conſequentia purè naturali; *eſt aqua: ergo habet frigus*: quòd ſi conſequenti addas vocem illam *connaturaliter*, jam illatio erit metaphyſica: intenſus namque calor eſt metaphyſicè connexus cum eo, quod quando ipſe occupat ſubjectum non ſit connaturale intenſum frigus. Rurſus ex veritate eàdem multæ aliæ poſſunt erui argumentationes, & bonæ & malæ, quibus parcimus modò, quia pendent ex principiis poſtea dandis circa connexiones, & oppoſitiones purè phyſicas, & naturales.

127. Oppoſitio contrarietatis metaphyſicæ ineſt eis propoſitionibus, quæ nec divinitùs poſſunt eſſe ſimul veræ v. g. omnis homo peccat, nullus homo peccat: ſi enim prima eſſet vera, etiam verà eſſet hæc ſubalterna *Aliquis homo peccat*: item ſi ſecunda eſſet vera, etiam eſſet vera hæc ſua ſubalterna *aliquis homo non peccat*: ergo omnes quatuor hæ propoſitiones eſſent ſimul veræ: ſed in eis ſunt duo binaria contradictoriarum ſaltem materialium, nempe *omnis homo peccat*, *aliquis homo non peccat*: item *nullus homo peccat*, *aliquis homo peccat*; ergo ſi illæ duæ contrariæ eſſent ſimul veræ, ſequeretur quòd duo binaria contradictoriarum eſſent ſimul vera: hęc contrarietas invenitur etiam in propoſitionibus de ſubjecto ſingulari, v. g. *Petrus peccat in A.*: *Deus ſcit Petrum non peccare in A.* repugnat, quòd ſimul ſint verę, quia falleretur Deus.

128. Hęc contrarietas metaphyſica eſt duplex; una, quę admittit medium; quod contingit, quando ambę contrarię ſunt ſimul falſę, v. g. omnis homo, eſt Sanctus: nullus homo eſt Sanctus; altera, quę non admittit medium, quod contingit, quando duo contraria ſunt ejus conditionis, ut non poſſint ſimul deficere, ita ut propoſitiones non poſſint eſſe ſimul falſę, v.g. *exiſtit Petrus*, *ſcit Deus Petrum non exiſtere*: hęc namque duo ita ſibi adverſantur, ut neque poſſint ſimul eſſe vera (aliàs Deus haberet aliquam ſcientiam falſam) neque poſſint ſimul deficere, aliàs aliqua veritas fugeret mentem Divinam.

129. Igitur ex contrarietate metaphyſica non admittente medium tot ſumi poſſunt argumentationes, quot ex propoſitionibus contradictoriis: his enim æquivalent quoad repugnantiam eſſentialem ut ſimul ſint veræ, aut ſimul ſint falſæ: in contrariis autem admittentibus medium multifariam arguitur benè. Primò ex veritate unius ad falſitatem alterius, quia ut oſtendimus, nec divinitus poſſunt eſſe ſimul veræ: ergo ſi una eſt vera, neceſſe eſt, alteram eſſe falſam. Secundò ad eas omnes veritates, atque falſitates, cum quibus falſitas alterius connectitur, ideſt quo inferuntur neceſſariò ex falſitate alterius; ſed non ſemper arguitur ad veritates vel falſitates, quæ connectuntur eſſentialiter cum falſitate alterius: hæc, & alia exponemus inter explicandum, & combinandum connexiones, atque oppoſitiones metaphyſicas.

130. Oppoſitio privativa eſt inter eos terminos, quorum unus negat ſubjecto formam, & ſimul capacitatem habendi illam, ut *irrationale*, qui negat diſcurſum, & ſimul capacitatem diſcurrendi: alter verò negat formam, ſed capacitatem enunciat illius, ut *ſtultus*: impropriè namque lapidem vocares ſtultum, cùm hoc ut vitium rationalium dumtaxat: igitur cùm hi termini ſint implicitè copulativi, duas ex unoquoque comparare poſſumus argumentationes. Primò ex aſſertione utriuslibet ad ſimplicem carentiam formæ v. g. *hoc eſt irrationale: ergo non ratiocinatur: eſt ſtultum: ergo non diſſerit*. Secundò ex aſſertione termini negativi ad negationem capacitatis, tum proximæ, tum remotæ ad formam; v.g. eſt irrationale: ergo neque proximè, neque remotè eſt capax philoſophandi. Tertiò ex aſſertione termini privativi ad capacitatem remotam, & radicalem ſubjecti v. g. *eſt ſtultus; ergo capax eſt radicaliter ratiocinandi*: unde arguitur etiam ad illa omnia, quæ ex prædicta capacitate radicali ſequuntur v. g. *eſt ſtultus: ergo ſcit Deus, illum frui capacitate radicali ad diſcurrendum.* Quartò ex veritate unius ex his terminis ad falſitatem alterius v. g. *eſt ſtultus: ergo falſum eſt, quòd ſit irrationalis: eſt irrationalis: ergo falſum eſt quod ſit ſtultus*; quoniam prorſus repugnat, quòd idem ſubjectum ſit ab intrinſeco capax, & ab intrinſeco incapax ejuſdem formæ: ſed *ſtultus* enunciat capacitatem radicalem diſcurrendi; *irrationale* autem negat hanc capacitatem: ergo ex veritate unius horum ſequitur falſitas alterius.

131. Oppoſitionem relativam invenies in terminis eam habitudinem, ſeu coordinationem ſignificantibus inter duo, ut nequeat unum eſſe reſpectu alterius illud idem, quod hoc eſt reſpectu ipſius: ſic opponun-

ponuntur relativè Pater, & Filius, Maritus, & Uxor &c. nequit enim fieri ut ſis Pater, & ſimul Filius ejuſdem, Maritus, & ſimul Uxor ejuſdem. Quinque ex hac oppoſitione carpes arguendi modos. Primò ex affirmatione unius ad affirmationem reſpectivam alterius, *hic eſt Pater illius: ergo ille eſt Filius hujus*. Secundò e converſo: *ille eſt Filius hujus: ergo hic eſt Pater illius*. Tertiò ex negatione hujus ad negationem illius: *hic non eſt Pater Ioannis: ergo neque Ioannes eſt Filius hujus*. Quartò è converſo, *Ioannes non eſt Filius hujus: ergo neque hic eſt Pater illius*: Quintò ex affirmatione alterutrius formæ in hoc ſubjecto ad negationem ejuſdem in altero, *hic eſt Pater illius: ergo ille non eſt Pater hujus: hic eſt Filius illius: ergo ille non eſt Filius hujus*: quòd ſi propoſitiones enunciantes objecta relativè oppoſita fuerint modales, aliàs quinque argumentationes in uno quoque modo invenies: *impoſsibile eſt hunc eſſe Patrem illius: ergo impoſsibile eſt eadem impoſsibilitate illum eſſe Filium hujus. Neceſſe eſt hunc eſſe Patrem illius: ergo neceſſe eſt eadem neceſsitate illum non eſſe Patrem hujus*: cùmque modi Logici propoſitionum ſint quatuor v.g. *neceſſe, impoſsibile &c.* concluditur, quòd ex relativa oppoſitione terminorum viginti eliciantur argumentationes modales.

132. Oppoſitionem ſubcontrarietatis habent illæ propoſitiones, quæ eodem ſubjecto, copula, atque prædicato, nec non quantitate particulari conſtant: una autem eſt affirmativa, altera negativa; *aliquis homo peccat: aliquis homo non peccat*: id generis propoſitiones poſſunt eſſe ſimul veræ, ut conſtat in his; aſt nequeunt eſſe ſimul falſæ: quia ſuæ contradictoriæ deberent eſſe ſimul veræ, nempe, *nullus homo peccat: omnis homo peccat*; ſed hæ duæ utpote contrariæ inter ſe nequeunt eſſe ſimul veræ ob rationem paulò ante datam; ergo duæ ſubcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ; itaque ex veritate unius ſubcontrariæ neque arguitur falſitas alterius, ſiquidem ambæ poſſunt eſſe veræ: neque veritas, quia una poteſt eſſe vera, & altera falſa; v.g. *aliquis homo eſt animal: aliquis homo non eſt animal*.

133. Cæterùm ex falſitate unius ſubcontrariæ ſex bonas argumentationes deduces. 1. Ad veritatem alterius: quia, ut diximus, repugnat, quòd ambæ ſint falſæ; ergo ſi una eſt falſa, neceſſe eſt, quòd altera ſit vera. 2. Ad ſingularia omnia nullo dempto imbibita in altera ſubcontraria, ſed quæ disjungantur per particulam *Vel*, v.g. *Falſum eſt aliquem hominem non peccare: ergo vel hic homo peccat, vel ille peccat*; & in cæteris ſimili modo; cùm enim hæc disjunctiva legitimè inferatur ex veritate hujus ſubcontrariæ, *Aliquis homo peccat*;

& veritas hujus legitimè inferatur ex falſitate alterius, nempe, *Aliquis non peccat*; quia nequeunt eſſe ſimul falſæ, palàm fit, quòd ex hac falſitate inferatur veritas illius disjunctivæ. 3. Ad ſingularia eadem diſtributivè ſumpta, *Falſum eſt aliquem hominem non peccare: ergo hic homo peccat, & ille homo peccat &c.* quia ex falſitate dictæ propoſitionis infallibiliter arguitur veritas ſuæ contradictoriæ etiam materialis; ſed ſua contradictoria ſaltem materialis hæc eſt, *Omnis homo peccat*, ut conſtat; ergo ex falſitate illius benè arguitur veritas hujus: ſed ex veritate hujus arguitur veritas illius diſtributionis, *Hic homo peccat, & ille homo peccat &c.* ergo ex falſitate uniuſcujuſque ſubcontrariæ arguitur diſtributio reſpondens propoſitioni univerſali ſibi contradicenti.

134. 4. Ex eadem falſitate arguitur ſingularis propoſitio de quolibet ſingulari, *Falſum eſt aliquem hominem non peccare: ergo hic homo peccat*; quoniam hæc ſingularis infertur ex illa univerſali, *Omnis homo peccat*; ſed hæc univerſalis infertur ex falſitate illius, *Aliquis homo non peccat*: ergo. 5. Ex eadem falſitate arguitur quævis alia veritas, atque falſitas, cum qua metaphyſicè connectatur aliquod ex dictis. Denique ex omni oppoſito metaphyſicè cum veritate unius ſubcontrariæ arguitur ad omnia dicta, quia ex omni connexo cum falſitate ſubcōtrariæ arguitur ad illa omnia, quæ inferuntur ex hac falſitate; ſed omne metaphyſicè oppoſitum cum veritate alicujus ſubcontrariæ, eſt metaphyſicè connexum cum falſitate ejuſdem, ſi illa propoſitio ſit in rebus: ergo. Cùmque ſubcontrariæ ſint duæ, & unamquamque comitentur ſex legitimi modi arguendi, propterea 12. miniſtrat tibi logica ſubcontrarietas, quibus ſi totidem adjungas emanantes ex ſubcontrariis modalibus, 24. hinc lucraberis legitimos arguendi modos.

§. IV.

135. PRopoſitiones ſubalternæ ſunt Univerſalis, & Particularis in ea imbibita, v. g. *Omnis homo peccat: Aliquis homo peccat*; quarum prima vocatur *ſubalternans*, ſecunda *ſubalternata*; ſimiliter ſunt ſubalternæ, *Nullus homo peccat: Aliquis homo non peccat*: prima eſt ſubalternans, ſecunda ſubalternata; jam ſi univerſalem conferas cum particulari, ſex modos legitimos arguendi dedimus ſupra a(?)entes de ſuppoſitione diſtributiva, & parem numerum habebis ex modalibus *Neceſſe*, *Impoſſibile*, quo fit, ut hęc ſola habitudo

tudo logica ſubalternationis 32. ſubminiſtret efficaces modos arguendi.

136. Sin verò particularem combines cum univerſali, ex illius veritate ne arguas veritatem hujus, quia ex eo, quòd aliquis homo peccet, non ſequitur omnem: item neque falſitatem, quia ſubalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ; igitur ex *falſitate* ſubalternę infertur, 1. Falſitas ſubalternantis, v. g. *Falſum eſt aliquem hominem eſſe lapidem: ergo falſum eſt omnem hominem eſſe lapidem*; nam cùm hęc univerſalis, ſi vera eſſet, traheret ſecum infallibiliter illam particularem, ſequitur, quòd ſi non ſubſiſtit illa particularis, ſed eſt falſa, neceſſe eſt, quòd non ſubſiſtat illa univerſalis, ſed ſit falſa. 2. Inferes falſitatem omnis rei metaphyſicè connexę cum veritate ſubalternantis; quoniã cùm ejuſmodi res nequeãt eſſe verę deficiẽte illa veritate ſubalternantis, ſi falſitas ſubalternatę infert, non eſſe veram ſubalternantem, neceſſe eſt, qoòd inferat non eſſe verum, ſeu non ſubſiſtere ullum metaphyſicè connexum cum veritate ſubalternantis; eſt itaque infallibilis hęc conſequentia: *Falſum eſt aliquem hominem eſſe lapidem: ergo falſum eſt Deum ſcire, aut teſtificari omnem hominem eſſe lapidem*; ea quippe ſcientia, atque teſtimonium, utpote Divina, & infallibilia connecterentur metaphyſicè cum ea ſubalrernante, *Omnis homo eſt lapis*.

137. 3. Ex eadem falſitate inferes falſitatem propoſitionis æquipollentis propoſitioni ſubalternanti, *Falſum eſt aliquem hominem eſſe lapidem: ergo falſum eſt nullum hominem non eſſe lapidem*: univerſalis enim negativa eſt parallela, ſeu æquipollens univerſali affirmativæ, quæ ſubalternans eſt illius particularis affirmativæ; ergo quoties una declinet à veritate, neceſſe eſt, quòd declinet altera: ſed quoties particularis affirmativa eſt falſa, univerſalis affirmativa ſua ſubalternans eſt quoque falſa, ſeu declinat à veritate, ut jam oſtendimus: ergo. 4. Ex eadem falſitate inferes falſitatem *converſæ* ſubalternantis dictæ; quia, ut diximus inter explicandum converſiones, ex converſa infallibiliter ſequitur convertens, licèt non ſemper ex convertente ſequatur converſa: ergo quidquid excludit veritatem converſæ, excludit veritatem convertentis: ſed falſitas ſubalternatæ excludit veritatem convertentis; ſeu infert falſitatem ſuæ ſubalternantis, ut diximus; ergo excludit veritatem, ſeu infert falſitatem cujuſvis propoſitionis, quę convertatur in hanc ſubalternantem; licèt non ſemper inferat ex vi ſolius formæ falſitatem illius, in quam poteſt converti ſua ſubalternans.

Digitized by Google

138. Sic valet hęc conſequentia, *Falſum eſt aliquem hominem non eſſe animal: ergo falſum eſt, nullum animal eſſe hominem*; quia ſubalternans illius primæ eſt hæc, *Nullus homo eſt animal*; & hæc convertitur in illam, *Nullum animal eſt homo*; quoniam *ſimpliciter ſeci*: ergo ſi ex falſitate illius primæ ſequitur falſitas hujus ſubalternantis, *Nullus homo eſt animal*; ſequitur etiam falſitas hujus, *Nullum animal eſt homo*; in quam convertitur illa.

139. 5. Ex falſitate eadem inferes falſitatem definitionis uniuſcujuſque ex dictis, nec non veritatem contradictoriorum, *Falſum eſt, aliquem hominem eſſe equum: ergo falſum eſt, omne animal rationale eſſe animal hinnibile*: item, *ergo verum eſt, aliquod animal rationale non eſſe hinnibile*. 6. Hęc omnia, & ſingula inferuntur ex omni re connexa eſſentialiter cum falſitate ſubalternæ, & oppoſita eſſentialiter cum ejuſdem veritate; quia hęc falſitas infertur neceſſariò ex omni tali connexo, & oppoſito; ergo omnia, quæ inferuntur ex hac falſitate, inferuntur ex omni illo connexo, & oppoſito; ſimiles alias ſex formas efficaces arguendi deprehendes, ſi compares propoſitionem ſubalternam modalem cum ſua ſubalternante, ſervatis ſervandis; quocirca hęc propoſitionum ſubalternatio 44. ineluctabiles ſuppetit arguendi modos.

140. Tandem ęquipollentia, ſeu ęquivalentia propoſitionum ſtat in eo, quòd in ordine ad veritatem, aut falſitatem tanti valeat una, quanti altera, & conſequenter mutuò ſe inferant, valeantque ad convertentiam: loquendo autem de ęquipollentia illarum quatuor propoſitionum, quas Logici ponunt in quadratura ſua, *Omnis homo currit. Nullus homo currit: Aliquis homo currit: Aliquis homo non currit*; quarum ſingulæ opponuntur cum aliis contradictoriè, aut contrariè, aut ſubcontrariè, aut ſubalternè, inventus eſt modus faciendi illas omnes amicas, æquales, æquivalentes, ſeu æquipollentes; modus autem traditur illo verſiculo:

Præ contradic; poſt contra; præ, poſtque ſubalter.

141. Senſus eſt: quoties volueris unam propoſitionem facere amicam, & æquipollentem ſuæ contradictoriæ, præpone illi negationem, quia *non omnis homo currit* eſt æquipollens hujus, *aliquis homo non currit*: & *non aliquis homo non currit* eſt æquipollens hujus *omnis homo currit*: idem de aliis ſimilibus, & idem de modalibus, quia *non neceſſe eſt hominem currere* eſt æquipollens hujus, *poſsibile eſt hominem non currere*: & *non poſsibile eſt hominem non currere* ęquipollet huic *neceſſe eſt hominem currere*: id intelligendum univerſaliter, quando ſub-

jectum

Digitized by Google

jectum non eſt falſæ ſuppoſitionis juxta ea, quæ diximus, quando probabamus hujuſmodi propoſitiones non eſſe cōtradictorias formales.

142. Quando autem velis idem facere de duabus contrariis, debes uni earum poſtponere negationem, quia *omnis non* valet, *nullus*, & *nullus non*, valet, *omnis*; quapropter hæc, *omnis homo non currit*, eſt æquipollens hujus, *nullus homo currit*, & hęc, *nullus homo non currit*, eſt ęquipollens hujus, *omnis homo currit*: idem de modalibus, quia *neceſſe eſt Petrum non eſſe lapidem*, æquivalet huic, *impoſſibile eſt Petrum eſſe lapidem*: & hæc *impoſſibile eſt Petrum non eſſe hominem*, æquivalet huic *neceſſe eſt Petrum eſſe hominem*.

143. Denique ſi ſubalternas velis facere æquipollentes, præponas, & poſtponas negationem uni earum, v. g. *non omnis homo non currit*, ęquipollet huic, *aliquis homo currit*: & *non aliquis homo non currit*, huic, *omnis homo currit*: idem de modalibus, quia, *non neceſſe eſt hominem non currere*, eſt ęquipollens hujus, *poſſibile eſt hominem non currere*, & viceverſa: ex arte itaque faciendi ęquipollentes propoſitiones tot elicies arguendi formas, quot elicuimus ex contradictione, ex contrarietate, ex ſubcontrarietate, & ex ſubalternatione propoſitionum, quia, ut diximus unaquęque ex dictis quatuor propoſitionibus, ſeu potiùs octo (numerando etiam modales) poteſt fieri ęquipollens ſuę contradictorię, ſuæ ſubalternatrici, nec non ſuæ contrariæ, aut ſuæ ſubcontrariæ v. g. *omnis homo eſt animal*: ergo *non aliquis homo non eſt animal*: item *omnis homo eſt animal*: ergo *nullus homo non eſt animal*: tu ſpatiare per cœteras.

CAPUT VII.

Quot Arguendi modi eliciantur ex veritate copulativa, & disjunctiva.

144. DEbebant nunc aperiri fontes argumentationum juxta ſeriem ſcriptam cap. 1. num. 12. eruendorum ex connexione metaphiſica abſoluta, ex oppoſitione metaphyſica abſoluta &c. Sed quia hæ omnes legitimæ arguendi formæ pendent ex notitia eorum omnium, idcirco remittimus illas ad peculiarem diſputationem poſtea dandam circa naturam, & proprietates omnium ſpecierum connexionum, & oppoſitionum.

145. Itaque ex veritate copulativa 4. eliciuntur efficaces arguendi

di formæ 1. Veritas copulativa rei A. & B. conjuncta cum exiſtentia rei A. & C. infert coexiſtentiam rei B. & C. 2. Veritas eadem conjuncta cum coexiſtentia rei B. & C. infert coexiſtentiam rei A. & C. firmi namque ſunt hi ſyllogiſmi A. & B. *ſimul coexiſtunt*; *ſed* A. coexiſtit rei C. *ergo* B. *coexiſtit rei* C. *item ſed* B. *coexiſtit rei* C. *ergo etiam* A. Ratio eſt pervia per reductionem ad impoſſibile : ſi B. non coexiſteret rei C. (quod eſt contradictorium primi conſequentis) inferretur, aut B. non coexiſtere rei A. quod contradicit majori conceſſæ : aut A. non coexiſtere rei C. quod contradicit conceſſæ minori : ergo ex falſitate prędicti conſequentis infertur falſitas alterutrius præmiſſæ conceſſæ : ergo ſimultanea illarum veritas repugnat falſitati illius conſequentis : ergo infert veritatem ejuſdem.

146. 3. Eadem veritas copulativa ſi conjungatur cum eo, quòd A. non coexiſtat rei C. infert rem B. non coexiſtere rei C. 4. Veritas conjuncta cum eo quod B. non coexiſtat rei C. infert rem A. non coexiſtere rei C. valent namque hi ſyllogiſmi: *exiſtunt ſimul* A. & B. *ſed* A. *non coexiſtit rei* C. *ergo neque* B. item: *ſed* B. *non coexiſtit rei* C. *ergo neque* A. Ratio eſt eadem: ſi B coexiſteret rei C. (quod eſt contradictorium primi conſequentis) ſequeretur aut B. non coexiſtere rei A. quod contradicit majori conceſſæ: aut A. coexiſtere rei C. quod contradicit minori. ergo ſi ambæ præmiſſæ conceduntur, neceſſe eſt quod B. non coexiſtat rei C.

147. Si autem veritas copulativa fuerit negativa duos invenies efficaces modos 1. Ex illa negativa, & aſſertione unius ſequitur negatio alterius. 2. Ex eadem negativa, & aſſertione alterius ſequitur negatio unius: v. g. *non exiſtunt ſimul* A. & B. *ſed exiſtit* A. *ergo non exiſtit* B. item, *ſed exiſtit* B. *ergo non exiſtit* A. quippe in primo ſyllogiſmo, ſi exiſteret B. (quod eſt contradictorium conſequentis) & ſimul eſſet vera minor, ſequeretur quod ſimul exiſteret A. & B. & conſequenter eſſe falſam illam majorem conceſſam: excipe tamen quando extrema ſunt reciprocè connexa: aut ſaltem unum eſt connexum cum altero, & illud unum affirmatur in minore: quia tunc veritas minoris afferens ſecum formaliter illud unum, & illativè illud alterum, affert ſecum eſſentialiter abſolutè coexiſtentiam utriuſque: ergo minor affert tunc falſitatem majoris negantis hanc coexiſtentiam: ex præmiſſis autem invicem pugnantibus quoad veritatem non poteſt abſolutè inferri concluſio, quippe quæ innititur ut talis ſimultaneæ veritati præmiſſarum.

148. Ob hunc diſcurſum fallaces ſunt hi ſyllogiſmi; *non coexiſtunt* *re-*

Petrus, & ſcientia, qua Deus videt illum exiſtere: ſed exiſtit Petrus: ergo non exiſtit ea ſcientia: item: *non coexiſtunt unio, & extrema; ſed exiſtit unio; ergo non exiſtunt extrema*: minores namque arcent formaliter, aut illativè veritatem majorum, tametſi hæ poſſint antecedenter eſſe veræ.

149. Excipe 2. quando veritas majoris negativæ fundatur in aliquo privatim oppoſito cum re affirmata in minore: quia tunc eo ipſo quòd minor ſit vera, deſtruit fundamentum illud, cui inſiſtit tota veritas majoris: ergo deſtruit veritatem majoris: ergo ſunt præmiſſæ invicem pugnantes quoad veritatem: v. g. efficax decretum Dei tollendi Petrum de medio fundat immediatè hanc veritatem, *Petrus non exiſtit*: ergo fundat hanc, *non coexiſtunt* Petrus, & Joannes, quia certè eſt impoſſibile, quòd coexiſtant, quando unus non exiſtit: veruntamen cùm decretum hoc non connectatur cum eo, quòd exiſtente Petro moriatur Joannes, ut per ſe patet: idcirco quando veritas hujus negativæ propoſitionis inſiſtit ſoli decreto dicto, nullus eſt hic ſyllogiſmus: *non coexiſtunt Petrus, & Ioannes: ſed exiſtit Petrus: ergo non exiſtit Ioannes*: quia veritas minoris opponitur eſſentialiter cum fundamento unico majoris: ergo opponitur cum veritate hujus majoris: ergo artificium ſyllogiſmi nullum eſt abſolutè loquendo: jam ſi prædictos 6. arguendi modos emergentes ex propoſitione copulativa multiplices per capita generalia ſupra data *definitionis, conſequentiæ, converſionis &c.* non parvam copiam habebis argumentationum.

150. Ex veritate disjunctiva octo depromi poſſunt arguendi formæ: nam ſi illa fuerit affirmativa utriuſque extremi (eſto inter duo ſola extrema vagari) v. g. *vel exiſtit* A. *vel exiſtit* B. arguitur 1. ex illa, & negatione rei A. ad exiſtentiam rei B. 2. ex eadem, & negatione rei B. ad exiſtentiam rei A. ſed cum exceptionibus mox dandis: quam ob rem legitimi ſunt per ſe loquendo hi ſyllogiſmi *vel exiſtit* A. *vel* B. *ſed non exiſtit* A. *ergo* B. nam ſi nec exiſteret B. cùm dicatur in minore, quòd non exiſtit A. ſequeretur, quòd nec exiſteret A. neque B. & conſequenter eſſe falſam majorem conceſſam: item *ſed non exiſtit* B. *ergo exiſtit* A. Si fuerit negativa utriuſque extremi; arguitur 3. ex illa, & affirmatione rei A. ad negationem rei B. 4. Ex eadem, & affirmatione rei B. ad negationem rei A. v. g. *vel non eſt* A. *vel non eſt* B. *ſed eſt* A. *ergo non eſt* B. item *ſed eſt* B. *ergo non eſt* A. Ratio eſt eadem ſcilicet per reductionem ad impoſſibile, quoniam ſi eſſet verum contradictorium conſequentis, & minor jam ſit conceſſa, ſequeretur eſſe falſam majorem etiam conceſſam: ergo ſequeretur eſſe

veram majorem, & ſuam contradictoriam.

151. Si fuerit affirmativa rei A. & negativa rei B. arguitur 5. ex illa, & negatione rei A. ad negationem rei B. 6. ex illa, & affirmatione rei B. ad affirmationem rei A. v.g. *vel eſt* A. *vel non eſt* B. *ſed non eſt* A. *ergo non eſt* B. item: *ſed eſt* B. *ergo non eſt* A. Valent ob eandem rationem, quia ſi contradictorium conſequentis adjungas minori, concludes falſam eſſe majorem: & conſequenter eſſe veram ſuam contradictoriam, & conſequenter contumacem illum, qui negat conſequentiam, debere deglutire duas contradictorias. Ratio brevior eſt. Ut illæ propoſitiones disjunctivæ ſint veræ, opus eſt, quòd unum ex illis duobus, quibus conſtant, ſit verum: ergo ſi ex illis eiſdem unum negatur in minore, neceſſe eſt, quòd alterum concedatur in conſequenti. Demùm ſi fuerit negativa rei A., & affirmativa re B.; alii duo reſultãt boni ſyllogiſmi, nempe ab affirmatione rei A. ad affirmationẽ rei B., & à negatione hujus ad negationẽ illius v.g. *vel non eſt* A.; *vel eſt* B.: *ſed eſt* A. (en excluſum unum extremum illius disjũctivæ) *ergo eſt* B. item *ſed non eſt* B. (en excluſum alterum) *ergo non eſt* A.

152. Præterea cùm inter definitiones extremorum disjunctionis liceat diſcurrere non ſecus ac inter extrema ipſa; eo quia definitum, & definitio ſint termini convertibiles, ecce alias 8. legitimas argumentationes: *vel exiſtit homo, vel exiſtit equus: ſed non exiſtit animal hinnibile: ergo exiſtit animal rationale &c.* Rurſus cùm definitionem cujuslibet extremi poſſimus combinare cum altero, ſicut unum ipſum extremum cum altero, en alias 8. tranſverſas formas legitimas: *illud, quod graditur, vel eſt homo, vel bellua: ſed non eſt animal rationale: ergo eſt bellua*: & ſimiliter de aliis.

153. Neque objicias fore plures terminos quàm oporteat: etenim definitiones, & definita non multiplicant formaliter terminos in ordine ad vitiandum argumentationem, quidquid ſit de multiplicatione purè materiali, & grammatica in ordine ad eum, qui terminos non introſpexerit: quapropter concludit re ipſa hic ſyllogiſmus, qui Tyronibus videbitur conſtare quinq; terminis: *omne animal eſt corpus; ſed omnis homo eſt vivens ſenſibile* (en definitionem animalis) *ergo omnis homo eſt impenetrabilis*: en definitionem corporis, quod erat prædicatum in majore: ſi enim hujus, & cujuſvis alius ſimilis ſyllogiſmi conſequentiam neges poſt conceſſas præmiſſas, cogeris per legitimas conſequentias concedere duo contradictoria. Cujus ratio eſt, quia definitum, & definitio valent ad convertentiam: ergo quidquid concluditur ex uno, concluditur ex altero, & quoties legitimè infertur unum, legitimè in-

infertur alterum: ergo illa multiplicatio terminorum eſt purè materialis, non autem formalis, quæ officiat rectitudini conſequentiæ. Denique ſi connexiones inſpicias, oppoſitioneſque utriuſque extremi disjunctionis, multas alias tibi comparabis legitimas argumentationes, quas tuæ induſtriæ relinquimus v. g. hi ſyllogiſmi ſunt recti: vel eſt Petrus, vel non eſt Joannes: ſed Deus revelavit eſse Joannem (ecce rem oppoſitam eſsentialiter cum uno extremo illius disjunctivæ) *ergo eſt Petrus*, quod erat aliud extremum: tu meditare alios.

154. Cœterùm ſyllogiſmi disjunctivi ſunt fallaces. 1. Quando extrema disjunctionis ſint mutuò connexa ut talia, & in minore negatur unum, quia tunc minor deſtruit majorem eo quòd deſtruat ambo extrema illius v. g. *vel Petrus ſedet, vel Deus hoc videt: ſed non ſedet: ergo Deus videt eum ſedere*: malè, quia cùm extrema disjunctionis invicem connectantur, & minor neget unum, ſequitur, quòd deficiat etiam alterum: ergo ſequitur, quòd major ſit falſa: ergo præmiſſæ rixantur inter ſe: ergo ſunt inutiles ad concluſionem.

155. 2. Quando licèt connexio non ſit mutua, ponitur tamen in minore contradictorium illius extremi, cum quo alterum connectitur eſſentialiter: quia tunc minor negans formaliter illud extremum, negat illativè illud alterum, quod connectitur cum eo; ergo collabitur ſimultanea veritas præmiſſarum, in qua ſimultate ſtat energia tota inferendi concluſionem: ob hanc rationem fallit hic ſyllogiſmus, quo irritiri ſolēt Tyrones: *vel deficit alius Deus, vel deficit omnis contradictio: ſed non deficit alius Deus ergo deficit omnis cõtradictio*: ergo ſi vera eſſet minor, quæ tamen falſa eſt, verum eſſet conſequens; ergo caſu quo non deficeret, ſed exiſteret alius Deus (hæc eſt minor) deficeret omnis cõtradictio: ſed ſi exiſtente alio Deo deficeret omnis contradictio, hoc eſt non ſequerentur duo contradictoria, alius Deus eſt poſſibilis: ergo eſt poſſibilis: hac fallacia probari poſſet quodvis impoſſibile eſſe poſſibile. Eſt malus ſyllogiſmus, quia cùm alter Deus, utpotè chimæra, importet conſtitutivè aliquam contradictionem, defectus omnis contradictionis traheret ſecum infallibiliter defectum alterius Dei: ergo unum extremum iſtius disjunctivæ connectitur intimè cum altero: ſed hoc alterum negatur in minore: ergo minor deſtruit immediatè unum extremum disjunctivæ, & mediatè alterum: ergo deſtruit abſolutè veritatem majoris.

156. Ob hanc rationem fallit etiam hic ſyllogiſmus: *vel exiſtit Deus, vel nulla eſt contradictio: ſed non exiſtit Deus: ergo nulla eſt contradictio*: ergo caſu quo minor eſset vera, nempè caſu quo Deus non exiſteret,

ret, verum eſset conſequens, ſcilicet non ſequi contradictionem: ſed in hoc ſtat, quòd ſit poſſibile, Deum non exiſtere, nempè quòd ex hoc nulla ſequatur contradictio: ergo eſt poſſibile, Deum non exiſtere: Abſit: nullam quippe eſſe contradictionem, quod eſt unum extremum iſtius disjunctivæ, intimè connectitur cum exiſtentia Dei, quia ſi hæc deficeret, ſubitò irrumperet aliqua contradictio: ſed minor negat exiſtentiam Dei: ergo negat formaliter unum extremum disjunctivæ; & negat illativè alterum: ergo præmiſsæ non cohærent inter ſe.

157. 3. Eſt fallax ſyllogiſmus disjunctivus, quando major disjunctiva eſt vera propter unum ſolum extremum, & hoc negatur in minore; quia tunc minor etiam deſtruit veritatem majoris, quæ unico illo fulcro ſuſtentabatur; fallaces itaque ſunt hi ſyllogiſmi, *Vel exiſtit Petrus, vel dantur duo contradictoria; ſed non exiſtit Petrus, ergo dantur duo contradictoria*; ergo caſu, quo Petrus non exiſteret, ſequerentur duo contradictoria: ergo eſt impoſſibile, quòd non exiſtat; & ſic probabitur quodvis contingens evadere neceſſarium: fallit, inquam, quia iſta major dumtaxat poteſt eſſe vera ratione exiſtentiæ Petri; ſed hęc negatur in minore: ergo ſi minor eſt vera, corruit tota veritas majoris; ergo deficit ſimultanea veritas pręmiſſarum; ergo nihil concluditur. Ob eandem rationem fallit hic, quo probaretur quodvis poſſibile evadere impoſſibile: *Vel Petrus non exiſtit, vel datur contradictio; ſed Petrus exiſtit; ergo datur contradictio; ergo eſt impoſſibile, quòd Petrus exiſtat*. Non valet, quia illa major ſolùm poteſt eſſe vera ratione illius extremi, *Petrus non exiſtit*, & cum hoc opponitur veritas minoris, *Petrus exiſtit*.

158. Hęc doctrina unam exceptionem habet: tametſi major disjunctiva ſit vera ratione unius tantùm extremi, & hoc negetur in minore; veruntamen ſi ejus negatio eſt intimè connexa cum altero extremo, tunc benè arguetur ad illud alterum propter connexionem extremi ut negati cum illo altero, v. g. hic ſyllogiſmus eſt rectus: *Vel exiſtit Deus, vel exiſtit chimæra; ſed non exiſtit Deus; ergo exiſtit chimæra*; quia licèt illa major dumtaxat ſit vera ratione exiſtentiæ Dei, & hęc negetur in minore: cęterùm cùm hęc negatio, quippe quæ eſt negatio entis neceſſarii, intimè connectatur cum chimęra; hac de cauſa legitimè infertur illud conſequens.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quæ arguendi formæ eliciantur ex veritatibus conditionalibus.

159. PRopoſitio conditionalis non ſecùs ac abſoluta poteſt donari quantitate univerſali, aut particulari, aut ſingulari, v. g. *Si exiſtit* A. *exiſtit* B. poteſt habere hunc ſenſum univerſalem, *Omnis caſus, in quo exiſtat* A. *eſt caſus, in quo exiſtet* B. vel hunc particularem, *Aliquis caſus, in quo exiſtat* A. *eſt caſus, in quo exiſtat* B. vel hunc ſingularem, *Individuus, & ſingularis caſus exiſtentiæ rei* A. *erit caſus exiſtentiæ rei* B. Hanc diſtinctionem nota pro Sophiſtis conantibus nullam propoſitionem conditionalem eſſe contingenter veram, ſed omnes eſſe veritatis impoſſibilis, aut neceſſariæ. v. g. *Si petis librum, concedetur.*

160. Ajunt enim. Hęc propoſitio aut reddit hunc ſenſum univerſalem, *Omnis caſus petitionis eſt caſus conceſſionis libri*, & ſic eſt veritas impoſſibilis, quia unus ex caſibus poſſibilibus petitionis eſt caſus, in quo negetur liber: & eſt impoſſibile, quòd concedatur in illis, & pro illis circumſtantiis, pro quibus negatur: vel reddit hunc, *Aliquis caſus petitionis erit caſus conceſſionis*; & ſic eſt neceſſariò vera propoſitio; quia unus ex caſibus poſſibilibus petendi librum eſt caſus, in quo hic concedatur: & eſt neceſſarium, quòd liber concedatur in caſu, in quo concedatur. Reſpondetur. Illa propoſitio neutrum ex iſtis duobus ſenſibus reddit; ſed hunc prorsùs ſingularem, & contingentis veritatis, *Individuus, & ſingularis caſus petendi librum in inſtanti* A. *erit caſus conceſſionis*, quod poteſt contingere, & poteſt non contingere, & licèt conceſſio libri non poſſit fieri, quin dentur omnia requiſita ad conceſſionem, & petitionem, & quin ea omnia cognoſcantur ſaltem à Deo, quem nihil fugit; cæterùm non eſt neceſſarium, quòd cognoſcantur hac ſpecifica cognitione, *Si petas librum, & dentur omnia omninò requiſita ad conceſſionem, concedetur*, quia inter ea requiſita poteſt eſſe aliquod omninò connexum cum conceſſione, unde fiet, quòd propoſitio conditionalis non erit contingenter, ſed neceſſariò vera. Quocirca aliud eſt cognoſcere ſic, *Erit conceſſio, ad quam tale, & tale requiruntur*; aliud autem ſic: *Si petas librum, & detur tale, ac tale requiſitum ad conceſſionem, erit* hæc:

hæc: propoſitio conditionalis, quæ ſit omninò ſingularis, habebit ad ſummum illum primum ſenſum, ſed non eſt neceſſarium, quòd habeat ſecundum.

P. *Iunius ſec. 11. de Provid. c. 7. & 9.* 161. Sit concluſio cum, & contra P. Junium. Syllogiſmus purè conditionalis concludit ex vi formæ in prima figura (& eàdem proportione philoſophare de reliquis) ſi pręmiſſæ ambæ habuerint quantitatem univerſalem, vel una ſaltem fuerit univerſalis, & altera particularis; quoniam hic ſyllogiſmus conditionalis totus, *Si datur* A. *datur* B. *ſed ſi datur C. datur* A. *ergo ſi datur C. datur* B. eſt legitimus, ſi vertatur in hunc, *Omnis caſus, in quo detur A. eſt caſus, in quo datur* B. *ſed omnis caſus, in quo datur* C. *eſt caſus, in quo datur* A. *ergo omnis caſus, in quo detur C. eſt caſus, in quo datur* B. item ſi vertatur in hunc, *Omnis caſus, in quo detur* A. *eſt caſus, in quo datur* B. *ſed aliquis caſus, in quo datur* C. *eſt caſus, in quo datur* A. *ergo aliquis caſus, in quo datur* C. *eſt caſus, in quo datur* B. atqui primus ille ſyllogiſmus totus conditionalis poteſt habere unum ex his ſenſibus, quia, ut diximus, propoſitiones conditionales poſſunt habere quantitatem univerſalem, aut particularem, prout conſtiterit ex aliis circumſtantiis; ergo ſyllogiſmus, qui ſit totus conditionalis, poteſt eſſe legitimus ex vi formæ. Quòd ſi aliquando contingat, ut mox dicemus, conſequens deductum ex hujuſmodi præmiſſis purè conditionalibus eſſe implicatorium; ideò eſt, quia una ex præmiſſis aſſumit hypotheſim contradicentem veritati alterius, ut etiam dicemus.

162. Eſt quoque legitimus ſyllogiſmus ille conditionalis, ſi præmiſſæ fuerint omninò ſingulares: ęquivalebit enim huic expoſitioni: *Hic caſus individuus exiſtentiæ rei* A. *eſt caſus exiſtentiæ rei* B. *ſed hic caſus individuus exiſtentiæ rei* C. *eſt hic caſus individuus exiſtentiæ rei* A. *ergo hic caſus individuus exiſtentiæ rei* C. *eſt caſus exiſtentiæ rei B.* ſecùs dicendum, ſi ambæ prę̨miſſę habeant quantitatem particularem, quippe *ex puris particularibus nihil ſequitur* per ſe loquendo, tametſi ſequatur, quando poſt copulam negatam prępọnitur prędicato conſequentis ſignum univerſale affirmativum, ut benè notat

P. *Alphonſus lib. 5. Sum. c. 5.* Alphonſus, v. g. *Aliquis homo eſt animal; ſed aliquis equus non eſt homo; ergo aliquis equus non eſt omne animal*; Benè; nam licèt ambæ præmiſſæ ſint particulares, cùm minor conſtet negatione, & hęc diſtribuat quidquid poſt ſe invenit, ſequitur, quòd medium jam eſt diſtributum.

163. Cęterùm ut hi ſyllogiſmi ſint legitimi, opus eſt hypotheſim, quam

quam aſſumit minor, non pugnare cum veritate majoris; nam cùm hęc eadem hypotheſis aſſumatur in conſequenti, procedet hoc conſequens ſub hypotheſi falſitatis unius ex pręmiſſis; quomodò ergo poteſt deduci conſequens eſſe verum ſub hypotheſi, quòd una ex præmiſſis ſit falſa? Ob hanc rationem eſt illegitimus hic ſyllogiſmus, *Si præcepero Joanni, erit mihi obediens; ſed ſi mihi ſit inobediens, præcipiam Joanni* (quia abſque pręcepto non poteſt eſſe inobedientia: unde ſi datur inobedientia, datur pręceptum) *ergo ſi Ioannes ſit mihi inobediens, erit mihi obediens*, nempe in eodem, & pro eodem, Ecce conſequens implicatorium ex pręmiſſis veris. Fallacia ſtat in eo, quòd hypotheſis minoris, nempe quòd *ſit mihi inobediens*, imbibit fal ſitatem majoris, ſcilicet quòd conjungantur, *& meum præceptum, & illius non obedientia*, quæ conjunctio falſificat majorem dicentem, *ſi præcepero, erit obediens*; ergo in iſto ſyllogiſmo cùm conſequens aſſumat eandem hypotheſim quam minor, ſequitur, quòd conſequens iſtud conditionatum aſſumat pro hypotheſi falſitatem majoris; quomodò ergo poteſt inferri ex iſtis præmiſſis? Eſt ergo ſimilis huic, *Si datur* A. *datur B. ſed ſi hoc eſt falſum, exiſtit* C. *ergo ſi hoc eſt falſum, nempe quòd exiſtente* A. *exiſtit* B. *eſt verum, quòd ſi datur* A. *datur* C. Eſtne bona hæc argumentatio? Similis eſt iſta altera, quia, ut diximus, hypotheſis illius minoris trahit ſecum falſitatem majoris.

164. Quoad ſyllogiſmos non purè conditionales, ſed mixtos eo, quod habeant unam præmiſſam conditionalem, & alteram abſolutam v. g. *ſi eſt A. eſt B. ſed eſt A. ergo eſt B.* Dicendum eſt. Propoſitio conditionalis poteſt eſſe quadruplex. 1. Affirmativa conditionis, atque conditionati. 2. Negativa ex parte utriuſque. 3. Affirmativa conditionis, & negativa conditionati. 4. Negativa conditionis, & affirmativa conditionati. Præterea propoſitio conditionalis poteſt eſſe *illativa* (illa nimirum, quæ enunciat connexionem hypotheſis objectivæ cum conditionato) *conditionalis ſtricta*, videlicet, quæ profert hypotheſim eſſe prærequiſitam ad conditionatum, ſeù eſſe plenam poteſtatem ad illud: *& purè conjunctiva*, nempè illa, quæ ab his præſcindens dumtaxat enunciat conditionatum extiturum in eo inſtanti, in quo ponatur conditio: quocirca propoſitio contradictoria poteſt quoque eſſe in triplici differentia, negativa ſcilicet illationis, aut conditionalitatis, aut coexiſtentiæ conditionis, & conditionati. Ex parte inſuper materiæ multiplex conſurgit propoſitio conditionalis, multæque combinationes pullulant: fieri namque

nexum cum ipſa conditione: perperàm igitur deducitur ut concluſio contradictorium conditionis; & ratio eſt, quia veritas iſtarum, & ſimilium minorum pugnat cum veritate iſtarum majorum; in primo namque ſyllogiſmo v. g. veritas majoris efflagitat, quòd non coexiſtant libertas A, & *hujus* peccatum, ſed veritas minoris importat ſecum, quòd coexiſtant; cùm repugnet omninò libertatem A peccare actù formaliter, quin actù formaliter exiſtant libertas A, & peccatum; ergo cùm præmiſſæ ſe invicem repellant, quid mirum, quòd ineptæ ſint inferendo conſequens? Similiter in ſecundo: quoniam penetratio, quæ aſſeritur in minore, intimè cōnectitur cum ipſis corporibus, quæ penetrantur, & quæ ſunt hypotheſis in majore; ergo connectitur cum coexiſtentia ſui, & illorum corporum; ergo connectitur cum falſitate illius majoris. Deſideratur 2. contradictorium conditionati non opponi cum veritate ipſa conditionali: ſi enim opponantur veritas conditionalis, & contradictorium conditionati, quid niſi monſtruoſum poteſt ab illis naſci? Ob hanc rationem fallax eſt hic Syllogiſmus: *Si exiſteret conſilium* A, *exiſteret ſcientia media de illius efficacia*; *ſed hæc ſcientia media non exiſtit*; *ergo non exiſtit conſilium* A; nam cùm major ſit formaliter, aut illativè actus quidam ſcientiæ mediæ circa efficaciam libertatis A, & minor neget hujuſmodi ſcientiam, ſit ut veritas minoris evertat majoris veritatem.

166. 3. Quando hypotheſis objectiva propoſitionis conditionalis eſt libertas activa A, & conditionatum eſt exercitium aliquod hujus libertatis, opus eſſet, quòd in minore poneretur contradictorium hujus conditionati, *ut determinatum per eandem libertatem*: nam ſi per aliam determinatur, nihil concludetur, ut oſtendit inutilis hic ſyllogiſmus: *Si daretur libertas* A, *non daretur peccatum*; *ſed datur peccatum per libertatem* B; *ergo non datur libertas* A. Mala conſecutio: debuerat igitur ſic efferri: *Si daretur libertas* A, *ipſa non peccaret*: *ſed ipſa peccat*: *ergo ipſa non datur*. Veruntamen neque ſic concludit, quoniam veritas majoris exulat per veritatem minoris; quapropter in his propoſitionibus conditionalibus, quarum hypotheſis eſt activa libertas, & conditionatum eſt negativum exercitium ipſius ejuſdem libertatis, nullus poteſt formari ſyllogiſmus à contradictorio conditionati ad contradictorium conditionis: ſi enim contradictorium illud aſſeritur ut determinatum ab eadem libertate, minor fugat majorem; ſi ut determinatum ab alia libertate, præterquamquòd non erit contradictorium conditionati propoſitionis illius conditionalis (quæ ſanè non enunciat fore ut ſi detur libertas *A*, omit-

X tat

tat peccatum diſparata alia libertas, ſed fore ut ſi detur libertas *A. hac ipſa* peccatum omittat) præmiſſæ nullam inter ſe coordinationem habebunt, & utrolibet modo nihil concluditur; unde habes illegitimum eſſe ſyllogiſmum illum, quem ut concludentem ſupponunt DD. quidam Complutenſes, ſcilicet: ſi daretur libertas A, peccaret: ſed non peccat; ergo non datur. Quo poſito ajunt, Deum poſſe impedire veritatem conſequentis, quin poſſit impedire veritatem præmiſſarum, & inferunt, non omnem, qui poteſt impedire terminum connexionis eſſentialis, poſſe impedire fundamentum. Sed ſyllogiſmus ille non eſt bonus, & conſequenter non datur ſimultanea veritas præmiſſarum, quæ ſit connexa eſſentialiter cum eo conſequente: quoniam illa minor aut determinatur, & fit vera per illam eandem libertatem A, de qua loquitur major: aut per aliam, quæcumque ſit? Si primum, minor falſificat majorem, ut patet; ergo non datur ſimultanea veritas præmiſſarum: ſi ſecundum; minor eſt diſparata reſpectu majoris, ſicut in hoc alio ſyllogiſmo; *ſi exiſteret libertas A. loqueretur; ſed non loquitur libertas B.* quid poteſt hinc inferri?

167. Sed obiicies; hæ duæ præmiſſæ, *ſi daretur libertas A, non loqueretur; ſed loquitur*. Hæ inquam vel ſunt coniungibiles cum falſitate illius conſequentis; *non datur libertas A*, vel non ſunt conjungibiles? Si primum; ergo ſimultanea veritas illarum præmiſſarum eſt conjungibilis cum falſitate majoris, quod per ſe repugnat; etenim falſitas illius conſequentis, nimirum, exiſtentia libertatis A conjuncta cum veritate minoris, ideſt cum locutione, metaphyſicè infert, quòd coexiſtunt libertas A, & locutio: & conſequenter, quòd eſt falſa illa major. Si ſecundum; ergo ſimultanea veritas illarum præmiſſarum per ſe repugnat falſitati illius conſequentis; ergo per ſe connectitur cum veritate illius; ergo per regulas reductionis ad impoſſibile conſtat, illum ſyllogiſmum eſſe bonum, quandoquidem contradictorium conſequentis adjunctum uni ex præmiſſis conceſſis infert falſitatem alterius.

168. Reſp. eodem modo probare poteras, eſſe bonum hunc ſyllogiſmum, *ſi exiſtunt duo corpora, non ſunt penetrata: ſed ſunt penetrata; ergo non exiſtunt*. Ecce concluſionem oppoſitam cum minore, quandoquidem eſt impoſſibile, quòd non exiſtant in rebus ea, quę exiſtunt in eodem penitus loco. Igitur reſpondeo; cùm ſimultanea iſtarũ pręmiſſarũ veritas ſit chimęrica, quia ut diximus, veritas minoris evertit veritatẽ majoris: quid mirum, eſſe, & ſimul non eſſe conjungibilem cum falſitate conſequentis? Eſt ergo verum utrumque extremum

Dile-

Dilemmatis; ſed abſurdum non eſt, verificari duo contradictoria de ſimultanea veritate chimærica. Neque reclames, id probare, *ex falſo numquam ſequi verum*; cùm tamen licèt ex vero numquam ſequatur falſum, ex falſo aliquando verum, aliquando falſum ſequatur. Concedimus ex falſo nunquam ſequi verum, quando falſitas ſtat in eo, quòd una ex præmiſſis pugnet cum altera, nam cùm totum pondus ſequelæ innitatur *ſimultaneæ veritati præmiſſarum*, hac ruente corruit illud.

169. Hactenus de modis arguendi eliciendis ex propoſitione conditionali ſumpta in ſenſu conjunctivo: ſua contradictoria eſt illa, in qua præponitur negatio copulæ *ſi*: v. g. *non ſi exiſtat A. exiſtit B.* Hæc æquivalet veritati copulativæ negatæ, ſcilicet *non coexiſtent A, & B*; quatenus illa infert hanc, licèt hæc non inferat illam; hinc dictæ conditionalis contradictoria miniſtrabit tibi duos illos arguendi modos, quos ſupra dedimus inter explicandum veritates copulativas: & præterea unum alium, nimirùm ab illa ad negationem connexionis hypotheſis cum conditionato: *non ſi exiſtat A, exiſtit B; ergo A. non eſt connexum cum B.* Sed non ſemper è contrario, quoniam fieri poteſt, ut, *non ſi exiſtat A, exiſtat B; & tamen quòd ſi exiſtat B, exiſtat A; eo quia B infallibiliter connectatur cum A, licèt hoc non connectatur cum B.* Omnis namque creatura connectitur eſſentialiter cum exiſtentia Dei, & Deus non connectitur cum exiſtentia illius creaturæ, & conſequenter licèt non ſemper ſit vera hæc, *ſi exiſtit Deus, exiſtit talis creatura*; ſemper tamen eſt vera hæc, *ſi exiſtit talis creatura, exiſtit Deus*.

CAPUT IX.

Quot, & quæ Argumentationes deducantur ex identitate, atque diſtinctione extremorum.

170. HIc eſt frequentiſſimus arguendi modus: ſcilicet, *hoc eſt illud*; aut, *hoc non eſt illud*. Pro his argumentationibus reliquit Ariſtoteles quatuor illa principia, duo affirmativa; & duo negativa, duo univerſalia, & duo pro ſingularibus, quæ minutatim explicamus inter explicandum principia, ſeu axiomata Dialectica. Principia ergo ſunt: *dici de omni: dici de nullo*; en affirmativum, & negativum pro univerſalibus: item, *quæ ſunt eadem*

uni tertio , ſunt eadem inter ſe . Quæ repugnant uni tertio , repugnant inter ſe : en alia duo affirmativum , & negativum pro ſingularibus .

171. Omnes modos arguendi directè, qui educi poſſunt ex identitate , ac diſtinctione reducunt Dialectici ad 16. (quamvis Izquierdo in Pharo diſp. 20. innumeros alios exponat) comprehenſos his barbaris verſibus .

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton .
Celantes, Dabitis , Fapeſmo Friſeſomorum .
Cæſare , Cameſtres , Feſtino , Baroco , Darapti,
Felapton, Diſamis , Datiſi , Brocardo , Feriſon .

In unoquoque ex his vocabulis tres vocales invenies: *prima* ſignificat quæ , & qualis debeat eſſe major ſyllogiſmi: *Secunda* quæ , & qualis debeat eſſe minor : *Tertia* quæ , & qualis debeat eſſe concluſio . Rurſus quando videris A., intellige univerſalem affirmativam : quando E., univerſalem negativam : quando I. particularem affirmativam : quando O. particularem negativam, quod duobus aliis verſibus docetur .

Aſſerit A. *negat* E. *ſunt univerſaliter ambo .*
Aſſerit I. *negat* O. *ſunt particulariter ambo .*

172. Præterea hos omnes arguendi modos diſtribuerunt in tres claſſes , ſeu figuras . In 1. medium debet eſſe ſubjectum in majore , & prędicatum in minore v. g. *omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal ; ergo omnis homo eſt vivens* : hic ſyllogiſmus eſt in prima figura , quia ille terminus medius *animal* eſt ſubjectum in majore , & prædicatum in minore, ut vides: eſt inſuper in primo modo primæ figuræ, hoc eſt in *Barbara* , quia major , & minor , & concluſio ſunt univerſales affirmativæ . Tuum eſt formare alios juxta omnia illa vocabula à *Barbara* uſque ad *Friſeſomorum* incluſivè . Sed cave ſyllogiſmos aliquos, qui videntur eſſe in *Barbara* , & ſunt fallaces v. g. *omnis homo eſt vivens : ſed omne, & ſolum animal rationale eſt homo: ergo omne, & ſolum animal rationale eſt vivens* : en præmiſſas veras , & concluſionem falſam, quæ decipula armari poteſt in quavis alia materia. Fallacia ſtat in eo, quòd vox illa *ſolum*, quæ eſt in concluſione, (& idem de quacumque alia excluſiva) utpotè excluſiva, reddit ſenſum negativum : ergo diſtribuit illud prædicatum *vivens*, quod eſt in concluſione, quia negatio quidquid poſt ſe invenit, deſtruit: ſed illud prædicatum non eſt diſtributum in majore , ut patet, ergo in hoc ſyllogiſmo arguitur ab indiſtributo ad diſtributum , ergo malè , juxta num. 16.

173. In 2. figura incipiente à *Ceſare* uſque ad *Baroco* incluſivè : me-

Digitized by Google

medium debet eſſe prædicatum in majore v. g. *nullus lapis eſt animal: ſed omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis*. Hic eſt in ſecunda figura, quia illud medium *Animal* eſt prædicatum in utraque præmiſſa: & eſt in *Ceſare*, qui eſt primus modus ſecundæ figuræ, quia major eſt univerſalis negativa, minor univerſalis affirmativa, & concluſio univerſalis negativa juxta diſtributionem eorum vocalium E. A. E. Tu forma alios ſyllogiſmos in *Cameſtres*, *Feſtino*, & *Baroco*.

174. In tertia figura medium debet eſſe ſubjectum in utraque præmiſſa v. g. *omne animal eſt corpus: ſed omne animal eſt vivens: ergo aliquod vivens eſt Corpus*. Hic ſyllogiſmus eſt in tertia figura, quia medium illud *Animal* eſt ſubjectum in utraque præmiſſa: & eſt in *Darapti*, qui eſt primus modus tertię figuræ, nam major, & minor ſunt univerſales affirmativę; & concluſio particularis affirmativa juxta ordinem illarum vocalium A. A. I. Tu forma alios ſyllogiſmos in reliquis modis hujus tertiæ figuræ, qui incipiunt à *Darepti* incluſivè uſque ad *Feriſon*. Omnes arguendi modi ſignificati per dicta vocabula *Barbara* &c. ſunt directi, quia in concluſione extremitas minor (ideſt illa, de qua enunciatur medium in prima figura ſive ſit in majore, ſive in minore) eſt ſubjectum, & extremitas major, ideſt illa, quę enunciatur de medio, in eadem figura eſt prędicatum: quòd ſi juxta regulas converſionum, convertas concluſionem horum modorum, ponendo pro ſubjecto extremitatem majorem, & pro prædicato minorem, reſultabunt alii ſexdecim legitimi arguendi modi, qui vocantur *indirecti*.

175. Cùm enim convertens infallibiliter ſequatur ex converſa, ut ſupra dicebamus; & converſa ipſa legitimè ſequatur ex quibuslibet prçmiſſis horum modorum, neceſſe eſt, quòd ex eisdem præmiſſis ſequatur legitimè convertens: & hæc eſt, quæ vocatur concluſio indirecta v. g. in *Cameſtres*, qui eſt ſecundus modus ſecundæ figurę, *omnis homo eſt animal: ſed nullus lapis eſt animal*: concluſio directa eſt: *ergo nullus lapis* (en extremitatem minorem pro ſubjecto) *eſt homo*, en extremitatem majorem: ſed etiam poteſt ex illis præmiſſis elici hæc concluſio indirecta: *ergo nullus homo eſt lapis*, quia illa directa, cùm ſit univerſalis negativa, convertitur ſimpliciter, nempe in hanc aliam univerſalem etiam negativam, quia *ſimpliciter feci*: atqui in unoquoque ex dictis ſexdecim modis: poteſt fieri idem, ergo reſultant 32. modi efficaces arguendi.

176. Addunt aliqui quartam figuram, quam Galeni vocant, nempè in qua medius terminus ſit prædicatum in majore, & ſubjectum in minore, ſicut in figura prima eſt ſubjectum majoris, & prædicatum

minoris: ſed hoc non eſt revera multiplicare figuras ſyllogiſticas, ſed tranſmutare præmiſſas primæ figuræ, & minorem facere majorem, & hanc poſtponere illi, ut non rarò fit inter arguendum, & factum fuit
Epiſt. 1. cap. 3. a S. Joanne ſcribente: *omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam*: vis atque energia omnium modorum trium harum figurarum ſtat in eis principiis, *de omni: de nullo*, quæ in Præludio ad ſcholaſticas diſciplinas, Prolegomeno 1. explicamus.

177. Quando ſyllogiſmus eſt de medio omninò ſingulari, & ob hanc cauſam dicitur expoſitorius, poteſt ſimiliter formari in triplici figura: v. g. *hic homo eſt Rex: Petrus eſt hic homo*: *ergo Petrus eſt Rex* en medium terminum, ſcilicet *hic homo*, ſubjectum in majore, & prædicatum in minore: & conſequenter ſyllogiſmus eſt in prima figura. In 2. etiam v. g. *hoc ſaxum non eſt hoc animal: ſed Petrus eſt hoc animal*: *ergo Petrus non eſt hoc ſaxum*: ecce aſsumptam rationem, ſeu quòd idem eſt, *medium*, nempè *hoc animal*, prædicatum in utraque præmiſsa. In 3. demum v. g. *hic homo eſt hoc animal*: *hic homo eſt Petrus*: *ergo Petrus eſt hoc animal*: jam robur, vis, & efficacia harum argumentationum de medio, ſeu ratione omnino ſingulari ſtat in eis principiis, *quæ ſunt eadem uni tertio: quæ repugnant uni tertio &c.* quæ explicamus per otium in præludio citato.

178. Praxis autem, & uſus utrorumque ſyllogiſmorum hic eſto: habes præ manibus aliquam propoſitionem probandam, quæ quidem non ſit evidenter falſa, quia Dialectica non opitulatur ad probandum, ſed ad detegendum falſitates iſtas: in primis debes attentè inſpicere ſubjectum, & prædicatum illius propoſitionis cum ſuis annexis: & maximè conſiderare debes quidditatem, naturam, & proprietates utriuſque, quia hinc maximè deſcendunt puriores argumentationes. Si propoſitio, quam probare debes, ſit affirmativa, debes indagare aliquam rationem, aliquod medium, aliquem titulum univerſalem, ſub quo comprehendatur ſubjectum tuæ propoſitionis, & cui conveniat prædicatum ejuſdem. Quòd ſi hoc prædicatum non conveniat illi medio, aut licèt conveniat, non comprehendatur ſub illo medio; ſubjectum tuæ propoſitionis nihil concludet: v. g. vis probare omnem hominem eſse capacem nutritionis: aſsume hanc rationem, ſeu medium *animal*, ſub quo titulo generali comprehenditur homo, & cui titulo animalis competit capacitas nutritionis, & argues ſic in in Barbara: *Omne animal eſt capax nutritionis: ſed omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt capax nutritionis*. Sin verò aſſumas hanc rationem,

Ar-

Arbor, nihil efficies: quia tametſi omni arbori competat capacitas nutritionis;homo tamen non comprehenditur ſub ratione arboris: quocirca dices ſic, *omnis arbor eſt capax nutritionis:ſed omnis homo eſt arbor:* hæc tibi negabitur. Similiter nihil efficies ſi aſſumas titulum,ſeu rationẽ, ſeu medium hoc *rationale*:quia licèt omnis homo ſub hoc titulo cõprehendatur; attamen non omni rationali competit capacitas nutritionis: quoniam Angeli ſunt rationales, & hanc capacitatem non habent: te ergo dicente, *omne rationale eſt capax nutritionis: ſed omnis homo eſt rationalis*:negabit impunè adverſarius majorem.

179. Similiter quando propoſitionem de ſubjecto omnino ſingulari probare velis per ſyllogiſmum expoſitorium (probari etiam poſſunt hujuſmodi qropoſitiones ſyllogiſmis de medio communi v. g. *omnis Perſona Divina eſt æterna: ſed Verbum eſt Perſona Divina; ergo eſt æternum*: ſed hi ſyllogiſmi non ſpectant *formaliter*, ſed *reductivè* dumtaxat ad ullum ex modis illarum trium figurarum, nam ut vides, omnes præmiſſæ illorum debent habere aut quantitatem univerſalem, ſcilicet *omnis, nullus*, aut particularem, nempè *aliquis*) quando inquam uti velis ſyllogiſmo expoſitorio, debes quærere aliquod medium, aliquam rationem, aliquid prorſus ſingulare, quod identificetur cùm ſubjecto tuæ propoſitionis, & cum quo identificetur prædicatum: quòd ſi alterutrum ex his duobus non ſubſtiterit, nec tuus ſyllogiſmus ſubſiſtet: v. g. *hoc animal eſt hoc rationale: Petrus eſt hoc animal; ergo Petrus eſt hoc rationale*: valet; ſed non valet hic: *hæc arbor eſt hoc vivens: ſed Petrus eſt hæc arbor; ergo eſt hoc vivens*: licèt enim *vivens* competat huic arbori, veruntamen Petrus non identificatur cum hac arbore. Neque valet hic: *hoc rationale eſt hæc arbor: ſed Petrus eſt hoc rationale*: nam licèt hoc ſecundum ſit verum, illud primum eſt falſum. Dicimus autem hos ſyllogiſmos non valere; non quia, conceſſis præmiſſis, poſſit negari conſequentia; ſed quia medium, ſeu ratio aſſumpta in illis nihil valet: Damus autem in præſenti regulam ad utendum utriſq; ſyllogiſmis ita ut diſcurſus undequaq; ſit legitimus, & validus.

180. Hactenus de praxi probandi propoſitiones affirmativas. Quòd ſi propoſitio, quam præ manibus habueris, ſit negativa, debes ſimiliter indagare aliquam rationem, ſeu aliquod medium, ſub quo comprehendatur tuæ propoſitionis ſubjectum, & cui medio, ſeu rationi repugnet ejuſdem propoſitionis prædicatum (intellectis ſemper omnibus utriuſque appendicibus, ſeu annexis) Quòd ſi alterutrum ex his defecerit, ſyllogiſmus tuus deficiet etiam: v. g. vis probare hanc propoſitionem, *nullum hominem eſſe marmor*: aſſume hanc rationem

ſenſi-

ſenſibile,quia ei repugnat eſſe marmor, & ſub ea comprehenditur omnis homo: argues itaque ſic;*nullum ſenſibile eſt marmor:ſed omnis homo eſt ſenſibilis*: *ergo nullus homo eſt marmor*: en probatam hanc propoſitionem per ſyllogiſmum in *Celarent*.

181. Malè tamen probandi ergo eandem propoſitionem aſſumes rationem *corporis*, quia licet ſub ea comprehendatur etiam homo, ei non repugnat eſſe marmor: ſi enim dixeris *nullum corpus eſt marmor: omnis homo eſt corpus*, adverſarius nihil curans de minore negabit impunè majorem.Malè ſimiliter aſſumes rationem,ſeu medium ſupernaturalitatis,v.g.quia licèt ei verè repugnet eſſe marmor,ſub ea tamen non comprehenditur homo: quapropter te dicente, *nullum ſupernaturale eſt marmor:ſed omnis homo eſt ſupernaturalis*:adverſarius,conceſſa majore,negabit minorem.

§. II.

182. Circa omnes hos modos arguendi tam expoſitorios,quàm de medio communi,tam unius, quàm alius figuræ, depromptos tamen ex capite identitatis, aut diſtinctionis adverte quatuor:1.Eſt,in nullo ex dictis modis poſſunt eſſe ambæ præmiſſæ negativæ: quia *ex puris negativis nihil ſequitur*. Ratio eſt, quia vel concluſio eſt affirmativa, vel negativa? Si primum;ambæ extremitates debent identificari cum eodem medio in præmiſſis. Si negativa; una extremitas debet identificari cum medio,& altera negari de eodem medio: ergo una ſaltem præmiſſa debet eſſe affirmativa:ergo ſi utraque eſt negativa,concluſio non procedit,ſive ſit affirmativa,ſive negativa. Memineris tamen multas eſſe præmiſſas, quæ videntur negativæ, eo quia negationibus refertæ ſint, & tamen ſunt affirmativæ, & conſequenter ſyllogiſmi ſunt boni v.g.*omne, quod non eſt animal,non eſt homo: ſed omnis arbor non eſt animal*: *ergo omnis arbor non eſt homo*; malè, quia præmiſſæ re vera ſunt affirmativæ, eo quòd præcipua copula eſt ſine negatione; reddunt quippè hunc ſenſum: *omne quod eſt illud, quod non eſt animal,eſt illud,quod non eſt homo*: *omnis arbor eſt illud,quod non eſt animal*; ubi jam vides illas copulas *eſt* non eſſe negatas: quia licèt ipſis præcedat *non*; aſt præcedit in ſenſu infinitante, ſed non in negante; idem dic de illo ſyllogiſmo ſolemni:*Stellæ,quæ non ſcintillant,ſunt propè nos*:*ſed Planetæ non ſcintillant*: *ergo Planetæ ſunt propè nos*: præmiſſæ videntur negativæ, ſed ambæ ſunt affirmativæ.

183. Adverte 2. neque ambæ præmiſſæ poſſunt eſſe particulares: quia *ex puris particularibus nihil ſequitur*: quia vel ſyllogiſmus eſt de me-

medio omnino ſingulari, vel de medio communi, ſeu univerſali? Si primum, utraque erit falſæ ſuppoſitionis, quia utraque innuet pluralitatem illius termini omninò ſingularis, & hac de cauſa ſupponunt falſum hæ propoſitiones, *aliquis Deus eſt, aliquis Deus non eſt*. Si ſecundũ, præterquamquòd ſyllogiſmus non innitetur eis principiis, *de omni, de nullo*, quibus inniti debet omnis ſyllogiſmus de medio communi: ſequetur, quòd non erit medium diſtributum in præmiſſis (nam ſigna particularia, v. g. *aliquis, aliquando &c.* non diſtribuunt terminum, ſupra quem immediatè cadunt, ſed faciunt eum ſignificare disjunctivè ſua inferiora) ſi autem medium non eſt diſtributum, arguetur *ab indiſtributo ad diſtributum*, qui modus eſt illegitimus; nam quoties ſubjectum, & prædicatum concluſionis non identificentur in præmiſſis cum eodem penitus medio, ex illis non ſequitur, quòd identificentur inter ſe.

184. Sed quoties medium eſt indiſtributum, ſubjectum, & prædicatum concluſionis non identificantur in præmiſſis cum eodem penitus medio; nam prædicatum concluſionis identificatur in majore *cum aliquo*, ſubjectum identificatur in minore *cum aliquo*; & fieri poteſt, quòd unum *aliquod* non ſit alterum *aliquod*: ergo ſubjectum, & prædicatum concluſionis non identificantur in præmiſſis neceſſariò cum eodem omninò, quando medium eſt indiſtributum. v. g. licèt concluſio hujus ſyllogiſmi aliunde ſit vera, conſequentia eſt mala *aliquod animal eſt rationale: aliquis homo eſt animal; ergo aliquis homo eſt rationalis*: eſt verum; ſed mala illatio, quia non dicitur in minore hominem identificari cum illo eodem penitus animali, cum quo identificatur rationale in majori, ſed ſolùm cum *aliquo* vagè, ac disjunctivè; & apparet in hoc altero ſyllogiſmo, cujus præmiſſæ ſunt veræ, & concluſio falſa, *aliquod animal eſt rationale: aliquis equus eſt animal; ergo aliquis equus eſt rationalis*; excipe tamen caſum poſitum *cap.* 8.

185. Adverte 3. nullus ex prędictis ſyllogiſmis debet conſtare niſi tribus ſolis terminis (excipe caſum ſcriptum *cap.* 7.) unde quando ſyllogiſmus conſtat quatuor terminis, non valet; ratio eſt. In concluſione debent poni illa eadem extrema, quæ aut in præmiſſis identificabantur cum uno, eodemque medio, ſi concluſio ſit affirmativa: aut uni eidemque medio repugnabant, ſi concluſio eſt negativa; ergo in toto ſyllogiſmo non debent eſſe niſi illud medium, quod aſſumitur ut ratio ad probandum concluſionem, & illa duo extrema, quæ illi eidem medio aut identificantur, aut repugnant, ut poſtea in concluY clu-

cluſione aut affirmentur,aut negentur de ſe; ergo non debent eſſe niſi tres ſoli termini; ergo ſi fuerint plures, corrumpunt artificium ſyllogiſmi, aut ſunt penitus impertinentes, ut ſi quis diceret: *omnis homo eſt animal*: *Petrus eſt homo*, *& gallus cantat*; *ergo Petrus eſt animal*.

186. Hinc 1. cùm termini multiplicentur non ſolùm ſecundùm voces ipſas, ſed etiam ſecundùm ſuppoſitiones, ſecundùm appellationes, & ſecundùm alias affectiones, quas habuerint, quia hæc omnia & ſingula mutant ſenſum, & ſignificationem terminorum: hac de cauſa extremitates concluſionis, ideſt ſubjectum, & prædicatum, imò & copula ipſa debent habere eandem ſuppoſitionem, hoc eſt eundem ſenſum,& ſignificationem,quē habuerint in premiſſis;aliàs multiplicabuntur termini. Item cùm medium debeat eſſe idem, quoniam ſyllogiſmus, in quo mutatur medium, nihil valet; idcirco medium debet habere in una præmiſſa eandem ſuppoſitionem, hoc eſt eundem ſenſum, & ſignificationem, quàm in altera: aliàs extremitates non identificabuntur, aut repugnabunt eidem prorſus medio; excipe tamen quando hoc habuerit ſuppoſitionem diſtributivam in majori, aut particularem, vel ſingularem in minore v. g. *omne animal eſt vivens*: *omnis homo eſt animal*: in qua minore *animal* non habet ſuppoſitionem diſtributivam, quam habebat in majore: nihil refert, quia non tollit omnem hominem identificari cum aliquo animali; & cùm ex alia parte omne animal dicatur in majore identificari cum vivente, non tollit,quòd omnis homo,atque vivens identificentur cum eiſdem reſpectivè mediis; ergo non tollit, quòd identificentur reſpectivè inter ſe.

187. Hinc 2. licèt in quovis ſyllogiſmo ſint plures voces, plura vocabula, quàm tria, non eo ipſo ſunt *formaliter*, ſed tantùm *materialiter* plures termini, quàm tres; quia terminus inpræſentiarum ſignificat extremitates, quæ in concluſione identificantur aut repugnant inter ſe ex eo quòd in præmiſſis identificentur, aut repugnent cum eodem, aut cum eiſdem reſpective mediis; at quanquam in uno quoque ſyllogiſmo ſint materialiter plures voces, aut plura vocabula, ſubſiſtit, quòd ſi eſt rectus ſyllogiſmus, identificentur, aut repugnent inter ſe eædem extremitates, quæ in præmiſſis identificabantur, aut repugnabant cum eodem, vel cum eiſdem extremis reſpectivè; ergo quando ſyllogiſmus eſt rectus, licèt ſint plures voces, & plures termini materialiter, non tamen plures quàm tres formaliter.

188. Diximus *medio*, *aut mediis*, nempe etiam materialiter, ut con-

Digitized by Google

contingit in ſyllogiſmis de medio communi v. g. *omne animal eſt vivens*; *omnis homo eſt animal*. Cùm enim medium, ideſt ſubjectum illius majoris, *animal* ſcilicet, ſit immediatè affectum ſigno univerſali, non accipitur pro uno ſingulari animali: ſed pro hoc, & pro illo, & pro illo altero, & pro omni: quocirca re vera multiplicatur ſubjectum illius majoris; ergo multiplicatur medium. Cœterùm eſt multiplicatio purè materialis intimè imbibita in ſuppoſitionibus diſtributivis; non autem eſt multiplicatio *formalis* impediens in præmiſſis identitatem unjuſcujuſque animalis cum vivente, & conſequenter illius animalis, quod in minore enunciatur de unoquoque homine; ergo illa multiplicatio medii non impedit, quòd in conſequente unuſquiſque ſingularis homo identificetur cum vivente. Igitur multiplicatio terminorum, & medii aut impedit extremitates concluſionis identificari, aut repugnare cum eodem in præmiſſis? Vel non impedit hoc? Si primum, eſt multiplicatio formalis, quæ perdit valorem ſyllogyſmi. Si ſecundum; eſt innocens, & purè materialis multiplicatio, quæ non perdit illum valorem.

189. Adverte 4. ſoli illi quatuor primi modi primæ figuræ ſunt ita directi, ita perſpicui, & evidentes, ut ad ipſorum conſpectum tergiverſari nequeat niſi qui fuerit terminorum ignarus: reliqui omnes ſunt efficaces; ſed non ita evidentes, ut non poſſit interdum negari conſequentia poſt præmiſſas conceſſas ab homine non penetrante ipſorum energiam. Succurrit Dialectica huic neceſſitati, & præbet regulas reducendi quemlibet ex illis aliis ſyllogiſmis ad unum ex illis quatuor perfectiſſimis, atque evidentiſſimis *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*. Geminus eſt reducendi modus: unus dicitur *per oſtenſionem*; eſt longus, implexus, rariſſimè contingens, & qui ſatiandi ergo curioſitatem quæri poteſt in aliis paſſim Authoribus: alter dicitur *per reductionem ad impoſſibile*, & contingit, quando arguens nolentem concedere conſequentiam poſt conceſſas præmiſſas, cogit, ut devoret duo contradictoria, quod eſt pejus, quàm concedere illam conſequentiam: cùmque ſimultanea veritas duorum contradictoriorum ſit impoſſibilis, hac de cauſa dicitur *reductio ad impoſſibile*.

190. Praxis eſt hæc; ſuppoſito quòd ſyllogiſmus, quamvis indirectus, & imperfectus, ſit legitimus (Dialectica non ſuggerit medium convertendi in bonum eum ſyllogiſmum, qui ſemel eſt pravus, & illegitimus,) ſi adverſarius conceſſis præmiſſis, neget conſequentiam; debes tu inſurgere. *Ergo ſimultanea veritas harum præmiſſarum non connectitur cum veritate hujus conſequentis: quia propterea*

negas conſequentiam; ergo ſimultanea veritas ſtare poteſt cum veritate contradictoria hujus conſequentis. Tunc debes proponere contradictoriam illius conſequentis, & conjungendo illam cum ea præmiſſa jam conceſſa, cum qua vides habere proportionem, ut forment ſyllogiſmum in uno ex illis quatuor primis modis primæ figuræ, deducere concluſionem; quæ vel formaliter ut talis, vel converſa juxta converſionum regulas, erit contradictoria immediata alterius præmiſſæ jam conceſſæ, & ſic cogitur Adverſarius deglutire duas contradictorias: unam, quàm jam conceſſerat, alteram, quæ modò venit in ſyllogiſmo perfecto primæ figuræ, ad quem reducitur ille alter imperfectus, cujus conſequentia fuit tibi negata.

191. Poſuiſti v. g. hunc ſyllogiſmum in *Barocco*, qui ſpectat ad ſecundam figuram, & quamvis legitimus, non eſt ita perſpicuus, & evidens: *omne animal eſt vivens: aliquis lapis non eſt vivens; ergo aliquis lapis non eſt animal.* Adverſarius non penetrans rectitudinem hujus ſyllogiſmi, conceſſis præmiſſis, negat conſequentiam. Inſurge ſic: ergo ſimultanea veritas harum præmiſſarum ſtare poteſt cum veritate contradictoria hujus conſequentis, nempe cum hac: *omnis lapis eſt animal*. Tunc ſic: *per te omne animal eſt vivens: ſed omnis lapis eſt animal; ergo omnis lapis eſt vivens.* Ecce concluſionem in *Barbara*, quæ eſt contradictoria illius minoris, quam nuper conceſſiſti, *aliquis lapis non eſt vivens*.

192. Ponamus ſyllogiſmum in *Datiſi*, qui ſpectat ad tertiam figuram: *omne animal eſt vivens: aliquod animal eſt rationale: ergo aliquod rationale eſt vivens*; negat ille conſequentiam: inſurge tu, non quidem ſic de repente: *ergo nullum rationale eſt vivens*; nam irridebit Adverſarius & negabit hanc etiam conſequentiam inquiens, illas præmiſſas, neque inferre unam contradictoriam, neque alteram, ſicut hæ duæ præmiſſæ, *omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo*, neque inferunt hoc, *Gallus cantat*, neque hoc contradictorium, *non Gallus cantat.* Non ergo præcipiti iſto modo debes procedere, ſed hoc alio: *ergo ſimultanea veritas iſtarum præmiſſarum non connectitur cum iſto conſequente; ergo hæc ſimultanea veritas ſtare poteſt cum contradictorio illius: ſed contradictorium illius eſt, nullum rationale eſt vivens; ergo ſimultanea veritas earum præmiſſarum ſtare poteſt cum hac veritate, nullum rationale eſt vivens: ſed hoc eſt impoſſibile, quia hæc veritas conjuncta cum una ex præmiſſis conceſſis infert evidenter falſitatem illius*.

193. Oſtendo ſic: *nullum rationale eſt vivens*; en contradictoriam illius conſequentis: *ſed aliquod animal eſt rationale* (en minorem quam

con-

concepiſti) *ergo aliquod animal non eſt vivens*:en contradictoriam majoris, quam conceſſiſti: *ergo contradictorium illius conſequentis conjunctum cum una ex præmiſſis conceſſis infert contradictoriam præmiſſæ alterius*; *ergo non poteſt ſtare cum ſimultanea veritate illarum*: *ergo cùm omnis oppoſitio eſſentialis ſit mutua*, *fiet*, *quòd neque illa ſimultanea veritas poſſit ſtare cum contradictorio illius conſequentis*: *atqui oppoſitio eſſentialis cum uno contradictorio eſt eſſentialis connexio cum altero,ut ſuppono ex Metaphyſica*; *ergo ſimultanea veritas earum præmiſſarum eſſentialiter connectitur cum veritate illius conſequentis*: *ergo bona eſt illa conſequentia*, *quam negaſti*; en proceſſum totum extenſum.

194. Sed ne terrearis accidenti quodam evenire ſolito; nimirum contradictorium conſequentis conjunctum cum una ex præmiſſis non ſemper infert immediatè, & formaliter in uno ex illis quatuor modis primæ figuræ contradictoriam alterius præmiſſæ: ſemper tamen infert illam, aut immediatè, & directè, aut mediatè, & indirectè quatenus infert propoſitionem, quæ ſi legitimè convertatur, erit contradictoria illius præmiſſæ jam conceſſæ v. g. ponamus hunc ſyllogiſmum in *Dabitis*. *Omne animal eſt vivens*; *aliquis homo eſt animal*; *ergo aliquod vivens eſt homo*: contradictorium hujùs conſequentis, videlicet *nullum vivens eſt homo*,conjunctum cum illa majore, *omne animal eſt vivens*, infert in *Celarent*, *nullum animal eſſe hominem*; hæc converſa ſimpliciter infert, *nullum hominem eſſe animal*: ecce contradictoriam illius minoris conceſſæ,*aliquis homo eſt animal*; omnia hæc praxi meliùs, & exercitio diſcuntur, quàm ſpeculatione.

195. Et en liberatam fidem, quam dedimus initio diſputationis hujus; ſi enim legitimas, & efficaces arguendi formas, quas notavimus, numerare velis; fermè 300. deprehendes, unde copioſam ſuppellectilem parare tibi potes ad legitimè ratiocinandum in quacumque materia philoſophica, theologica,naturali, ſupernaturali, civili, politica, militari &c., modò ſuffragetur veritas tuo diſcurſui; infallibiles namque Dialecticæ regulæ non ſunt ad probandum falſitates, ſed veritates.

DIS-

DISPUTATIO III.

In qua expenduntur hæ Quæſtiones.

1. *An omnis habitus* docens *in Logica ſit habitus* utens? Cap. 1.
2. *An Logica ſit ſimplex qualitas?* Ibid.
3. *Quo ſenſu ſit unica?* Ibid.
4. *An ſit Scientia ſimul, & Ars?* Cap. 2.
5. *An Scientia poſſit eſſe de ſingularibus?* Ibid.
6. *An Scientia debeat haberi per demonſtrationem* à priori Ibid.
7. *An, & quomodo Logica ſit pratica, & ſpeculativa?* Cap. 3.
8. *An, & quomodo ſit neceſſaria ad Scientias alias?* Ibid.
9. *Quid, & quotuplex ſit objectum formale?* Cap. 4.
10. *Quid, & quotuplex objectum materiale?* Ibid.
11. *Quid, & quotuplex motivum?* Ibid.
12. *Quodnam ſit, & quodnam non ſit objectum materiale utriuſque Logicæ?* Cap. 5.
13. *Quodnam ſit, & quodnam non ſit objectum formale earumdem: ubi de Ente rationis?* Ibid.
14. *An denominationes extrinſecæ includant Ens rationis?* Ibid.
15. *Quodnam ſit objectum attributionis Logicæ?* Cap. 6.
16. *An conceptus formales ut dirigibiles juxta regulas Logicæ ſint hujus objectum formale?* Cap. 7.

CUm omnes quæſtiones, quas proemiales vocant, ſint circa Dialecticam, ſeu Logicam minorem, non autem circa majorem, quam ſeorſim dabimus, hac de cauſa illi, non autem huic illas queſtiones annectimus: & cùm plereque nullam, vel levem affinitatem habeant cum corpore Philoſophiæ, ac Theologiæ; idcirco breviter ipſas perſtringemus, ne tempus, & ſtudentium patientiam ad res altiores neceſſariam, levioribus abſumamus.

CAP-

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Logica.

1. EST *facultas rectè diſſerendi*; ſicut enim datur facultas quędam rectè pingendi, & facultas quædam rectè ædificandi &c. Ita experientiâ conſtat dari in hominibus facultatem quandam docentem rectè diſſerere in quacumque materia: & conſtat inſuper ex duabus prioribus diſputationibus, quę totę ſunt Dialecticæ, & totæ incumbunt jam uno modo, jam alio in regulas rectè diſſerendi: hanc vocamus *Dialecticam*, ſeù *Logicam minorem*, ut enim præmonuimus, omnes hæ proemiales quæſtiones de hac procedunt Logica minore, non de majore, quæ aliò tendit, ut poſtea videbis, quàm in præcepta rectè diſſerendi.

2. Illud *facultas* eſt genus; cætera verò ſunt differentia: dicitùr *rectè*, non quidem rectitudine *morali*, ideſt conſentanea Legi Dei, quia Logica ab hoc præſcindit: non item rectitudine *elegantiæ*, quia hæc ad Grammaticam ſpectat; non rectitudine *prudentiæ*, ſeù *meræ probabilitatis*, ſeù *evidentiæ ſolius moralis*, *vel phyſicæ*; ſed rectitudine evidentiæ *metaphyſicæ* ineluctabilis: non demum rectitudine inveniendi medium, ſive rationem ad probandum evidenter veritatem, quia hoc ad illas ſcientias ſpectat, ad quas ſpectat illa veritas: dicitur ergo Logica facultas diſſerendi, quatenùs medium, ſeù rationem aliundè quaſi confuſo, & indigeſto modo ſubminiſtratam docet ita combinare, ac diſponere, ut invincibiliter concludat veritatem; & inſuper dando regulas definiendi, dividendi, convertendi &c. valdè juvat ſcientias alias ad inveniendum rationem, quam poſtea artificiosè diſponit intellectus regulis Logicæ inſtructus.

3. Logica eſt duplex: una *naturalis*, ideſt vivacitas ipſa, ſeù capacitas ingenii ad diſſerendum in quacumque materia ſaltem naturali: hęc capacitas, ſeù facultas ſi conſideretur in actu primo remoto ſeù radicaliter eſt noſtra ipſa anima, quę juxta ſententiam poſtea dandam, identificatur penitus cum ſuis potentiis; ſi conſideretur in actu primo proximo, & expedito, eſt partim noſtra anima, & partim bona diſpoſitio, ſeù temperamentum cerebri noſtri, ubi fiunt diſcurſus; ſicut enim potentię viſivę ſunt ęquales in omnibus hominibus: meliùs tamen vident uni, quàm alii, quia unorum oculi ſunt meliùs.

lius diſpoſiti, quàm aliorum, & idem de cæteris omnibus potentiis naturalibus: unde fit, quòd omnes homines ſint ęquales potentiâ viſivâ, auditivâ, nutritivâ, ambulativâ ſumptis radicaliter, ſeu in actu primo remoto; non verò ſint ęquales, ſed valde diſpares (ut docet experientia) his eiſdem potentiis ſumptis in actu primo proximo, atque expedito; ita omnes homines ſunt ęquales potentiâ intellectivâ, diſcurſivâ: ſunt ęquales ingenio, ſeù Logicâ naturali, ſumptis his radicaliter tantùm, ac in actu primo remoto; valde tamen inęquales, ſi hęc conſiderentur in actu primo proximo: alioquin ſi per inæqualitatem operationum taxanda foret inæqualitas potentiarum radicalium, & conſequenter animarum ipſarum, ſequeretur animas Salomonis, & Auguſtini, & ſimilium pluſquam ſpecie phyſica diferre a communi aliarum animarum humanarum: quandoquidem illorum diſcurſus, atque cognitiones pluſquam ſpecie ſuperant vivacitate cognitiones, & diſcurſus vulgi humani: omnes ergo ſumus pares Logicâ naturali, ſeù ingenio radicaliter ſumpto.

4. Altera eſt *Logica Artificialis*, nempe facultas, de qua modò agimus, quæ traditur ab unis, & diſcitur, vel non diſcitur ab aliis; hæc eſt item duplex, una *Actualis*, nempe regulæ ipſæ, præcepta ipſa docentia modum definiendi, dividendi, argumentandi &c. quæ tradidimus in prioribus Diſputationibus: altera *Habitualis*, nimirùm facilitas quædam ex crebra repetitione earum regularum genita in intellectu primariò quidem, & immediatè ad poſſidendum, percallendum, habendumque promptas dictas regulas; ſecundariò autem, & mediatè ad utendum illis pro nata occaſione: quod ut copias adverte; ſicut experientiâ novimus, ſolere corporibus inhærere quandam qualitatem, qua redduntur alba, & vocatur albedo, & quandam aliam, qua redduntur frigida, & vocatur frigus, & ſic de aliis: ita ratione deprehendimus eſſe qualitates quaſdam juvantes animam noſtram ad *faciliùs* eliciendum tales, aut tales operationes corporales, tales, aut tales imaginativas, tales, aut tales intellectivas, tales, aut tales volitivas: experientiâ rurſus novimus, hujuſmodi facilitates acquiri ex crebra, & crebra repetitione ſuorum actuum.

5. Has qualitates facilitantes, & ex frequenti repetitione, atque conſuetudine oriundas, vocamus *Habitus acquiſitos*: unde primò non quævis facilitas ad aliquid eſt *Habitus acquiſitus* ex actionibus illius ſpeciei: qui enim nunquam jejunavit, quomodo dici poteſt habere habitum acquiſitum jejunandi? Et tamen poteſt habere facilitatem, ſi robuſto polleat ſtomacho. Qui numquam cucurrit, aut phi-

philoſophatus eſt, quo jure dici poteſt habere *habitum acquiſitum* currendi, aut philoſophandi? Et tamen poteſt habere facilitatem, ſi velocibus tibiis, & volucri ingenio ſungatur; eſt ergo de eſſentia habitus acquiſiti, quòd ſit facilitas non quævis, ſed *generata ex crebra repetitione actuum*.

6. Unde 2. patet diſcrimen inter habitum acquiſitum, & *infuſum*: quoniam hic non habetur ex conſuetudine, ſeù repetitione ſuorum actuum; ſed a ſolo Deo producente illum in nobis, ut poſſimus ſublimes illas elicere operationes credendi, ſperandi, diligendi, pœnitendi &c. quibus elevamur ſupra noſmetipſos, & tendimus in Patriam cœleſtem: præterea habitus acquiſitus juvat tantùm, ac facilitat, ſed non dat virtutem, aut facultatem ſufficientem ad rem illam, de qua fuerit ſermo, (licèt enim nunquam jejunaveris, potes abſolutè, & ſimpliciter jejunare: & licèt nunquam ſcripſeris, potes abſolutè ſcribere, ſi regulas noſti) habitus verò infuſus non facilitat per ſe; ſed dat virtutem, & facultatem ſimpliciter neceſſariam, juxta ordinariam providentiã, ad operandũ: ſed de hoc alibi, modò inſinuaſſe ſufficit.

7. 3. Diviſio. Utraque Logica, nempe actualis, & habitualis eſt duplex: una *adæquata*, altera *inadæquata*; hæc eſt unaquæque regula Logicæ diſtributivè ſumpta, vel unuſquiſque habitus Logicæ genitus ex frequenti repetitione actuum: illa eſt complexum, ſive aggregatum reſultans, aut ex omnibus regulis Logicæ (& eſt Logica actualis adæquata) aut ex omnibus habitibus Logicæ; & eſt Logica habitualis adæquata, ſive completa, & totalis: cùm autem rarò, vel nũquam ſint ſimul in eodem intellectu præſentia omnia præcepta Logicæ, quia nullus intellectus humanus ſimul atque in eodem momento cogitat tot, ac tanta: paſſim autem ſint ſimul in eodem intellectu taciti habitus, ſeù facilitates relictæ ex crebra repetitione eorum præceptorum; ideo fit, quòd Logica habitualis adæquata paſſim exiſtat in uno, eodemque intellectu; Logica verò actualis adęquata nuſpiam exiſtat in rerum natura, niſi vel ſcripta in libris, vel ſparſa per multos homines.

8. Utraque vel eſt *docens*, vel eſt *utens*: docens eſt regula, vel regulæ dictantes modum definiendi, dividendi, argumentandi &c. aut facilitas, ſeù facilitates ad habendum promptas has regulas, quę facilitas, aut facilitates acquirantur ex crebra repetitione earundem. Logica utens dupliciter conſiderari poteſt, nempe activè, aut paſſivè: Logica utens activè eſt una, vel unę partes ipſius Logicę exercentes regulas alius partis, ſicut illa pars Logicę, quę agit de ſyllogiſ-

mis, utitur regulis, & pręceptis allus partis agentis de definitione, & diviſione, ut explicet quid, & quotuplex ſit ſyllogiſmus: Logica utens paſſivè eſt regula, ſeu regulę ipſius Logicę, quę uſitantur ab aliis facultatibus v. g. a Philoſophia definiendi ergo, dividendi, atque argumentandi ſuper Ente naturali, & à Theologia definiendi ergo, dividendi, argumentandi circa Ens ſupernaturale.

§. II.

9. HInc naſcuntur duæ quæſtiones. 1. *An Logica ſecundùm omnes ſuos habitus ſit docens, & utens*; hoc eſt an omnis habitus docens ſit utens? Non debes intelligere, quod ſonant hæc verba, quia cùm habitus acquiſitus neque ſit perſona, neque ſit regula, ſed qualitas quędam relicta in intellectu ex frequenti repetitione regularum, ut advertimus num. 4., non ſunt capaces docendi, aut utendi, ſi caſtigatè loquamur: dicuntur ergo habitus docentes, aut utentes, quatenùs generantur ex repetitione actuum, qui propriè ſunt docentes, aut utentes; ſenſus igitur quęſtionis eſt, an omnis habitus genitus ex actibus docentibus ſit genitus ex actibus utentibus?

10. Reſp. omnis habitus docens eſt utens paſſivè: ſed non omnis habitus docens eſt utens activè. Prob. prima pars: omnis habitus, quo vel utuntur, vel poſſunt uti alię ſcientię in ſua materia, eſt utens paſſivè, ſive eſt uſitatus, aut uſitabilis: ſed omnis habitus Logicę docentis talis eſt, ut eo utantur, aut uti poſſint cœterę ſcientię in ſua propria materia: quoniam Philoſophia, Theologia, Arithmetica, Jurisprudentia &c. uti poſſunt, & paſſim utuntur regulis Logicis ad definiendum, dividendum, & diſſerendum interdum probabiliter, interdum evidenter; ergo omnis habitus docens eſt habitus utens paſſivè, ideſt generatur ex actibus, quibus uti poſſunt aliæ ſcientiæ.

11. Prob. ſecunda pars. Omnis habitus generatus ex actu purè docente, & minimè utente, activè eſt habitus docens, & minimè utens activè: ſed aliquis habitus Logicæ fuit generatus ex actu purè docente, & minimè utente activè; ergo aliquis habitus Logicæ eſt docens, & minimè utens activè: ergo non omnis &c. Ma. videtur certa, quia, ut diximus, habitus acquiſitus non eſt quælibet facilitas, ſed ea ſingillatìm, ac determinatè, quæ generatur ex repetitione actuum, & hac de cauſa vocatur *acquiſita*; ergo ſicut facilitas genera-

nerata ex crebra conſuetudine loquendi, non autem ex conſuetudine ſcribendi, eſt habitus acquiſitus loquendi, non autem ſcribendi: ita omnis habitus generatus ex repetitione actus docentis, & non utentis eſt habitus docens, & non utens.

12. Prob. mi. primi ſyllogiſmi. Aliquis fuit in Logica primus actus docens: quoniam ſine fundamento, & præter humanam conſuetudinem dicemus omnes, aut pleroſque, aut duos illapſos fuiſſe ſimul menti primi Logici: ſed ille primus actus, ſeu illa prima regula fuit docens, & non fuit utens activè aliis regulis Logicæ; ſiquidem ante primam non fuerunt aliæ, ut conſtat, in illo ſcilicet eodem intellectu; ergo fatendum eſt, quòd in Logica eſt aliquis actus docens, & non utens: ergo habitus generatus ex repetitione hujus actus, quicumque ille fuerit (quia hoc neſcimus) fuit generatus ex actu purè docente, & minimè utente; ſed habitus generatus ex primo actu, ſeu regula Logicæ datur in Logica, seù eſt pars Logicæ: ergo aliquis habitus Logicæ fuit generatus ex actu purè docente, & minimè utente.

13. Unde non negamus multos, aut pleroſque actus in multis, aut pleriſque partibus Logicæ eſſe utentes activè: hoc eſt intellectum ad formandum illos uti regulis, præceptis, & advertentiis aliarum partium Logicæ; ſolùm igitur negamus *omnem* prorsùs actum docentem eſſe utentem in hoc ſenſu: quia juxta humanam conſuetudinem inveniendi artes; fatendum eſt, quòd aliquis fuit primus actus, seù primùm præceptum Logicæ: & ante primum non habuit ille idem intellectus aliud præceptum Logicæ, quo uteretur ad formandum illud primum; licèt habuerit aliquod, vel aliqua ex primis principiis evidentibus, quæ non tam ſunt regulæ, quàm fontes, seù origines regularum definiendi, dividendi &c. v. g. illa principia, *quodlibet eſt, vel non eſt: quæ ſunt eadem uni tertio &c.*

14. Si autem quæſieris, quem influxum præſtet Logica in uſum ſui ipſius, quem habent aliæ facultates v. g. in definitiones, diviſiones, & argumentationes Theologicas factas juxta regulas Logicæ? Reſp. illas procedere *phyſicè* quidem ab habitibus illarum facultatum; *directivè* autem, & quaſi remotè à regulis Logicæ: quemadmodum opiniones veraces, quas diſcipulus diſcit, concipiuntur phyſicè, immediatè ab intellectu ipſius; directivè autem, moraliter, & mediate à regulis, & rationibus, quas audit à ſuo Magiſtro.

Digitized by Google

§. III.

15. 2. QUæſtio eſt: *an Logica ſit ſimplex qualitas*: id eſt an omnes illi habitus, quos diximus, non ſint revera multi, ſed unicus tantùm ſimplex, ac indiviſibils, qui diverſimodè extenſus, applicatus, combinatus jam fit habitus definiendi, jam dividendi, jam argumentandi? Quemadmodum intellectus in unoquoque homine non eſt niſi unicus, qui tamen juxta diverſos reſpectus jam eſt apprehenſivus, jam judicativus, jam diſcurſivus; & quemadmodum anima in unoquoque homine non eſt niſi unica, licèt modò dicatur nutritiva, modò ſenſitiva, modò rationalis; & quemadmodum gradus metaphyſici, hoc eſt prædicata cujuſvis individui, non ſunt verè multa, licèt numero plurali explicentur, ſed unica ſimplex, & indiviſibilis eſſentia metaphyſica.

16. Aliqui graves Doctores putant, hoc ita evenire, & docent Logicam eſſe unicam, ſimplicem, indiviſibilem qualitatem in unoquoque intellectu Logico; & conſequenter docent in Philoſophia intenſionem qualitatum, v. g. frigoris, caloris &c. non fieri per additionem gradûs ad gradum, ſed fieri quatenùs idem ſimplex indiviſibilis calor, aut indiviſibile frigus magis radicatur in ſubjecto: & conſequenter etiam docent in Theologia, Ordinem Præſbyteralem non conſtare pluribus partibus, ſed eſſe unum, eumdemque in quovis Clerico magis, aut minus extenſum, magis, aut minus perfectum.

17. Sed hæc non ſunt vera, & prætermittendo philoſophica, & theologica, quæ modò non veniunt ad rem, probamus ſic, Logicam non eſſe ſimplicem qualitatem, ſed conſtare habitibus realiter diſtinctis. Habitus acquiſitus non eſt quælibet facilitas ad actum, ut ſemel, & iterùm diximus, ſed illa determinatè, ac ſingillatìm, quæ habetur *ex crebra repetitione actuum*. Quo enim jure dicetur habere habitum acquiſitum currendi (aut ſecundùm implicitum, aut ſecundùm explicitum, aut ſecundùm extenſum, aut ſecundùm contractum, aut ſecundùm perfectum, aut ſecundùm imperfectum, his, ac ſimilibus terminis utuntur aliqui) qui nunquam totâ ſuâ vitâ cucurrit, licèt aliàs ſit agilis, faciliſque ad currendum? Qua veritate dicetur habere habitum acquiſitum dandi eleemoſinam, qui nunquam in tota ſua vita dedit unam, licèt aliàs dives, & miſericors, facilitatem habeat ad dandum eleemoſinam?

18. Fatendum ergo eſt, niſi vocibus velimus abuti, eſſe de eſſen-

ſentia habitûs acquiſiti, quòd ſit facilitas quædam generata ex ſuis actibus, hoc eſt habitus acquiſitus currendi, ex curſibus; habitus acqiſitus ſcribendi ex ſcriptionibus &c. ergo eo ipſo, quòd quis crebrò, & frequenter conceperit regulas definiendi v. g. & nunquam regulas ſyllogizandi, habebit habitum acquiſitum doctrinæ definiendi, & nullo prorsùs vero modo habebit habitum acquiſitum doctrinæ ſyllogizandi, ſicut eo ipſo, quòd quis crebrò, & frequenter oraverit, nunquam verò jejunaverit, habebit habitum acquiſitum orandi, non autem jejunandi: ſed fieri poteſt, & forſitan frequenter fit, quòd quis crebrò conceperit, ideſt intellexerit regulas definiendi, nunquam autem ſyllogizandi, cùm ſint res valde diſtinctæ inter ſe definire, & ſyllogizare non minùs quàm orare, & jejunare; ergo fieri poteſt, quòd quis habeat habitum acquiſitum doctrinæ definiendi, nõn autem doctrinæ ſyllogizandi: ergo ille habitus diſtinguitur realiter ab hoc: ſed ambo ſunt in Logica; ergo in Logica dantur habitus realiter diſtincti; ergo Logica non eſt una ſimplex qualitas, & indiviſibilis.

19. Diximus *habitum doctrinæ*, quia quod eſt proprium Logicæ, eſt doctrina ipſa definiendi, dividendi, & argumentandi, non verò definitiones ipſæ, diviſiones, aut argumentationes; quia hæ ad illam ſpectant facultatem, in qua fiunt: unde definitiones, diviſiones, & argumentationes circa entia ſupernaturalia fiunt à Theologia: & hac de cauſa non diximus *habitum definiendi*, *dividendi &c.* ſed habitum doctrinæ definiendi.

20. Exempla verò contraria ratione ipsâ noſtræ concluſionis arcentur: intellectus enim noſter non generatur ex apprehenſione, judicio, aut diſcurſu: Anima noſtra non generatur ex nutritione, ſenſatione, aut ratiocinio. Veruntamen omnis habitus acquiſitus, niſi vocum ſignificationes invertere velimus, ex ſua eſſentia habet generari ex repetitione actuum, niſi aliquis putet dari poſſe habitum, ſeu conſuetudinem illarum actionum, quæ nunquam ſunt factæ; ergo eo ipſo, quòd frequenter fiant unæ actiones, ſive materiales, ſive ſpirituales, ſive internæ, ſive externæ, & nunquam fiant alteræ, dabitur (ſi cætera adſint requiſita, v. g. capacitas ſubjecti &c.) habitus acquiſitus ex unis, & non ex alteris: ergo eo ipſo, quòd frequenter eliciat actiones circa doctrinam definiendi, & nunquam circa doctrinam ſyllogizandi, intellectus logicus, qui profectò non eſt ſicut Deus incapax habendi habitus acquiſitos, habebit habitum acquiſitum circa unam doctrinam, non verò circa alteram: ergo habitus

bitus circa unam eſt diverſus ab habitu circa alteram.

21. Illud alterum exemplum de gradibus metaphyſicis ſupponit probandum; ideò namque animal, & rationale in Petro identificantur inter ſe, & non ſunt plura, niſi quoad verba; quia non ſunt partes Phyſicæ, ſed metaphyſicæ Petri; habitus autem ex doctrina definiendi, & habitus ex doctrina ſyllogizandi ſunt partes logicæ, non quidem metaphyſicæ; ſed ſicut Civitas A. & Civitas B. ſunt partes ejuſdem Regni.

22. Hinc 1. Si dixerint, non eſſe multiplicandos habitus ſine neceſſitate, dicent verum; ſed ratio noſtræ concluſionis probat neceſſitatem ponendi in Logica habitus diſtinctos, & conſequenter multiplicandi illos. Si dixerint 2. advenientibus regulis circa modum ſyllogizandi, v. g. non generari novum habitum, ſed dumtaxat perfici, extendi, radicari, aut applicari habitum ex doctrina definiendi, v. g. Contra eſt 1. Eodem jure dicere poſſunt per crebra jejunia non generari novum habitum, ſed dumtaxat perfici, applicari, extendi, aut radicari habitum orandi; & per exercitium ſcribendi non generari novum, aut majorem habitum; ſed perfici, & applicari priorem habitum legendi tantùm. 2. Semper ſubſiſtit noſtra ratio. Quoties per repetitionem actuum acquiritur nova facilitas, hoc eſt facilitas ad rem novam, & diverſam, acquiritur novus habitus, & non tantùm extenditur, aut perficitur prior: atqui advenientibus intellectui regulis circa modum ſyllogizandi, acquiritur nova facilitas, hoc eſt, facilitas ad rem novam, & diverſam à definitionibus, nempè facilitas ad ſciendum quomodò fieri debent ſyllogiſmi: ergo tunc non ſolùm perficitur habitus ex doctrina definiendi (quod non negamus) ſed etiam perficitur, quatenùs novus generatur habitus: ſicut habitus legendi perficitur per habitum ſcribendi, quatenùs acquiritur exercitio ſcribendi novus habitus. Sanè qui perpenderit omnes rationes, & ſolutiones, quibus hi Authores defendunt, Logicam eſſe ſimplicem qualitatem, inveniet pleriſque illarum poſſe uti alium ad probandum non eſſe multas, ſed unicam ſolam ſcientiam, ita ut infimus habitus v. g. legendi ſolùm perficiatur, radicetur, applicetur, ſeu extendatur per novas, & novas notitias, quæ acquiruntur in decurſu vitæ.

§. IV.

§. IV.

23. HInc 2. Apparet quo ſenſu Logica ſit, ac non ſit una ſcientia. In primis, quemadmodùm omnes res poſſibiles habent inter ſe unitatem quandam in ratione *entis realis*, quia omnes, & ſingulæ ſunt ens reale; hæc tamen unitas eſt valde larga, quoniam univerſaliſſimum genus *Ens* dividitur in multa alia genera, & hæc in multas ſpecies ſubalternas, & hæ in ſpecies infimas, & hæ in individua, ut conſtabit ex arbore prædicamentali: ita omnes ſcientiæ humanæ habent inter ſe unitatem quandam *attributionis* ſtantem in eo, quòd omnes ordinentur ad eundem finem, nimirùm ad perfectam cognitionem entis realis; (ordinentur inquam non intrinſecè, ſed extrinſecè, juxta dicenda de objecto attributionis) quocirca dici poteſt illas conſtituere unam ſolam ſcientiam. Sed hæc ſpecies unitatis eſt largiſſima, & genus hoc valde univerſale, *Scientia*, dividitur in multa alia genera, & hæc genera in multas ſpecies, quippe juxta communem hominum ſentētiam diverſa ſcientia eſt Philoſophia à Theologia, & ſic de reliquis; quamvis unæ poſſint, & ſoleant adjuvare ad alias, ſicut unæ virtutes morales ad alias.

24. Igitur loquendo in particulari de Logica tam quoad ſuos actus, regulas, & præcepta comparata invicem, quàm quoad habitus relictos ex frequente repetitione, ac intelligentia eorum actuum, habitus inquam comparatos inter ſe, quàm quoad actus comparatos cum habitibus, dicimus: omnes actus, & habitus Logicæ ſparſi per cunctos intellectus humanos, ſunt una Logica unitate ſpecifica infima, ſicut omnes humanitates, quæ ſparſæ ſunt per cunctos homines, ſunt una ſpecifica infima natura humana. Probatur. Tametſi homines ſinguli conſtent partibus ſpecie, ac genere diſtinctis, nimirùm corpore, & anima; nihilominùs omnia complexa ex corpore, & anima rationali ſunt invicem ſimilia in ſpecie, & ſolùm diſtinguuntur numericè, ac individualiter, ut conſtans eſt apud Philoſophos; ergo tametſi Logicæ ſingulæ, ideſt, quam acquiſivit Petrus, & illa, quam acquiſivit Joannes, & illa, quam didicit Paulus &c. coaleſcant ex actibus invicem diſtinctis in ſpecie, & ex habitibus ſimiliter diſtinctis inter ſe, & ex utriſque ſpecie, imò & genere reciprocè diſtinctis; nihilominùs tota Logica actualis, & habitualis, quâ fruitur Petrus, comparata cum Logica, quâ fungitur Joannes, eſt quaſi unum individuum comparatum cum altero ejuſdem ſpeciei.

25.

Digitized by Google

25. Et quemadmodum licèt unuſquiſque homo poſſit dividi in corpus & animã, id non probat poſſe dividi in duas ſpecies, quia corpus & anima non ſunt duę ſpecies completæ,ac perfectę,ſed incõpletę ac partiales: ita Logicã Petri v.g.poſſe dividi in actus,& habitus;& habitus poſſe eſſe aut ex doctrina definiendi, aut ex doctrina ſyllogizandi, qui profectò ſunt habitus ſcientifici,hoc non probat, Logicam Petri poſſe dividi in multas ſcientias: nempe quia unuſquiſque illorum habituum non eſt ſcientia integra, & perfecta, ſed partialis atque inadęquata. Unde ſolùm fiet Logicam unius hominis poſſe ſub dividi in multas ſcientias inadęquatas, & partiales. Similiter quòd actus, & habitus logici,qui ſunt in Petro,poſſint eſſe longè vivaciores, & perfectiores, & magis tenaces; quàm illi, quos acquiſivit Joannes, probat illos diſtingui ſpecie phyſicâ ab his; ſed non ſpecie logicâ: quia perfectiores, ac imperfectiores ordinantur ad eumdem finem rectè diſſerendi, ex quo fine ſumitur unitas ſpecifica Logicæ,ut mox dicemus: ſtet ergo omnes Logicas actuales,& habituales ſparſas per cunctos homines facere unam facultatem,ſeu Logicam unitate ſpecifica infima; ſicut omnes habitus charitatis v. g. ſparſi per cunctas animas ſanctas faciunt,& conſtituunt unam ſolam ſpeciem infimam charitatis, etiamſi magna ſoleat eſſe inęqualitas phyſica,& entitativa inter actus,& habitus unorum, & aliorum; ſiquidem uni ſolent eſſe magis intenſi, magis perfecti, magis vivaces.

26. Jam ſi conſideremus habitus Logicæ (& idem reſpectivè dic de actibus) qui ſunt in uno, eodemque intellectu, dicimus 2. Hi non ſunt una ſcientia, ſeu facultas unitate *ſimplicitatis*, ut oſtendimus à n.15. non unitate ſolius *contiguitatis*, ſicut multæ guttæ aquæ faciunt unum fluvium, & multi lapides unam domum: quia cùm omnes illi habitus invicem compenetrentur in eodem intellectu, non patet locus contiguitati materiali; ſunt enim qualitates ſpirituales; non item unitate *continuationis*, ſicut partes ejuſdem ligni conſtituunt unum lignum: propter eandem rationem.

27. Non item unitate unionis *phyſicæ*, ſicut Petrus eſt unus, quia ſuum corpus, & anima phyſicè uniuntur; quoniam licèt ea, quæ identificantur cum uno tertio ſingulari, identificentur inter ſe, ut dicimus in Prodromo diſp.1.c.3.; hinc tamen non poteſt ſumi paritas univerſalis ad probandum ea, quæ uniuntur phyſicè cum uno tertio, uniri phyſicè inter ſe: aliàs ſimiliter probari poterat ea, quæ penetrantur cum uno, eodemque tertio ſingulari, penetrari inter ſe; cùmque homo exiſtens Matriti, & homo exiſtens Romæ pene-

tren-

trentur cum uno, & eodem tertio omninò ſingulari, nempe cum Deo ubique exiſtente, ſequeretur illos duos homines eſſe penetratos inter ſe; ergo quanquam omnes habitus logici, qui ſunt in eodem intellectu, & conſequenter in eodem loco, uniantur phyſicè cum eodem tertio ſingulari, nimirùm cum illo intellectu, hinc non ſequitur illos uniri phyſicè immediatè inter ſe; ergo Logica, quæ eſt in Petro, non eſt una unitate unionis, ſeu compoſitionis phyſicæ.

28. Eſt igitur una unitate *morali*, & non quacumque; quia etiam ſunt multæ ſpecies unitatis moralis, , v. g. amicitia, conſanguinitas &c.; ſed unitate morali ſolius *attributionis* conſiſtente in eo, quòd omnes illi habitus ordinentur proximè immediatè (licèt mediatè, ac remotè poſſint, & ſoleant ordinari ad alia) ad unum, eundemque finem, ſcilicet ad *rectè diſſerendum*; non quidem ex intriſeca ſua natura; quia cùm ſcire optimè res definire ſit per ſe optabile, habitus ſciendi hoc non ita ordinatur ad ſyllogizandum, v. g. ut eſſet violentus ſuaptè naturâ abſque ſcientia rectè diſſerendi, ſeu ſyllogizandi, ſicut aqua eſt violenta ſine frigiditate; ordinantur ergo ab extrinſeco placito hominum, ſuppoſito, quòd omnes hi habitus ſint ſuaptè naturâ valde utiles, ac neceſſarii ad rectè diſſerendum; habitus autem ipſe ſciendi rectè diſſerere non ordinatur ad ſe ipſum, ut patet; ſed neque hoc infertur ex noſtra doctrina; quia ſolùm dicimus, Logicam eſſe unam unitate attributionis, non quatenùs omnes omninò ſui habitus, includendo etiam habitum ſciendi rectè diſſerere, ordinentur ad habitum hoc ſciendi; ſed quatenùs coaleſcit ex multis habitibus, quorum reliqui omnes ordinantur ad unum habitum ejuſdem Logicæ proprium.

29. Itaque Logica Petri eſt una eo modo, quo multæ Civitates licèt invicem diſtinctæ, & ex intrinſeca ſua natura non deſtinatæ ad conſtituendum unam Monarchiam; veruntamen omnes illæ ſimul cum ſuo capite, ideſt cum Rege faciunt, & conſtituunt unam ſolam Monarchiam; quia omnes illæ ex mero hominum placito rationali agnoſcunt, & reverentur unum, eundemque Regem: & ſicut impropriè diceretur, omnes illas Civitates conſtituere *unam Monarchiam* unitate ſolius *aggregationis* accidentariæ, ac tumultuariæ eo modo, quo multi lapides temerè projecti conſtituunt unum acervum ſaxorum; ita impropriè, ac per calumniam dicerentur omnes habitus logici informantes eundem intellectum, conſtituere unam Logicam, ſeu ſcientiam unitate ſolius *aggregationis* tumultuariæ, ac per accidens. Quòd ſi acervus lapidum, ſeu tritici per extrinſecam hominum vo-

Digitized by Google

litatem ordinetur ad aliquem finem particularem, dicemus, quòd tunc acervus ille jam non eſt unus unitate ſolius aggregationis per accidens; ſed unitate attributionis in ordine ad eum finem: & fatebimur Logicam in unoquoque intellectu Logicorum *eſſe unam* eadem ſpecie unitatis.

30. Jam ratio à priori eorum, quæ diximus circa unitatem Logicæ, eſt. Totum hoc negotium non eſt regulandum per *ſolas naturas habituum* (quia ut diximus, hi, licèt ex ſua natura ſint idonei, ut uni ordinentur ad alios; attamen ex ſua natura non habent quòd uni ad alios ordinentur) ſed maxima ex parte regulandum eſt per arbitrium hominum, ad quorum placitum ſignificant pleraque verba humana: atqui homines, ut mutuò ſe intelligerent, quando docent uni, & diſcunt alii, diviſerunt ſcientiam in varias claſſes, & ex unis membris dividentibus voluerunt, quòd conſtaret una ſcientia, quam tunc volebant docere: & ex aliis membris dividentibus conſtare aliam ſcientiam, quam ſeorſim tradere volebant, ſuppoſita ſemper proportione, atque neceſſitate utrorumque ad finem, quem ſibi præfigebant homines: ergo quod Scientia ſit una, vel multiplex maximè pendet ex hoc hominum placito: atqui placitum, & conſenſus omnium Philoſophorum fuit, & eſt, quòd omnes habitus doctrinæ definiendi, dividendi, argumentandi &c. redigantur ad unam claſſem, colligantur quaſi in uno faſciculo, & faciant per ſe unam ſcientiam, ſeu facultatem: & hoc non temerè, ſed propter ſpecialiſſimam proportionem, & neceſſitatem unorum habituum ad illum alium *ſciendi rectè diſſerere*: ergo id dicendum eſt, & in hoc ſenſu intelligenda unitas Logicæ, & propter hanc rationem.

CAPUT II.

An Logica ſit ſimul Scientia, & Ars.

31. OPortet explicare priùs quid ſit Scientia: quid ſit Ars Multifariàm accipitur Scientia, ſed extra ſenſum quæſtionis præſentis, quo circa ſi aliquis invadat te aliqua ex quinque acceptionibus Scientiæ mox ſubjiciendis, repelle illum tanquam extra chorum ſaltantem. Igitur Scientia ſolet accipi 1. pro vehementiſſima

Marc. 1. Luc. 4. aliqua ſuſpicione, juxta quam ajebat quidam Diabolus ad Chriſtum D. *Scio qui ſis Sanctus Dei*; cum tamen nec ille, nec ſui hoc certò ſcirent,

ſi,

ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Accipitur 2. pro notitia habita per longum uſum, & experientiam: ſic moribundus Mathatias alloquens alios filios, dicebat de Simone. *Ecce Simon frater Veſter: ſcio quod vir conſilii eſt* 3. Pro notitia moraliter certa, ac de cujus veritate non ambigimus: ſic vulgò dicimus ſcire hos eſſe noſtros parentes, illum eſſe noſtrum amicum, & ſimilia, de quibus non habeamus evidentiam metaphyſicam, aut ſaltem phyſicam, 4. Pro infallibili notitia, & prorſus methaphyſicè certa, quamvis obſcura, cujus generis ſunt actus fidei divinę certiſſimi penitus, ſed obſcuri, & conſequenter minimè evidentes. Sic Paulus ſcribebat: *ſcio cui credidi, & certus ſum &c.*

1. Corin. 2.

1. Mach. 2.

2. ad Timot. 1.

32. Accipitur 5. pro notitia intuitiva habita ſine ullo diſcurſu: *ſcio enim cogitationes ejus*, aiebat Deus, qui omnia intuetur, & diſcurſus nec indiguus eſt, nec capax. 6. Pro notitia prorſus evidente ac immediata licet abſtractiva, & conſequenter non intuitiva, qualis eſt illa cognitio: *quodlibet eſt, vel non eſt*, & ſimilia prima principia. Hæc enim utpote prima, & perſe evidentia non indigent prævia ratione ſui ipſorum ſuaſiva, & in hoc ſenſu ſunt immediatè evidentia; quia tamen neque oculis, neque alio corporali ſenſu intuemur *quodlibet*, aut cætera univerſalia, de quibus ſemper procederent hujuſmodi principia, hac de cauſa non ſunt intuitiva, ſed abſtractiva, ideſt habita per ſpecies alienas à ſuo objecto: nulla ex his intelligentiis Scientiæ venit ad rem præſentem; ſed hæc alia, *Scientia eſt notitia certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita.* In primis eſt notitia, quia Scientia eſt actus intellectus: debet eſſe certa, ideſt infallibiliter connexa cum ſua veritate, ſicut actus fidei connectuntur metaphyſicè cum veritate: unde ad rationem Scientiæ non ſufficit evidentia quomodolibet, quia multa apparent multis prorſus evidentia, & tamen ſunt falſa: è converſo multa apparent multis omninò chimærica; & tamen ſolent eſt vera, quod utrumque paſſim experimur: non ergo ſufficit ad rationem Scientiæ, quòd ſit evidens, ideſt quòd clariſſimè, ac ſine ullo dubio appareat; ſed debet eſſe *certa*. Sed neque hoc ſufficit, quoniam debet eſſe *evidens*, aliàs cùm actus fidei v. g. *Verbum caro factum eſt*, ſint certi, infallibiles, ac ſine ullo dubio, timore, aut ſuſpicione in intellectu Catholico, ſequeretur quòd eſſent actus ſcientifici: quod falſum eſt.

Deuter. 31.

33. Nec ſufficit quomodolibet eſſe hanc evidentiam: debet enim eſſe *metaphyſica*, ideſt prorſus irreſiſtibilis: & non ſufficit evidentia purè moralis aut phyſica, quia ambæ poſſunt fallere. Nec demum

ſufficit quævis ſpecies evidentiæ metaphyſicæ: v. g. non ſufficit evidentia metaphyſica immediata, quæ ſit aut intuitiva, aut primorum principiorum univerſalium; ſed determinatè debet eſſe evidentia acquiſita *per demonſtrationem*, hoc eſt per diſcurſum, cujus præmiſſæ ſint metaphyſicè evidentes, & inſuper metaphyſicè evidenter connectantur cum concluſione: quæ tunc vocatur, & eſt *Scientia* rigoroſè loquendo: v. g. *omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt vivens*: hæc concluſio, & ſimiles ſunt *ſcientia*; etenim cùm Deus ut ſupremus Dominus naturæ poſſit hujus connexiones violare, fieri poteſt, quòd quis habeat evidentiam phyſicam alicujus rei, & tamen quòd verè non ſit talis res: ut contingit in Euchariſtia, in qua habemus evidentiam phyſicam ſubſtantiæ Panis, ſicut alibi habemus evidentias phyſicas aliarum ſubſtantiarum, propter evidentiam phyſicam propriorum accidentium illarum; & tamen reflexè cognoſcimus illam evidentiam purè phyſicam eſſe falſam: quia catholicè fatemur ibi non eſſe ſubſtantiam Panis: opus ergo eſt ad rationem Scientiæ, quòd præmiſſæ, & præmiſſarum connexio cum concluſione plus quam phyſicè ſint evidentia; ergo metaphyſicè.

34. Hic adverte duo 1. demonſtrationem, per quam acquiritur Scientia plerumque eſſe a priori; ſed hoc non eſſe neceſſarium: poteſt namque eſſe à poſteriori, & ab abſurdo: tum quia regulæ, quibus Logica ipſa docet duas contrarias non poſſe eſſe ſimul falſas; item ſyllogiſmos ſecundæ, & tertiæ figuræ eſſe legitimos, & multa alia id generis, quæ explicavimus Diſp. 2. Hæ inquam regulæ verè ſunt ſcientificæ, & immeritò deturbabuntur ab hoc gradu dignitatis; ſed hæ regulæ non probantur per aliam demonſtrationem, niſi per eam, quæ eſt *ab abſurdo* v. g. ſi duæ contrariæ eſſent ſimul veræ, ſequeretur, quòd etiam eſſent veræ duę ſubcontrariæ: & conſequenter quadratum totum illarum propoſitionum, *omnis*, *nullus*, *aliquis &c.* eſſet verum: in quo quadrato imbibuntur duo paria contradictoriarum: item ſi duę ſubcontrarię eſſent ſimul falſę, ſuę contradictorię, ideſt duę contrarię eſſent ſimul verę &c. Item ſi negatur cunclusio ſyllogiſmi in ſecunda, aut tertia figura ſequerentur duo contradictoria per reductionem ad impoſſibile illius ſyllogiſmi &c.; ergo ad rationem actus ſcientifici ſufficit, quòd probetur per demonſtrationem ab abſurdo; ergo non requiritur ſemper demonſtratio à priori.

35. Tum etiam quia non modò habemus ſcientiam proprietatum rerum multarum; verùm etiam quidditatis, atque eſſentiæ metaphy-

taphyſicæ earumdem : & tamen quidditatem nequimus demonſtrare ſtrictè à priori ; quia ipſa quidditas , & eſſentia metaphyſica eſt prima radix , prima origo metaphyſica cæterorum omnium attributorum illius rei : & conſequenter nequimus illam quiddi tatem demonſtrare ſtrictè à priori , aliàs jam illa quidditas non foret prior cæter orum , ſed ſupponeret aliud ante ſe ; ergo .

36. Adverte 2. dari poſſe Scientiam *inadæquatam*, ideſt actum individuum Scientię circa ſingularia , *ut ſingularia* (ſcientia quippè *adæquata*, ideſt facultates , quæ vulgò vocantur ſcientię , ſemper ſunt immediatè , ac directè de ſolis univerſalibus, ut frequenter dicemus in Logica majore) Scire debes nos in hac vita mortali, ideſt incarceratos in hac ſpecu corporis , nihil penitùs cognoſcere intuitivè per ſpecies proprias , & prout eſt in ſe ipſo , niſi *ſola accidentia* , & quidem non omnia , ſed pauciſſima : ideſt illa, quæ oculis percipimus , tactu , aut alio ſenſu corporali ; cætera omnia , nempe Deum , Angelos , Animas ipſas noſtras , ſubſtantias omnes etiam materiales , accidentia ſupernaturalia, noſtras cogitationes, amores, odia &c. cognoſcimus evidenter quidẽ aliquando, ſed per cognitiones, quę vocantur *abſtractivæ*, & valdè imperfectæ , & quas habemus per ſpecies valdè improprias, & alienas , ut quando conſideramus Angelos per modum Juvenum quorumdam , & noſtram animam quaſi quandam puellam &c. Species, & modus cognoſcendi ſummè improprius , atque alienus; ſed alium non habemus .

37. Hinc multi occaſionem ſumunt dicendi non poſſe dari Scientiam circa ſingularia ut talia , quia hæc non innoteſcunt nobis , niſi per ſenſus corporales , qui teſtes ſunt fallaciſſimi ; veruntamen etiam circa ſingularia ut talia poſſumus habere ſcientiam , v. g, *omnis creatura vivens intimè pendet à Creatore : ſed anima mea eſt creatura vivens ; ergo anima mea intimè pendet à Creatore*; hæc concluſio eſt ſcientifica , & procedit de ſingulari ut tali : ratio autem eſt . Si de ſingularibus non haberemus aliam evidentiam niſi intuitivam , non poſſemus de illis habere ſcientiam , quandoquidem evidentia illa non poteſt aliundè haberi , quàm ex ſenſibus , & conſequenter obnoxia eſt falſitati ; cæterùm habere poſſumus evidentiam immediatam (hoc eſt ratione ſuaſiva non indiguam) abſtractivam : quoniam licèt nunquam intuitus ſim Angelum Michaelem , eſt prorſus mihi evidens ſine ulla ratione ſuaſiva *eſſe* , *vel non eſſe in rebus Michaelem* ; ſed evidentia abſtractiva ſufficit ad rationem ſcientiæ : ſiquidem habemus ſcientiam de univerſalibus ut talibus , & illorum ut talium non habemus evidentiam intuitivam , ut conſtat : ergo poſſumus

mus habere circa ſingularia ut talia evidentiam, quæ ſufficit ad ſcientiam.

38. Sed hoc intelligendum eſt de homine, qui ſit capax, & intelligat terminos, ſeù grammaticam, quia ſi vel ſignificatum vocum non capit, vel mentem habet infra mediocritatem, certè non habebit ſcientiam de ſingularibus; ſed neque de univerſalibus: & non dicimus alterutram ex his duabus ſcientiis eſſe in hoc ſenſu independentem à ſenſibus, ideſt independentem ab ingenio, & ab intelligentia vocum; requirere namque ad rationem ſcientiæ, hujuſmodi etiam independentiam à ſenſibus, eſt, arcere à toto genere humano omnem Scientiam, & opinari Scientiam in ſenſu philoſophico eſſe figmentum quoddam, aut ideam quandam Platonicam non habentem locum inter homines, quandoquidem nullus eorum poteſt quidquam ſcire, niſi dependenter ab intelligentia vocum, quas auditu, vel alio ſenſu percepit. Igitur quando vulgò dicitur, & meritò, Scientiam non eſſe de ſingularibus, ſed de univerſalibus, ſermo eſt de ſcientia ſumpta pro facultate ex eis, quæ vulgo traduntur, atque diſcuntur ſcientificè, quia hæ nunquam procedunt de ſolo triangulo A. v. g. ſed de omnibus triangulis, de ſola domo A. ſed de omnibus domibus &c. ſed non eſt ſermo de ſcientia ſumpta pro quolibet actu ſcientifico, nam multi ex his poſſunt eſſe de ſingularibus ut talibus: quæ contingentia ſunt quoad exiſtere, aut non exiſtere; ſed non quoad eſſentiam, & verificationem actus ſcientifici.

39. His præmiſſis ſit concluſio. Logica eſt ſcientia in eo ſenſu, quem ſcripſimus n. 2. Prob. omnis facultas, in qua per demonſtrationem probantur qualitates, proprietates, & conditiones, quæ dicuntur de ſuo ſubjecto, eſt Scientia in ea ultima acceptione: ſed talis eſt Logica Minor, ſeù Dialectica; quia ut conſtabit legenti diſputationem ſecundam, & maximam partem primæ, evidenter per demonſtrationem jam à priori, jam ab abſurdo probantur, quæ ibi dicuntur de definitione, de diviſione, de conſequentia, de aliis argumentationibus, de reductione ſyllogiſmorum per impoſſibile, de converſione, oppoſitione, æquipollentia propoſitionum &c. ergo Dialectica, ſeù Logica Minor verè eſt Scientia.

40. Ubi jam vides nos non loqui de Logica Magna poſtea danda; quia ibi multa dicuntur de univerſalibus in communi, de quinque prædicabilibus, de prædicamentis, quæ non ſunt ſcientifica, quia jure diſputantur hinc inde, affirmantibus unis, & negantibus aliis. Nec 2. loquimur de hac ipſa Dialectica quoad illa omnia, quæ pri-

primis capitibus diſp. 1. diximus, v. g. de terminis, ſuppoſitionibus, appellationibus &c. Quia illa propriùs ſunt Grammaticæ, cujus eſt aperire ſenſum, & ſignificatum vocum, quàm Dialecticæ, cujus eſt uti illis vocibus in ſenſu legitimo. Nec 3. loquimur de hac ipſa Dialectica *reflexa*, quam in hac diſputatione tractamus; quia hæ concluſiones reflexæ ſupra Dialecticam ipſam, quas modò damus, non ſunt ſcientificæ, ſed opinativæ, affirmantibus unis Authoribus, & aliis negantibus illas: ſolùm ergo dicimus, eſſe ſcientiam Dialecticam ipſam *directam* preſsè ſumptam.

41. Obji. Una pars principalis Dialecticæ eſt, quæ vocatur Topica, nimirùm illa, in qua dantur regulæ ad argumenta tantum probabilia v. g. illæ, quas dedimus cap. 1. diſp. 2. Rurſus alia pars eſt ſophiſtica, nempè in qua agitur de argumentatione fallace: ſed neutra ex his duabus partibus eſt ſcientia. Hoc negatur: nam quemadmodum Deus modo divino, Angelus modo Angelico, Homo modo humano cognoſcit res, quæ neque ſunt divinæ, nec Angelicæ, nec humanæ, v. g. Cælum, Terram, Elementa, bruta &c. Ita in Logica modo ſcientifico, & prorſus evidente tractant Magiſtri res, aut fallaces, aut merè probabiles: quia in parte Topica ſcientificè probantur qualitates, & conditiones argumentationis merè probabilis: & in parte ſophiſtica qualitates, ac conditiones ſophiſmatum.

§. II.

42. Quod attinet ad Artem, ſcito priùs. *Intellectus*, *Sapientia*, *Scientia*, *Prudentia*, *Ars*, ſunt quinque claſſes, in quas Ariſtoteles redegit omnes habitus. Intellectus non ſignificat hìc, quòd alibi, nimirum potentiam intellectivam, hæc enim non acquiritur uſu, & exercitio ſicut habitus, qui vocantur acquiſiti, nec poſt animæ creationem donatur ipſi ſupernè ſicut habitus, qui vocantur infuſi; ſed eſt potentia penitus identificata cum ſubſtantia animæ, ut ſuo loco dicemus, vel ſaltem ipſi naturaliter congenita, aut ex ipſa naturaliter reſultans, ut loquuntur alii; ſignificat ergo Intellectus in hac diviſione habitum circa prima principia. 6. *Ethic.* c. 8.

43. Quod ut capias adverte: in unaquaque Scientia, Arte, ſeu Facultate ſunt quædam propoſitiones, quædam quaſi dogmata, quædam maximæ univerſales, quæ multis ab hinc ſeculis in mentem venerunt primis inventoribus, & profeſſoribus earum ſcientiarum: quæque ita ſunt perſpicuæ atque evidentes, ut probatione non in-

indigeant ſaltem reſpectu intellectus docilis: & inſuper ſunt quaſi matrices, quaſi fontes, ex quibus manant, proportione ſervata, pleræque concluſiones illarum ſcientiarum; hæ propoſitiones, ſeu dogmata univerſalia vocantur prima principia in eis ſcientiis: ſic in Metaphyſica eſt primum principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*, & alia id generis; ſic in Logica, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*, & alia: ſic in Arithmetica, *ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis*, & alia: ſic in Chriſtiana Philoſophia, *unus Deus ſuper omnia colendus, ac diligendus*, & alia.

44: Habitum ergo acquiſitum ex crebro uſu, atque intelligentia horum principiorum, ideſt plenam poſſeſſionem eorundem, atque promptitudinem utendi illis pro data occaſione, eſt, quod impræſentiarum vocatur *Intellectus*: juxta quam orabat David inquiens, *da*
Pſal. 8. *mihi intellectum &c.* Non utique poſcebat intellectivam potentiam, quam ut homo naturaliter habebat. Juxta eandem acceptionem pro-
Iſai. 3. mittit Deus, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te &c.* Atque exprobrat aliquibus, *nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt Intellectus*. Certè hic non loquitur Deus de potentia ipſa intellectiva quoad entitatem; ſed de primis illis principiis in ordine ad tendendum in vitam æternam, ex quibus in hoc, & in illo caſu particulari emanant practicæ cognitiones, ac volitiones declinandi à malo, & faciendi bonum; ſtet ergo hanc vocem *Intellectus* accipi etiam pro habitu, ideſt poſſeſſione ac facilitate circa prima principia.

45. *Sapientia* trifariàm poteſt intelligi: 1. pro ſcientia omnium
Init. Metaph. perfectiſſima, qualem ſolam metaphyſicam cenſet Ariſtoteles, eo quòd ſola metaphyſica per principia omnium univerſaliſſima, certa, atque evidentiſſima tractet de omnibus. 2. Pro multitudine cognitionum in aliqua arte, certarum, & perfectiſſimarum: ſic de quodam dicit Deus,
Exod. 31. *Implevi eum Spiritu Dei, Sapientiâ, intelligentia, & Scientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro &c.* Ubi jam vides terminum illum *Sapientia* contractum ad unam ſingularem ac determinatam artem, nempe fabrilem. 3. Pro complexo ex omnibus perfectiſſimis cognitionibus, quæ humanitus interdum habentur, & circa omnia objecta, circa omnes Artes, & Scientias, quæ humanitus aliquando habentur; cùmque hæc ſit rara avis in terris, hac de cauſa Sapientia in hac tertia acceptione rariſſima eſt inter homines. Unde meritò queritur: *unde ergo Sapientia venit! & quis eſt*
Iob. 28 *locus intelligentiæ?*

46. *Scientia* eſt, quam ſupra definivimus. Poteſt ſumi adæquatè,

tè,ſcilicet pro complexo omniū actuum ſcientificorum,qui ſunt in aliqua facultate(& de Scientia in hoc ſolo ſenſu, dicitur,quòd non eſt de ſingularibus,ſed de univerſalibus,ut jam advertimus) vel inadæquatè, ſcilicèt pro unaquaq;regula ſeu concluſione demōſtrata in ea facultate: & in hoc ſenſu Scientia poteſt eſſe de ſingularibus,ut etiā advertimus.

47. *Prudentia* eſt, juxtà Ariſtotelem, *habitus cum vera ratione actívus circa ea, quæ bona vel mala homini ſunt.* Ars verò, *habitus cum* 6. *Eth.* c.3. & 4.
vera ratione effectivus:diſcrimen inter hæc duo notatum invenies apud 1.2.qu.
S. Thomam. Prudentia, & Ars dicuntur ſpectare ad intellectum *practicum* non verò *ſpeculativum*: non quia in homine dentur duo intellectus, quorum alter ſit practicus, alter ſpeculativus, ſed quia habere ſolemus duo genera cognitionum, quarum unæ ſiſtunt in contemplatione objecti, quin præſcribant modum faciendi illud, ut cognitiones, quas habemus de Deo, & hæ cognitiones dicuntur actus ſpeculativi: alteræ, quæ docent modum faciendi objectum, & hæ vocantur actus practici; tametſi quando objectum eſt factibile, actus etiam illi ſpeculativi juvent valde ad illud faciendum: nam certiùs, & ſecuriùs curat Medicus, qui novit quidditatem, ac proprietates morborum, ac Medicinarum, quàm qui alterutra ignorat: ſed quia iſta conducentia non eſt ſignata, ſed exercita, non eſt talis, ut actus illi directè præſcribant modum faciendi rem, ſed talis, ut homo utatur ex placito ſuo notitiâ illâ ſpeculativâ ad meliùs rem faciendam, ideo actus illi ſimpliciter, & abſolutè vocantur ſpeculativi. 52.a.4.

48. Jam qualitas hæc cognitionum adſcribitur per figuratam locutionem intellectui ipſi, & vulgò dicitur duplex intellectus, unus practicus, alter ſpeculativus; ſed duplicitas non eſt in ipſa potentia intellectiva,ſed in ejus exercitiis:& quanquam in intellectu habeamus etiam cognitiones affirmativas, & negativas, cognitiones apprehenſivas, judicativas, & diſcurſivas; veruntamen uſus invaluit hujus phraſis *intellectus practicus, & ſpeculativus*; non verò hujus, *intellectus affirmativus, & negativus &c.* & non eſt alia ratio.

49. Conveniunt ergo Prudentia,& Ars 1. Quòd ambæ tendunt in praxim (non quatenus cum hac connectantur ſicut materia cum forma; ſed quatenus aperiunt modum faciendi rem, fiat nec nè) & ideò in utriuſque definitione ponitur *activus* aut *factivus*, inter quæ nullum, aut leve eſt diſcrimen illud, quod aliqui excogitarunt, nimirum activum eſſe illud, quod docet effectionem poſt quam nihil manet operis: & effectivum illud, quod docet effectionem, poſt quam aliquid manet operis: hęc enim doctrina, licèt aptetur artibus

mechanicis, quarum opus eſt ad extra, ſiquidem poſt effectionem domûs perſeverat domus, poſt effectionem navis perſeverat navis &c. non tamen artibus liberalibus, quarum exercitia ſunt cognitiones intellectuales, & conſequenter ſunt res tranſeuntes, poſt quas licèt perſeveret habitus ſeu facilitas repetendi illas; non tamen eſt opus factum per illas; ſed qualitas naturaliter reſultans ex illis: igitur Prudentia & Ars tendunt ſuapte naturâ purè directivè *in aliquid faciendum*; & non ſunt res merè ſpeculativæ, infœcundæ, ac aridæ.

50. Conveniunt 2. in eo *cum vera ratione* ſeu *cum judicio vero*: quoniam regulę, ac præcepta, quæ ſunt in Prudentia, atq; in Arte talia ſunt, ut ſi homo eis perfectè obediat, opus evadat perfectum, jam hac jã illa perfectione ex multis, quæ ſolent eſſe in arte: quòd autem multoties opus evadat difforme, ſive ſit externum ex mechanicis, ſive internum, & purè intellectuale, ut ſolet contingere in malis ſyllogiſmis, hoc non naſcitur ex regulis artis; ſed ex ignorantia, aut malitia, aut calliditate hominis: in his duobus conveniunt Prudentia, & Ars; differunt verò in eo, quòd Ars dirigit ad opus non ſpectans ex ſe ad mores, tametſi reflexè ex bona aut mala intentione hominis poſſit opus illud extrinſecè ordinari ad bonum, aut malum finem.

51. Prudentia verò determinatè tendit in ea, *quæ bona, & mala homini ſunt*, nempè arcendo hæc, & conando in illa. Hæc Prudentia eſt duplex; una imperfecta, quæ verſatur circa res caducas, & potiùs eſt
Luc. 16. *calliditas* juxta illud, *Filii hujus ſeculi prudentiores Filiis lucis in generatione ſua ſunt*: altera, quæ verè eſt prudentia, & verſatur circa bona, & mala animæ, declinando ab his, & faciendo illa juxta illud,
Matth. 10. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* Advertè deniq; his quinque habitibus acquiſitis alios quinque longe nobiliores, ſicut Cœlum reſpectu terræ, poſſe reſpondere habitus infuſos, qui ſunt qualitates ſupernaturales, quas Deus ut miſericors Pater, quando vult, quibus vult, quandiu vult, & quomodo vult imprimit hominibus, ut longè meliùs quàm per viam uſûs, exercitii, ac doctrinæ humanæ ſciat, & penetret hæc omnia: eſt ergo Intellectus infuſus, Scientia infuſa, Sapientia infuſa, Prudentia infuſa, Ars infuſa: quod breviter oſtendi poteſt ex textu illo citato Exod. 31. Veruntamẽ ſicut Deus, quamvis poſſit facere, quòd terra producat fructus ſine labore, ac induſtria hominum, id tamen non facit ordinariâ providentiâ, quia non vult, quòd homines otientur, & ipſum tentent aſpirantes ad miracula: ita prædictos habitus non infundit per ordinariam providen-

tiam

Digitized by Google

tiam hominibus: unde reſtabunt hi ſine arte, ſine prudentia, ſine ſapientia &c. niſi ſtudio, labore, uſu, atque exercitio hoc nanciſcantur adjuti ſupernè.

52. His præmiſſis concluſio eſto: Logica habitualis eſt ars: unde habebis, quòd ex illis quinque membris dividentibus habituum, duo ſola conveniunt Logicæ, nempè Scientia,& Ars; & conſequenter Logica non eſt intellectus, nec Sapientia, nec Prudentia. Probatur concluſio: omnis habitus cum vera ratione effectivus operis ex ſe non ſpectantis ad mores eſt Ars,juxta definitionem datam num. 17. Ars inquam, vel adęquata, ſi fuerit complexum ex omnibus habitibus illius facultatis, vel inadæquata, ſi fuerit unus, vel uni tantùm habitus: at Logica eſt habitus cum vera ratione effectivus operis ex ſe non ſpectantis ad mores; ergo. Probatur minor: in primis eſt *habitus*, quia loquimur in concluſione de Logica artificiali habituali acquiſita, non autem de Logica, aut naturali, aut actuali, aut supernè infuſa: deinde *cum vera ratione*,quoniam regulæ, ſeu pręcepta Logicę talia ſunt tam circa definitionem, quàm circa diviſionem, converſionem, æquipollentiam, argumentationem demonſtrativam, aut probabilem dumtaxat, aut ſophiſticam etiam, ut ſi homo regulis eis perfectè obediat, proculdubio eliciet definitionem, diviſionem &c. optima, & prout debent eſſe à parte rei, & juxta lumen naturale: ſed in hoc ſolo ſtat, quòd ſit habitus *cum vera ratione*:ergo eſt.Demum *effectivus operis &c.* quia in Logica ſunt regulæ dirigentes ad efficiendum definitiones, diviſiones, & reliqua, quas operationes licèt homo pro libito ſuo dirigere poſſit in bonum, vel malum animæ ſuæ: illæ tamen ex ſua natura, ac ſecundùm ſolam ſuam naturam inſpectæ, neque vergunt in malum, neque in bonum animæ, ſed ſunt indifferentes in ſpecie ſicut multæ aliæ actiones humanæ.

53. Sed cave duas æquivocationes 1. Habitus ſive Prudentię,ſive Artis,ſive Scientiæ,ſive Logicę non ſunt *effectivi phyſicè*,ſicut ignis eſt effectivus caloris; ſed *moraliter* dumtaxat, ac directivè: eo modo, quo præceptum Heri, & preces amici efficiunt tuum conſenſum: vel potiùs eo modo, quo doctrina, & explicatio Magiſtri efficiunt profectum diſcipuli, nimirum quatenus docet, inſtruit, monet, ac dirigit diſcipulum ad illud,quod diſcere vult: definitiones enim, diviſiones, ac argumentationes efficiuntur phyſicè ab intellectu ipſo, cujus ſunt vitales operationes,coadjuvantibus habitibus illius facultatis, in qua fiunt illæ.

54. 2. Cùm inſtrumenta hæc ſciendi poſſint fieri ore,aut alio exterio-

teriori modo:& poſſint fieri ſola mente, magnum eſt inter utrumque modum diſcrimen: illa,quæ fiunt externè,poſſunt corrigi,aut vitiari, & de bono tranſire in malum: cæterùm illæ definitiones ſeu diviſiones (de argumentationibus eſt alia regula juxta caput ſequens) quæ ſunt purè mentales, cùm habeant *per ſuammet eſſentiam* eſſe tales,quales ſunt juxta magis communem opinionem (quam tamen minus veram eſſe diximus diſp.1. cap.2.) vel ſaltem eſſe tales, quales ſunt ſuppoſita inſtitutione ſignificationis vocum:hac de cauſa ſi ſemel ſint bonæ, non poſſunt vitiari, ſi ſemel ſunt malæ, non poſſunt illæ eædem mutari in bonas. In artibus mechanicis, & externis ſolet materia eſſe ex ſe indifferens, ut benè, aut malè formetur, v. g. ſaxum, lignum, & ſimilia, quæ uno modo ſecta, atque unis partibus detractis, alteris relictis, formant ſtatuam bonam, & alio modo ſecta, & coordinata, malam exprimunt figuram. Cave ne ita intelligas fabricam noſtrorum actuum internorum, ſive intellectûs, ſive voluntatis: quaſi habeamus in cerebro maſſam aliquam cognoſcitivam, aut volitivam, ex qua juxta regulas Logicæ formemus inſtrumenta ſciendi: abſit.

55. Dirigitur ergo intellectus per Logicam ad definitionem v. g. mentalem fabricandam,quatenus ex una parte benè habitualiter ſciens ex regulis Logicæ modum, quo definitio eſt bona: & ex altera apprehendens (ſicut paſſim apprehendimus alia multa, quin illa poſitivè judicemus) hanc definitionem hominis, *Animal implume,bipes*, eam non concipit mente; apprehendens verò hanc,*animal rationale*,hanc concipit; quo circa directio Logicæ non eſt ad emendandum definitionem mentalem, neque ad formandum illam potiùs bonam, quàm malam, ex aliqua maſſa indifferente, ſicut ex marmore formatur ſtatua; ſed tota eſt ad primo, & quaſi uno impetu concipiendum potiùs actum illum intellectûs, qui per ſe eſſentialiter,aut per inſtitutionem vocum eſt rectus, quàm illum, qui per ſe eſſentialiter, aut juxta inſtitutionem vocum non eſt rectus, & conſequenter eſt incapax, qui emendetur.

56. Hoc idem contingit in omnibus aliis habitibus non mechanicis, ideſt quorum objecta immediata non ſunt res exteriores, ac materiales: ſed res internę, hoc eſt operationes intellectûs,aut voluntatis: v.g. Prudentia non dirigit nos,ut illum eundem actum voluntatis,qui ſemel eſt malus, emendemus per additionem, aut detractionem, aliquarum particularum ſicut emendatur ſtatua, aut pictura: neque dirigit nos ad faciendum rectum actum voluntatis, qui ſemel eſt rectus, quoniam hic per ſe eſſentialiter eſt rectus, unde,ut rectus ſit,non indiget

diget directione Prudentiæ: hæc ergo dirigit nos, ut liberè, vel neceſſariò prout fuerint aliæ circumſtantiæ,concipiamus actum voluntatis, qui eſt eſſentialiter bonus, & omittamus eum, qui eſt eſſentialiter malus: ſic reſpectivè Logica dirigit intellectum ad definitionem, diviſionem &c. quatenus dirigit ut liberè vel neceſſariò, prout fuerint aliæ circumſtantiæ,concipiamus definitionem v. g. quæ eſt eſſentialiter bona, abſolutè, vel ſuppoſita tali vocum inſtitutione, & omittamus illam, quæ alterutro modo eſt eſſentialiter mala: quod terminis brevioribus explicabis inquiens, *dirigit antecedenter, & abſolutè; ſed non conſequenter aut conditionatè*, ex ſuppoſitione, quòd mentalis definitio ex ſua eſſentia, vel inſtitutione vocum jam ſignificet, quod ſignificat.

57. Porrò quando dicimus, prædictos actus intellectûs, aut voluntatis eſſe eſſentialiter bonos, aut eſſe eſſentialiter malos, aut abſolutè, aut ſuppoſità vocum inſtitutione; ne intelligas de bonitate, aut malitia artificioſa, *ut abſolutè exiſtente*: quia hæc conſtituitur eſſentialiter per ipſas regulas Logicæ, aut Prudentiæ, cum quibus non ſemper connectuntur eſſentialiter illi habitus intellectûs, aut voluntatis, qui ſunt boni: ſed debes intelligere de bonitate,aut malitia artificioſa,ſumpta *radicaliter*,ſive conditionatè. Ideſt bona definitio per ſe eſſentialiter eſt abſolutè,vel ex ſuppoſitione,quòd ſignificet id,quod ſignificat, conſona regulis definiendi,*ex ſuppoſitione, quod ſint tales regulæ*:mala autem per ſe eſſentialiter eſt eodem modo diſſona eiſdem regulis *ex ſuppoſitione,quòd illæ ſint*:ſimiliter hucuſque dicta intellige de inſtrumentis ſciendi verbo,aut ſcriptis, aut alio ſigno externo factis, nam iſta omnia licèt ſint materialia, & externa, & conſtituta in eſſe talium per voluntatem hominum utentium eis ſignis externis ad manifeſtandum ſuos internos conceptus; verumtamen ex ſuppoſitione, quòd ſemel habeant ſignificationem, quam habent, ſunt eſſentialiter bona, nec ſunt eſſentialiter mala.

CAPUT III.

An, & quomodo Logica ſit practica, & ſit neceſſaria.

58. PRacticum eſt, *cujus finis eſt opus*, ſeu *quod verſatur circa rem operabilem modo operabili*. Speculativ um eſt, *cujus finis eſt veritas*. Si inter Authores conveniret de ſenſu harum definitionum,

tionum, non eſſent uſque adeo diviſi in quæſtione præſente. Cognitio ſpeculativa eſt illa, quæ licèt extrinſecè poſſit, ac ſoleat ordinari ad ſuum objectum efficiendum (quia ut advertimus valdè juvat ſcire, quid ſit res, & quibus polleat proprietatibus, ad ipſam faciendam, quando aliàs factibilis eſt) verumtamen ipſa ex ſe ſiſtit in contemplatione objecti aperiendo dumtaxat ipſius naturam, aut proprietates,

59. Cognitio practica in artibus eſt illa, quæ aliquam vel aliquas præſcribit regulas, ſeu modum faciendi objectum, ſive etiam modum, quo faciendum non eſt: quia certè hęc cognitio non eſt purè ſpeculativa, ideſt præſcindens à factibilitate ſui objecti: ergo eſt practica ſaltem negativè: ſicut in *Prudentia* cognitio practica eſt non ſolũ illa, quę hìc, & nunc movet ad actionem faciendam, verùm etiam quæ hìc, & nunc movet ad actionem non faciendam: & ſic ultimũ illud judicium conſcientiæ, quo operamur, aut non operamur, vocari ſolet *conſcientia practica.* Habitus, dominium, poſſeſſio, ſeu facilitas generata ex crebra repetitione cognitionum practicarum vocatur habitus, ſive facultas practica: generatus verò ex repetitione ſpeculativarum vocatur habitus, ſeu facultas ſpeculativa: & id quæritur impræſentiarum, utrum actus proprii Dialecticæ ſint practici, an potiùs ſpeculativi? Si primum; Dialectica ipſa habitualis erit Scientia practica, utpotè genita ex actibus practicis? Si ſecundum; erit Scientia ſpeculativa, utpotè genita ex actibus ſpeculativis: jam enim monuimuus cap. 1. habitum acquiſitum ſapere naturam actuum, quorum uſu, ac conſuetudine acquiritur: ideſt habitum acquiſitum ex conſuetudine canendi eſſe habitum muſicum, non autem militarem, & habitum acquiſitum ex frequentia orandi eſſe habitum ſeu virtutem orationis; non autem jejunii v. g.

60. Ubi advertè duo 1. Licèt ſpeculatio, & actus ſpeculativus ſint idem, quia ambo hæc nihil aliud ſunt, quàm cogitatio illa, qua intellectus inſpicit, aut probat naturam, quidditatem, proprietatem, aut proprietates objecti abſtrahendo tunc ab eo, quòd ſit, vel non ſit factibile; verumtamen *praxis*, & *actus practicus* non ſunt idem: quia nihil, quod fit aut eſt factibile ex directione alicujus regulæ ſive poſitivæ, nempè docentis modum, quo fieri debet: ſive negativæ, ideſt docentis modum, quo fieri non debet, eſt regula ipſa, ut patet: ſed praxis omnis eſt opus factum, vel factibile ex directione alterutrius regulæ dictæ: actus verò practicus eſt ipſa regula; ergo nulla praxis eſt ſpeculatio reſpectu ejuſdem. Cæterùm fieri poteſt, quòd illud idem, quod

Digitized by Google

quod reſpectu unius eſt praxis, reſpectu allus ſit ſpeculatio: & patet in ipſa Logica, quoniam definitiones, diviſiones, & argumentationes, v. g. circa hominem, vel Angelum, quæ reſpectu Logicæ ſunt praxis utpotè factæ ex directione Logicæ; reſpectu ſuorum objectorum ſunt mera ſpeculatio, quia certè definitio, diviſio, aut argumentatio ſuper Angelis non præſcribunt regulas, aut modum faciendi Angelos.

61. Adverte 2. praxim, & practicum poſſe eſſe aut *Mechanicum*, ideſt extra potentias animæ (in quo ſolo ſenſu intelligenda eſt illa maxima, qua utitur Scotus, ſcilicet, *Intellectum extenſione fieri practicum*, ideſt quando docetur fieri aliquid, quod eſt extra intellectum: eſt hoc verum de ſolo practico mechanico) aut poſſe eſſe praxim, vel practicum *liberale*, ideſt, quod manet in animâ ipſa, quatenus ſit actus intellectûs, aut voluntatis: qui ſanè non ſunt aliquid extra nos, ſicut eſt ſtatua, pictura, ædificium &c. ſed quid intra nos metipſos manens, cùm ſint actus noſtri vitales. Quod autem ſpecies hæc cognitionis practicę *liberalis*, ideſt docentis aliquid fieri intra nos metipſos, verè ſit cognitio practica, certum videtur. Quoniam omnis cognitio, quæ non eſt purè ſpeculativa, eſt verè practica (non enim datur medium inter præſcribere, & non præſcribere modum efficiendi objectum. Si primum; cognitio eſt verè practica: ſi ſecundum; eſt purè ſpeculativa) ſed omnis cognitio præſcribens regulam, ſeu modum concipiendi intra noſmetipſos aliquid, quod ſit actus intellectûs, aut voluntatis, non eſt purè ſpeculativa, quandoquidem non ſiſtit in mera contemplatione ſui objecti: ergo omnis talis cognitio verè eſt practica; ergo diviſio in practicum mechanicum, & practicum liberale, ideſt cujus opus manet in noſtro ipſo intellectu, non eſt arbitraria: ſicut nec diviſio ab omnibus admiſſa in artes mechanicas, & liberales, quæ diviſio coincidit cum hac alia: ergo principium illud, *intellectus extenſione fit practicus*, non eſt prorſus univerſaliter verum, ſed ſolùm ſubſiſtit, quando practicum eſt Mechanicum. Denique hìc repete doctrinam totam capitis antecedentis à num. 54., quia illa tota eſt hìc neceſſaria, & illi eidem inſiſtimus modò, & oportet illam benè notam habere pro reſolutione quæſtionis.

§. II.

§. I I.

62. SIt 1. Concluſio: Logica eſt abſolutè ac ſimpliciter practica: & ſecundùm quid ſpeculativa. P. 1. pars. omnis facultas, cujus finis, (nempè ad quem ſuaptè naturâ eſt utilis, & ad quem extrinſecè ordinatur per Profeſſores ipſius facultatis) ſeu objectum attributionis, quod idem ſonat, eſt opus factū vel factibile media poſitiva directione ipſius facultatis, eſt abſolutè, ac ſimpliciter practica: ſed talis eſt Logica: ergo. Major eſt certa, tum quia juxta definitiones datas num. 1. Practicum eſt illud, cujus finis eſt opus, factibile utique media directione ipſius practici, non verò alius diſtinctæ facultatis: tum quia omnis facultas, quæ non ſiſtit in mera contemplatione ſui objecti attributionis, eſt abſolutè practica, ſiquidem non eſt purè ſpeculativa: ſed omnis facultas, cujus finis, ſeu objectum attributionis eſt opus factum aut factibile media poſitiva directione ipſius facultatis, certè non ſiſtit in mera contemplatione illius; quoniam omne, quod ſiſtit in hac mera contemplatione, non dirigit per ſe formaliter poſitivè ad illud efficiendum, ut patet in definitione merè ſpeculativa Angeli, animæ rationalis, materiæ primæ, & ſimilium: ergo omnis facultas &c.

63. Probatur jam minor primi ſyllogiſmi. Finis, ſeu objectum attributionis Logicæ (non quidem intrinſecum, ac naturale, ut infrà dicemus *capit.* 6. ſed ex rationali placito hominum attenta intrinſeca proportione, quam habent regulæ Logicę juxta ibidem dicenda) Finis inquam in hoc ſenſu eſt demonſtratio, hoc eſt ſyllogiſmus evidenter concludens, ut infra dicemus; at demonſtratio eſt opus factibile media poſitiva directione Logicæ: quandoquidem hæc dat regulas ad evidenter arguendum, ſeu concludendum, quales ſunt omnes illæ traditæ *diſp.* 2.; ergo Logica eſt abſolutè, & ſimpliciter practica.

64. Ubi advertè. Tota Logica eſt reflexa ſuper actus intellectûs, quos ſolos habet pro objecto immediato, quia de illis ſolis immediatè ac directè tractat in ordine non quidem ad omnia, ſed ad definiendum, dividendum, & arguendum, & ſimilia alia: ſicut tota Phyſica tractat de ſolo ente naturali, tota Ethica de ſolis moribus, tota Theologia purè talis de ſolo Deo &c. Rurſus inter hos actus intellectûs, de quibus agit Logica, uni ſunt entitativè indiviſibiles, ut plerumque definitio, & diviſio: alii ſunt entitativè diviſibiles, ut plerum-

que

que argumentationes, quippè quæ plerumque coaleſcunt ex duobus, aut tribus actibus intellectûs. Inter utroſque eſt hoc diſcrimen in opinione aſſerente illos habere ex ſola ſua eſſentia ſignificare id, quòd ſignificant, & non ſignificare id, quod non ſignificant. Quòd ad illos primos non dirigit ut ſic,vel aliter fiant,ſunt enim eſſentialitèr tales, quales ſunt; ergo non ſunt capaces ut dirigatur intellectus ad illos ſic, vel aliter faciendos, ſi vera eſt opinio illa · omnis quippè directio, regula, præceptum, prohibitio, conſilium debet eſſe de contingentibus,ſicut omnis volitio, aut nolitio: ergo ſolùm poteſt dirigi intellectus ad actus eos modo, quem ibi diximus, ſcilicèt quatenus ſciens, quæ ſit bona, quæ ſit mala definitio, & alterutram apprehendens prorumpat in bonam,& ſuperſedeat à mala.Quocirca in ea opinione Logica dirigit ad hos actus ſicut Prudentia, & dictamen practicum conſcientiæ, quæ duo verè & ſimplicitèr ſunt practica, dirigunt ad noſtros actus internos, nempe quatenus proponunt qui nam ſint boni, & qui nam hìc & nunc mali.

65. Aliud eſt etiam in ea opinione de argumentationibus, aliiſque actibus compoſitis ex aliis actibus intellectûs: quoniam ad hos non ſolùm dirigit Logica, quatenus docet intellectum bonos, & malos, ut declinet ab his, & eligat illos, verùm etiam quatenus præſcribit modum efficiendi,ſeù fabricandi hos actus: quia docet qui debent adjungi aliis,& qui non debent adjungi,ut concluſio ſit evidens· v.g. ex regulis Logicæ ſcimus huic majori, *omne animal eſt vivens* non eſſe adjungendam hanc minorem, *omnis homo eſt rationalis*, ad concludendum, *omnem hominem eſſe viventem*; ſed hanc aliam, *omnis homo eſt animal*, & ſimilitèr in aliis argumentationibus: ergo ad has dirigit Logica, quatenus dirigit ad illas verè, & ſimplicitèr fabricandas, ſeu conſtruendas; ergo tametſi Logica dirigat intellectum ad inſtrumenta ſciendi, non tamen dirigit univocè, ſeu eodem modo; ſed æquivocè,& modo valde diverſo.

66. Explicatur exemplo artium Mechanicarum, ideſt earum quæ habent pro objecto opus exſternum, tametſi aliàs non ſint humiles, ſed in republica nobiles. Architectonica v.g. non dat regulas Architecto, ut terra ſit terra, ut aqua ſit aqua, ut lignum ſit lignum, ut ſaxum ſit ſaxum, quia unum quodque ex his habet per ſuam eſſentiam eſſe,quod eſt, & non eſſe, quod non eſt, & ad hoc non ſunt regulæ neceſſariæ: veruntamen ars Architectonica abſolutè & ſimpliciter eſt practica, quia præbens regulas ad combinandum, & componendum inter ſe iſta omnia,quæ poterant aliter, & aliter inter ſe com-

binari, præbet hoc ipſo regulas ad conſtruendum ædificium, quod eſt finis, ſeu objectum attributionis artis Architectonicæ.

67. Idem in præſenti: Logica non præſcribit regulas, ut formentur propoſitiones mentales, quæ plerumque ſunt indiviſibiles quidam fulgores intellectûs, & eſſentialitèr ſunt tales, quales ſunt: vel abſolutè per ſolam ſuam eſſentiam, vel ſuppoſitâ vocum, quibus reſpondent, ſignificatione: cæterùm præſcribit regulas ad combinandum unas propoſitiones cùm aliis, ex quarum combinatione evidentèr ſequitur concluſio: cùmque conjunctio, ſeu combinatio hæc ſit accidentalis, & poſſit fieri, & poſſit non fieri (quandoquidem hæc propoſitio v. g. *omne animal eſt vivens*, non habet per ſuammet eſſentiam conjungi cum hac altera, *omnis homo eſt animal*) hac de cauſa directio Logicæ quoad ſuum objectum attributionis eſt circa rem, quæ ſic vel aliter fieri poteſt. Quòd ſi dixeris, omnem prorſus argumentationem adæquatè ſumptam eſſe actum entitativè indiviſibilem: præter quam quod dices rem falſam, dicemus nos tunc, Logicam dirigere ad illam, ſicut dirigit ad definitionem, & diviſionem.

68. Obii. Juxta ea, quæ diximus, Logica non erit practica reſpectu definitionis, & aliorum actuum indiviſibilium, qui eſſentialitèr abſolutè, vel ſaltem ex ſuppoſitione, quòd ſignificent id, quod ſignificant, ſunt tales, quales ſunt. Pr. nulla cognitio, quæ eſt mera contemplatio ſui objecti, eſt practica: quia omnis id generis eſt merè ſpeculativa: ſed omnes regulæ Logicæ circa definitionem v. g. indiviſibilem, & quæ eſſentialiter ſit talis, qualis eſt, erit mera contemplatio ſui objecti. Prob. Omnis cognitio, quæ præciſè eſt repræſentatio quidditatis, eſſentiæ, aut proprietatum ſui objecti, eſt mera contemplatio ſui objecti: ut patet in cognitionibus, quas habemus circa eſſentiam, & attributa Dei, Angeli, Animæ rationalis &c. Sed omnes regulæ Logicæ circa definitionem v. g. præciſè erunt repræſentatio quidditatis, eſſentiæ, ac proprietatum definitionis: nam eam debere eſſe clariorem ſuo definito, debere conſtare genere ac differentiâ, debere converti cum illo, & ſimilia, erunt de eſſentia ipſius definitionis; ita ut mala definitio, nempè quę hæc attributa non habuerit, tam impropriè erit definitio, quàm homo pictus eſt homo: ergo. Reſp. eodem argumento probari poterat *Prudentiam* non eſſe virtutem practicam: & ultimum dictamen conſcientiæ non eſſe practicum, quandoquidem vitales operationes noſtræ voluntatis, quas ſolas immediatè, ac directè dirigit Prudentia, & Dictamen illud (cùm actiones externæ pendeant etiam à potentia externa, quæ non ſem-

per

per obedit exactè imperio voluntatis.) ſint eſſentialiter tales, quales ſunt: unde poterat formari iſtud idem argumentum.

69. Negamus itaque ſequelam objectionis, & minorem probationis, ſed attendendo prædictæ opinioni. Ad hujus probationem diſtinguenda eſt major: quæ præciſè eſt repræſentatio per ſe immediatè, ac directè *non juvans* ad objectum illud ponendum in rebus conc. ma. & hoc contingit in iſtis cognitionibus Dei &c. Quæ præciſè eſt repræſentatio per ſe immediatè, ac directè *juvans* ad objectum illud ponendum in rebus, & inſuper neceſſaria ad illud artificiosè faciendum; nego ma. Quoniam ejuſmodi cognitio non eſt purè ſpeculativa, nam hæc per ſe immediatè, ac directè nec eſt neceſſaria, nec ſpecialiter juvat *poſitivè* ad objectum illud faciendum: paſſim enim fiunt objecta artificiosè ab hominibus ignorantibus definitionem illorum, imò à ſapientibus etiam Philoſophis, & Theologis, quando definitio Contritionis v.g. Fidei, aut Spei eſt dubia inter ipſos Theologos; ergo nulla cognitio, quæ ita eſt repræſentatio quidditatis, ac proprietatum ſui objecti, ut per ſe immediatè, ac directè jubet poſitivè ad illud ponendum in rebus, & inſuper eſt neceſſaria, ut illud artificiosè ponatur, eſt purè ſpeculativa: ergo omnis illa eſt practica; ſed omnes iſtæ regulæ Logicæ circa definitionem v. g. ſunt ejuſmodi, ut ſatis conſtat; aliàs cùm omne tale individuum complexum ex rebus componentibus individuum ædificium, eſſentialiter conſtet tali individua terra v. g. talibus individuis ſaxis, talibus individuis lignis, ſequeretur, quòd nec Architectonica foret practica: demum diſtincta minore eiſdem terminis, negamus conſequentiam.

§. III.

70. Secunda pars concluſionis erat Logicam eſſe ſpeculativam ſecundùm quid. Pr. Eſſe ſpeculativam ſecundùm quid ſtat formaliter in eo, quòd aliquos habeat actus merè ſpeculativos; ſed hoc ita contingit: quoniam ad procedendum methodicè, ſcientificè, ac rationaliter ita ut uni homines doceant, alii diſcant Logicam, oportet dare definitiones earum rerum, quas diſcipuli docentur, nempè definitiones inſtrumentorum ſciendi, ut ſciamus, *quid eſt illud*, quod docemus, & docemur: atqui definitiones plerumq; ſunt actus merè ſpeculativi, & exiſtunt in mera contemplatione ſui objecti v. g. *definitio eſt oratio explicans eſſentiam rei.* Syllogiſmus

eſt argumentatio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis, neceſſariò eſt &c. quibus actibus Logicæ ſcimus quidem, quid ſit definitio, quid ſyllogiſmus convincens, ſed non ſcimus modum faciendi illa: ergo. Non tamen negamus definitionem diviſionis, quodammodo eſſe practicam, & docere modum illam faciendi; nam eſt *oratio totum in ſuas partes diſtribuens*: & idem de aliis definitionibus docentibus aliquatenus modum faciendi ſuum objectum; verùmtamen id non contingit in omnibus definitionibus; & hoc ſolùm diximus, ſcilicet aliquas eſſe merè ſpeculativas, & conſequenter Logicam eſſe ſecundùm quid ſpeculativam.

71. Hinc 1. cùm Logica habitualis, de qua eſt ſermo in his quæſtionibus, attribuendo ipſi, quæ ſunt magis propria actuum Logicæ, ſit genita ex repetitione, ac conſuetudine eorum actuum, quando dicimus illam eſſe ſimpliciter, & abſolutè practicam, ac ſecundùm quid ſpeculativam, ſenſus eſt: pleroſque, ac primarios actus Logicæ eſſe actus practicos docentes modos definiendi, dividendi, ac argumentandi, ad hoc ut intellectus humanus adipiſcatur ſcientiam demonſtrationis, quœ ſcopus eſt, & finis Logicæ, ſeù potius Authorum, qui excogitaverunt, & profeſſi ſunt Logicam: & aliquos etiam eſſe merè ſpeculativos. Unde infertur habitus, quibus componitur Logica, eſſe pleroſque, ac primarios practicos, aliquos autem ſpeculativos. Neque hoc eſt ſpeciale in Logica: quoniam licèt definitiones, aliæque cognitiones merè ſpeculativæ non ſint prorsùs neceſſariæ ad facienda opera artificiosè; veruntamen ſunt neceſſariæ ad hoc, ut regulæ faciendi opera methodicè, ac rationabiliter, ac ſcientifico modo tradantur ab unis, & diſcantur ab aliis.

72. Hinc 2. non negamus prędictas definitiones, & ſimiles alios actus ſpeculativos conducere, ac juvare, ut intellectus faciat definitiones, argumentationes &c; ſed hoc ſolum non ſufficit, ut ſint actus practici, & deſinant eſſe merè ſpeculativi: tum quia aliàs ſequeretur, nullum poſſe formari ab intellectu actum merè ſpeculativum circa rem, quæ alioquin eſt factibilis; ſiquidem definitio illius, & quævis alia cognitio pateſaciens illius naturam, ac proprietates conducit ſine dubio ad illam faciendam modo rationali, methodico, & libero; ergo omnes penitus cognitiones, quas habemus circa res alioquin factibiles, erunt practicæ. Quod falſum eſt, ac exorbitans à communi modo loquendi. Tum quia illæ definitiones conducunt ad definitiones ac argumentationes *remotè*, ſed *non proximè*, nega-

tivè,

tivè, ſed non poſitivè dumtaxat, quatenùs removent ignorantiam quidditatis illarum, quæ ignorantia poterat eſſe impedimentum, ne intellectus conciperet definitiones, & argumentationes juſtas, vel ſaltem non conciperet illas ſcientificè, ac methodicè. Fatendum ergo eſt intellectui veritatis amanti, eſſe diſcrimen inter definitiones pleraſque, ac regulas docentes modum definiendi, ac argumentandi, vi cujus illæ ſint actus merè ſpeculativi, hæ autem actus practici.

73. Hinc 3. verum eſt, quòd practicum abſolutè, ac ſimplicitèr, & ſpeculativum abſolutè, ac ſimplicitèr ſunt differentiæ ultimò dividentes Scientiã, & conſequenter ſunt eſſentialiter oppoſitę ſicut rationale, ac irrationale; & conſequenter nequeunt conjungi in eadẽ Scientia, ſicut rationale, ac irrationale nequeunt conjungi in eadem entitate: verùntamen practicum abſolutè, ac ſimpliciter; & ſpeculativum ſecundùm quid, nec ſunt differentiæ dividentes Scientiam, nec ſunt eſſentialiter oppoſitæ, & conſequenter poſſunt conjungi in eadem Scientia, qualis eſt Logica: & hoc eſt, quod de illa enunciamus; nempè eſſe practicam abſolutè, ac ſimplicitèr, & ſpeculativam ſecundùm quid; ergo non dicimus conjungi in illa res eſſentialiter oppoſitas: quamvis nec hoc foret magnum abſurdum, ſiquidem in homine conjunguntur corpus, & anima, mortale, ac immortale, quæ ſunt eſſentialiter oppoſita, licèt non quoad coexiſtendum. Pr. Aſſumptum. Præbere regulas faciendi objectum attributionis aliquo ex eis duobus modis inſinuatis: & non præbere regulas has ſunt eſſentialiter oppoſita; veruntamen præbere dictas regulas, & ſimul ſpeculari per alios actus realiter diſtinctos naturam, & proprietates objecti attributionis, non ſunt eſſentialiter oppoſita, ſed meritò conjungibilia, & conjungenda in eadem Scientia practica, ne cæco, & irrationali modo procedat circa ſuum objectum docendo illud facere, quin ſciamus, quid ſit illud, cujus naturæ, ac proprietatum.

74. Atqui Scientiam eſſe practicam abſolutè, & ſimplicitèr eſt, quòd præbeat regulas faciendi ſuum objectum attributionis: & eſſe ſpeculativam abſolutè, & ſimplicitèr eſt, quòd non præbeat eas regulas; rurſùs eſſe ſpeculativam ſecundùm quid eſt ſpeculari per actus alios realiter diſtinctos naturam, & proprietates ſui objecti attributionis; ergo licèt eſſe practicum abſolutè, & ſimpliciter, & eſſe ſpeculativum abſolutè, & ſimplicitèr opponantur eſſentialiter; non tamen eſſe practicum abſolutè, & ſimplicitèr, & ſpeculativum ſecundùm quid. Hoc & non aliud dicimus de Logica, de qua ſi plura velis hac ſuper re conſule P. Oviedo diſp. 1. proemiali puncto 2. ubi multa docet:

§. IV.

§. IV.

75. SEcunda Concluſio: Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias Scientias *methodicè*, *artificioſèque* acquirendas: item eſt moraliter, ac ſecundùm quid neceſſaria ad illas ſimpliciter acquirendas quoad ſtatum perfectum; ſecùs quoad imperfectum: cæterùm non eſt ſimpliciter neceſſaria ad illas quoad ſtatum perfectum acquirendas, ita ut nemo poſſit ſine miraculo poſſidere abſque juvamine Logicæ Scientiam ullam perfectè, perfectione utique humana, ideſt multis imperfectionibus ſcatente.

76. Loquimur in hac concluſione in numero plurali de aliis Scientiis: ſed ne intelligas illas omnes *collectivè*: quia omnes illas collectivè, ac ſimul poſſidere, nec cum Logica, nec ſine Logica poteſt contingere hominibus in hac vita abſque ſpecialiſſimo juvamine Dei, quale illud fuit Salomoni conceſſum: *Dedi tibi cor ſapiens, & in-*
3. Reg. c. 3. *telligens in tantum ut nullus ante ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*. Loquimur ergo de omnibus Scientiis diſtributivè, aut disjunctivè acceptis, ideſt de unaquaque, aut de aliqua. Prob. itaque prima pars: acquirere methodicè, artificioſèque Arithmeticam v. g. ſtat in eo, quòd definitiones, diviſiones, & argumentationes, quæ fiunt in Arithmetica, ſint juſtæ, ac perfectæ *juxta regulas artis*: ſine his quippè impoſſibile eſt, quòd illa fiant *artificioſè*, tametſi aliàs poſſint ſimpliciter, & abſolutè fieri: atqui ut illa fiant juxta regulas artis definiendi, dividendi, & argumentandi ſunt ſimpliciter neceſſariæ hæ regulæ, ſiquidem nhil fit, aut fieri poteſt juxta regulam, aut præceptum, quando talis regula, aut præceptum non eſt in rebus; ergo ad acquirendum methodicè, atque artificioſè Arithmeticam v. g. ſunt ſimpliciter neceſſariæ regulæ definiendi, dividendi, & argumentandi: ſed hæ regulæ ſunt Logica ipſa artificialis; ergo hæc eſt ſimpliciter neceſſaria ad Arithmeticam, aliaſque Scientias *methodicè*, atque *artificioſè* acquirendas.

77. Ubi jam vides duo. Primum. Non loqui nos de Logica habituali, ſed de actuali: nàm licèt quis non habeat habitum, facilitatem, poſſeſſionemque in definiendo, dividendo, & argumentando, ſi tamen hic, & nunc præſentes habet in mente regulas definiendi &c. definitio, diviſio, & argumentatio erunt methodicæ, atque artificioſæ, ideſt factę juxtà regulas Artis. Alterū eſt, nos loqui nō ſolùm de Logica naturali, ideſt de ingenio, vivacitateque intelligendi, quia hæc ſinè du-

Digitized by Google

dubio eſt ſimplicitèr neceſsaria ad quamlibet Scientiam acquirendam etiam quoad unam tantùm ſcientificam Concluſionem; ſed loqui de Logica artificiali, ideſt de regulis ipſis definiendi, dividendi, & argumentandi: quæ regulæ tametſi per ſolū lumen naturale haberi poſſint abArithmetico, ſicut habitæ ſunt ab Ariſtotele, & aliis etiam antequàm audiri cępiſset hæc vox *Logica*; hoc non tollit, quòd regulæ illæ verè ſint Logica artificialis: nam certè hæc facultas conſtat regulis per ſe evidentibus; & cùm non omnes intellectus ſint pares vivacitate, uſu, experientià, multitudineque ſpecierum, fieri poteſt, & ſolet, quòd unis ſit arduum, & obſcurum idipſum, quod aliis eſt per ſe notum: ergo quòd prędictę regulę magno cùm labore diſcantur ab incipientibus, non tollit quòd ſint per ſe evidentes, & quòd ſolo lumine naturali poſſit nanciſci illas Arithmeticus: ſi ergo iſte cùm his regulis definiret, divideret, ac diſcurreret in Arithmetica quin unquàm Logicam didicerit, ſeù audierit, eſset ſicut ille, qui verè habet contritionem, quin ſciat ſuam definitionem.

78. Prob. 2. pars Concluſionis, nimirum hanc Logicam eſſe moralitèr neceſsariam ad alias Scientias ſimplicitèr acquirendas quoad ſtatum perfectum, ſecus quoad imperfectum. Omne, ſine quo ægrè admodùm, & valdè raro habetur aliud, eſt moralitèr, ac ſecundùm quid neceſsarium ad illud aliud: & hac de cauſa dicitur equus, aut aliud æquivalens eſſe moralitèr neceſſarium ad logiſſimum iter terreſtre brevì conficiendum, quia ſine illo ægrè admodùm, & raro conficitur: at ſic ſe habet Logica reſpectu aliarum Scientiarum: nàm cùm Arithmetica v. g. non ſit una tantùm propoſitio, ſed complexum, & congeries plurimarum, quas oportet benè ſegregare, & combinare intèr ſe, ne intellectus incidat in errorem, ægrè admodùm ſuperabit intellectus has omnes difficultates, niſi per diſciplinam, aut lumen naturale præſentes habeat regulas benè definiendi, benè dividendi, & benè argumentandi: atqui hæ regulæ utrolibet modo habeantur, ſunt Logica artificialis, ut nuper dicebamus: ſiquidem videtur certum, quòd Ariſtoteles, ſeù primus Author Logicæ ſi fortè fuit alius, poſſiderit Logicam artificialem, & tamen eam non habuit per diſciplinam, ſed per lumen naturale: ergo.

79. Cæterùm poſſidere unam, vel alteram tantùm Concluſionem ſcientificam Arithmeticæ non eſt res tàm ardua, ut nequeat contingere intellectui etiam ignaro definiendi &c. quoniam una vel altera ſola Concluſio poteſt, & ſolet non indigere definitione, diviſione, aut argumentatione artificioſa, ſiquidem ex primis principiis Arith-

metica

meticæ poſſunt multi intellectus, licèt non omnes, elicere ſine ullo artificio unam, vel alteram Concluſionem proptèr metaphyſicam connexionem, quam metaphyſicâ evidentiâ deprehendit in eo principio cum ea Concluſione: & in hoc caſu adeò firmiter adhærebit intellectus huic Concluſioni habitę per demonſtrationem *Philoſophicam* (ideſt fundatam in ſola evidentia metaphyſicà connexionis metaphyſicæ antecedentis cum conſequente) licèt non per demonſtrationem *Logicam*, ideſt factam juxtà regulas Logicæ, ut vi nulla poſſit dimoveri ab illa Concluſione: contra quam ſi ipſi occurrant inſolubiles difficultates, ſpernet illas, ut ſophiſmata, licèt dicere non poſſet ubinam ſit fallacia: ſicut paſſim Catholici ſpernunt difficultates inſurgentes contra Myſterium, quod perfectè poſſident per fidem, tametſi nequeant ſolvere illas.

80. Prob. 3. pars, videlicèt Logicam non eſſe ità ſimplicitèr neceſſariam ad aliquàm aliam Scientiam quoad ſtatum perfectum acquirendam, ut ſine miraculo nemo poſſit poſſidere abſque juvamine Logicæ Scientiam illam perfectè. Fieri poteſt, quòd omnes Concluſiones alicujus Scientiæ cujusvis ſint, ita colligare intèr ſe, ut inſtar annulorũ longiſſimę catenę, unæ Concluſiones evidentèr metaphyſicè inferantur ex aliis, & hæ ex aliis, & hæ ex aliis, donec perveniatur ad prima principia illius Scientiæ: cujus nobile exemplum habemus in Geometria, nam hujus ſcientificę Concluſiones evidentèr metaphyſicè inferuntur ex aliis, & hæ ex aliis, & hæ ex aliis donec venitur ad prima principia, ut conſtat ex libris Euclidis: ergo eo ipſo, quòd intellectus evidentèr metaphyſicè penetret illa prima principia, poteſt ex his elicere evidentèr metaphyſicè ſecundas, & ſic omnes cœteras, quæ humanitus haberi ſolent.

81. Sed ſine Scientia, aut memoria regularũ definiendi, aut dividendi, aut argumentandi, aut faciendi æquipollentes, aut modales, aut convertentes, aut contrarias, aut contradictorias, aut ſyllogiſmos, poteſt intellectus vivax, & ſolers abſque miraculo evidentèr metaphyſicè penetrare prima principia (nempè naturalia, ne importunè objicias principia Theologiæ, quæ ſunt ſupernaturalia) cujuſvis in particulari Scientiæ naturalis: & ex illis poſteà evidentèr metaphyſicè elicere primas proximiores Concluſiones: & poſteà ex his elicere ſimilitèr alias, donec tantus cumulus acquiratur, ut jam aſſurgat ad dignitatem Scientiæ. Pr. In toto hoc proceſſu longo inferendi unas Concluſiones ex aliis non intercedunt niſi cognitiones metaphyſicè evidentes circa prima principia, circa primas, & proximiores Concluſiones,

circa

circa ſecundas, circa tertias &c. ſed hæ cognitiones ſine miraculo poſſunt haberi ab intellectu vivace, ac ſolerte oblito, vel ignaro penitùs illarum regularum.

82. Pr. Quoties A nec identitatem, nec ſpecialem relationem, ſeù habitudinem habet cùm B, poteſt humanus intellectus fungi evidentiâ metaphyſicâ circa A, & omnimodam oblivionem habere, ſeù ignorantiam rei B, quin ullum interveniat in hoc miraculum, ut ſatis conſtat: at natura, & proprietates trianguli v. g. aut numerorum nec identitatem, nec ullam ſpecialem habent relationem (niſi illam generalem, quam habent cęterę omnes res) cum recto modo definiendi, dividendi &c. ergo quin ullũ intercedat miraculum, poteſt humanus intellectus fungi evidentiâ metaphyſicâ circa illa cum omnimoda ignorantia, ſeù oblivione modi recti definiendi &c. ergo cum ignorantia harum regularũ, & multò meliùs ſine habitibus genitis ex eis regulis: ſed hæ regulę ſunt Logica actualis, & habitus geniti ex ipſis, ſunt Logica habitualis: ergo abſq; utrâq; poteſt intellectus vivax elicere omnes Concluſiones ſcientificas cujuſvis Scientiæ naturalis in eo numero, & cumulo, ut jam mereatur dignitatem Scientię: ſed hoc eſt, illam Scientiam v. g. Geometriam, aut Arithmeticam poſſidere perfectè, non quidem perfectione *extrinſeca*, hoc eſt methodicâ, & artificioſâ (quia jam diximus in prima parte hujus Concluſionis hoc fieri non poſſe abſque Logica) ſed perfectè perfectione *intrinſeca*, hoc eſt philoſophica, ſtante in eo, quòd intellectus evidenter metaphiſicè cognoſcat, & penetret omnes Concluſiones illius ſcientię: ergo ſine miraculo poteſt intellectus ignarus, vel oblitus Logicæ poſſidere aliam Scientiam quoad ſtatum perfectum.

83. Levia quinque objiei poſſunt. Primum: Logica eſt Scientia: ſed Logica, nec divinitùs poteſt acquiri ſine ipſa Logica. Hoc diſtinguo, quatenùs non poteſt exiſtere ſine ſe ipſa, concedo; ſed hoc non venit ad rem: non poteſt acquiri ſine ſe ipſa, quatenùs non poſſit exiſtere, quin ipſa præcedat ſibi ipſi, & doceat modum, quo acquiri debeat, implicas in terminis: quia ſicut eſt impoſſibile, quòd res exiſtat ſine ſe ipſa, eſt impoſſibile etiam, quòd res ſibi ipſi præcedat ſecundùm idem. Igitur pars Logicę, quę agit de definitione poteſt acquiri ſine pręcedentibus regulis ſyllogizandi, & viceverſa. Secundũ: in illo eodem proceſſu, quẽ diximus, conſequentiarum, quibus ex primis principiis Geometrię v. g. elicimus primas Concluſiones, & ex his ſecundas &c. logizat intellectus, & Logicam exercet: ergo ſemper intervenit Logica: ergo ſine hac impoſſibile eſt acquirere illam Scientiam. Diſtinguo antecedens,

logizat, & exercet Logicam purè materialiter; concedo: formalitèr, nego: & ſimilitèr explicantur cætera. Conſidera duos audientes Sacrum die Dominica: unum prorſus ignarum, ſeu oblitum præcepti, alterum memorem: ambo ſanè obediunt Eccleſiæ, & faciunt quod illa jubet: ſed primus obedit tantùm materialiter, ſecundus formaliter, unde primus non dirigitur ad illam auditionem per Eccleſiaſticum præceptum; dirigitur tamen ſecundus. Id impræſentiarum: non negamus in illo proceſſu intervenire diſcurſus, illationes, ac conſequentias juxta regulas Logicæ, ſed cùm hæc fieri poſſint ab homine penitus ignaro illarum regularum, optimè verò callente intimam metaphyſicam connexionem unarum veritatum cum aliis, (maximè ſi diſcurſus illi non ſint ſyllogiſtici, ſed mera enthimemata, ubi nullum artificium eſt) idcircò ſubſiſtit illum *non dirigi* per regulas Logicę, & ſolùm materialiter obedire illis: ergo ſubſiſtit Logicam non eſſe ſimplicitèr neceſſariam ad acquirendum alias Scientias perfectè perfectione intrinſeca illorum, tametſi neceſſaria ſit ad acquirendum illas formalitèr formalitate obediendi regulis ipſius: ſicut præceptum non eſt ſimplicitèr neceſſarium ad audiendum perfectè, ac formalitèr Sacrum perfectione, ac formalitate actioni illi intrinſeca, licèt ſit neceſsarium ad formalitatem, ac perfectionem extrinſecam obedientiæ formalis.

84. Tertium. Non poſſidet perfectè Scientiam, qui non poteſt illam defendere ab inſurgentibus ſophimatibus contrariis: ſed ad hoc eſt ſimplicitèr neceſsaria Logica, quia hæc una explicat ubinam lateat fallacia; ergo. Diſt. majorem, non poſſidet perfectè perfectione intrinſeca, & in poſitiva qui non poteſt &c. nego majorem (quia ſicut homo poteſt eſse perfectè Catholicus perfectione intrinſeca Fidei Catholicę, tametſi ſolvere nequeat difficultates omnes inſurgentes contrà Fidem, ut paſſim experimur: itâ poteſt eſse perfectè ſciens perfectione intrinſeca, & poſitiva Scientiæ, licèt ſolvere nequeat fallacias contrarias, quia illa perfectio intrinſeca, & poſitiva ſolùm conſiſtit in metaphyſica evidentia antecedentis, atque connexionis illius cum conſequente) non poſſidet perfectè Scientiam perfectione extrinſeca, & negativa qui non poteſt &c. concedo majorem: & permiſſa minore, quæ ſanè non eſt firma, ſiquidem intellectus poteſt ſua vivacitate ſine regulis Logicæ detegere fallacias contrarias, maximè quæ non pendent ex artificio fallace ſyllogiſmorum, ſed ex aliis principiis malè intellectis; nego conſequentiam.

85. Quartũ. In pręfato proceſsu indiſpenſabiliter occurreret multoties neceſſitas definiendi, dividendi, convertendi propoſitiones, argu-

men-

mentādi &c.ſed hę fieri non poſſunt ſimpliciter ſine Logica. Id negatur quia ſicut ſine Logica præcedente, ac docente inventę ſunt per ſolum lumen naturale regulę univerſales docentes definire, dividere &c. ità ſine his regulis poſſunt fieri per lumen ſolū naturale ipſę, definitiones, diviſiones, converſiones, & argumentationes prȩſertìm enthimemata, quę non habent artificium aliud, quàm evidenter metaphyſicè proponere veritatem antecedentis, & illius infallibilem connexionem cum conſequente: ambæ autem evidentiæ haberi poſſunt ſolo naturali lumine. Quintum. Habere Scientiam eſt habere notitiam per demonſtrationem acquiſitam: ſed ſine Logica nequit haberi demonſtratio, quoniam demonſtrare eſt proprium Logicæ in quarto modo: ergo. Nego minorem, quoniam omnis argumentatio, cujus antecedens eſt metaphyſicè evidens, & ſimiliter connexum cum conſequente eſt demonſtratio philoſophica, & quoad intrinſecam perfectionem demonſtrationis, quidquid ſit de perfectione extrinſeca ſtante in eo, quòd ſacta ſit juxtà regulas artis: ſed ſine Logica poteſt intellectus vivax formare argumentationem illam: ergo. Nego item probationem illius minoris, quippè proprium in quarto modo dicitur illud, quod omni, ſoli, & ſemper convenit rei, ut riſibile convenit homini: at *demonſtrare* quoad intrinſecam, & philoſophicam perfectiònem demonſtrationis non convenit ſoli Logicæ (quandò quidem in cęteris etiam Scientiis fiunt argumentationes metaphyſicè evidentes quoad antecedens, & hujus connexionem metaphyſicam cùm conſequente, ut conſtat) ſed ſolùm eſt proprium Logicę *præbere regulas* ad demonſtrandum artificiosè: ergo.

CAPUT IV.

Quid, & quotuplex ſit objectum in genere.

86. OBjectùm, ſeù materia cujusvis Scientię, aut facultatis eſt illud, de quo tractat, & diſputat illa facultas: ſic objectum, ſeu materia Theologiæ eſt Deus, quia tota illa eſt de Deo, aut de rebus ad Deum ſpectantibus. Objectum, ſeù materia Aſtronomiæ ſunt ſydera, quia horum motus, magnitudinem, diſtantiam diſputat Scientia illa, & ſimilitèr de aliis facultatibus: ubi pro re præſenti, imò pro tota Philoſophia, & Theologia adverte: quando dicimus *objectum materiale, aut formale talis Scientiæ, talis Artis, talis Virtutis, aut Politicæ, aut Moralis, aut Theologicæ eſſe talem aut talem rem*, debes

id intelligere non de ipſa Scientia, Arte, aut Virtute, ut præſefert hæc locutio; ſed de *Artibus propriis* ipſius Scientiæ, Virtutis &c.

87. Quoniam Ars, Scientia, & Virtus acquiſita conſiſtunt in quadam quaſi poſſeſſione, ſeù facilitate, ſeù habitu acquiſito ex crebra repetitione actuum facilitante ad alios actus ejuſdem ſpeciei, ut ſæpè monuimus; atqui hæc facilitas, ſeù habitus non eſt capax tendendi ſtrictè, & propriè in objectum ullum ſive materiale, ſive formale; quia hæ facilitates, ſeù habitus neque ſunt perſonæ rationales, neque cognitiones, aut actus voluntatis, ſed quædam qualitates relictæ ex eis actibus reſpectivè (ſicut odor relinquitur ex liquore) & facilitantes ad eoſdem actus quoad ſpeciem repetendos, ideſt ad alios ſimiles in ſpecie: ergo ſtrictè, ac propriè loquendo ſoli actus Scientiæ, Artis, ſeù Virtutis ſunt capaces habendi objectum materiale, aut formale, non autem ipſæ Scientiæ, Artes, aut Virtutes: invaluit tamen uſus dicendi Scientiam, aut Virtutem habere tale, aut tale objectum materiale, aut formale; ſed eſt locutio figurata, qua tribuimus cauſæ id, quod eſt proprium effectûs, & vice verſa: Habitus enim acquiſitus legendi v. g. eſt effectus unorum actuum legendi, & cauſa facilitans ad actus alios legendi.

88. Idem intellige de Scientiis, Habitibus, ſeù virtutibus infuſis, nempè quæ Deus de repentè ut ſupremus Dominus infigit animabus, quin hæ habuerint uſum, ſeù conſuetudinem eliciendi actus illos v. g. in Baptiſmo infundit Deus puero Habitum, ſeù Virtutem Fidei, Spei, & Charitatis, tametſi ille utpotè adhuc incapax nondum elicuerit actum ullum Virtutum harum. Itaque quanquam hi Habitus, ſeù Virtutes neque acquirantur per crebram priorem repetitionem actuum, neque facilitent ad hos, in quo etiam differunt ab habitibus acquiſitis, nihilominus ſtrictè loquendo non ſunt capaces, ut habeant objectum materiale, aut formale; quia neque ſunt agentia rationalia, neque vitales operationes intellectûs, aut voluntatis, aut allus potentiæ cognoſcitivę, ſed qualitates quædam ſupernè illapſæ, & inhærentes animabus ad fines, quos Theologia docet: itaque quando audieris objectum formale Virtutis Charitatis eſſe bonitatem abſolutam Dei, intellige per locutionem caſtigatam actum ipſum Charitatis, quo diligimus Deum ſuper omnia, *quia bonus eſt*; per locutionem autem largam, & figuratam intellige Habitum ipſum, ſeu Virtutem Charitatis: & ſimiliter quando ſimiles audias locutiones paſſim obvias in tota Philoſophia, & Theologia.

89. Objectum ergo cujuslibet Scientiæ, ideſt actuum proprio-

rum

rum illius Scientiæ eſt duplex: unum purè *materiale*; alterum *formale*. Objectum formale, quod etiam vocatur *ratio formalis, ſub qua*, & *ratio formalis qua*, eſt titulus ille, ſeù motivum, ſeù ratio, ſeù attributum, propter quod proximè, ac immediatè actus proprius Scientiæ, ſeù Virtutis attingit ſuum objectum, quod dicitur materiale, v. g. objectum formale actuum intellectûs, qui ſunt aſſenſus, eſt veritas intrinſeca, & tranſcendentalis ſui objecti, quia ideo proximè, ac formaliter aſſentimur rei, *quia vera eſt*: Objectum formale actuum intellectûs, qui ſunt diſſenſus, eſt falſitas ſui objecti, quia ideo formaliter immediatè diſſentimur rei, *quia eſt falſa*: ſimiliter objectum formale actuum voluntatis, qui ſunt amores, eſt bonitas objecti, quia ideo proximè immediatè amamus rem, *quia eſt bona* aliqua ſpecie bonitatis: objectum formale actuum voluntatis, qui ſunt odium, eſt malitia objecti, quia ideo proximè immediatè averſamur rem aliquam, *quia illa aliquo modo eſt mala*; ſed de hoc infra.

90. Ubi adverte Sex. Unum eſt: objectum formale ſtrictè tale, ideſt proximum, ac immediatum, quandoque diſtingui realiter ab objecto materiali, quandoque non diſtingui: etenim lux, & color ſunt objectum formale corporeæ viſionis, qua intuemur hominem v. g. & ambo diſtinguuntur realiter ab ipſo homine. E converſo bonitas Divina eſt objectum formale amoris, quo ſuper omnia diligimus Deum ipſum: & certè bonitas Divina non diſtinguitur realiter, & forſan neque adhuc formaliter per rationem ab ipſo Deo: ſimiliter tranſcendentalis veritas rei eſt multoties objectum formale actûs, quo aſſentimur illi rei, ita ut agglomeratæ rationes ad ſuadendum illam nihil aliud faciant, quàm pandere, detegere, & aperire latentem veritatem rei illius, quæ ſemel detecta per ſe formaliter trahit nos in ſui aſſenſum, ſicut bonitas trahit nos liberè, aut neceſſariò in ſui amorem: & certè tranſcendentalis veritas, & bonitas non diſtinguuntur realiter ab ipſis rebus; ſtet ergo objectum formale, interdum diſtingui realiter, interdum non diſtingui realiter ab objecto materiali.

91. Secundum eſt. Hoc objectum formale paſſim vocatur *ſpecificativum*; & meritò; quia illud eſt nobis regula ad diſcernendum ſpecies actuum intellectûs, aut voluntatis, virtutum, ac vitiorum, ita ut actus alterutros habentes unum objectum formale diſtinguamus in ſpecie ab actibus habentibus aliud, vel ſaltem ſub alia expreſſione, ſi habuerint idem in ſenſu reali objectum formale: ſic virtutem

mo-

moralem Religionis, v. g. diſtinguimus in ſpecie à virtute Charitatis, quia obiectum formale motivum actuum Religionis v. g. genuflexionis, ſuffitus, Sacrificii &c. eſt *cultus Dei*; volumus namque actiones illas per actum ſolius Religionis, *quia ſunt cultus Dei*: objectum autem formale Charitatis eſt *bonitas Dei*; bonitas autem hæc, & cultus ille ſunt res prorsùs diſtinctæ: ſic etiam virtutem Fidei diſtinguimus in ſpecie à virtute Charitatis, quia licèt authoritas Divina, quæ eſt objectum formale Fidei, ſit prorsùs idem cum Divina bonitate, quæ eſt objectum formale Charitatis; nihilo tamen minus hæc expreſſio, hæc notitia, hoc judicium *Deus impotens falli, aut fallere dixit hoc*, quod judicium regulat fidem, eſt ſpecificè diſtinctum ab hoc altero regulante Charitatem, *quia bonus, & amabilis eſt Deus*.

92. Objectum itaque formale eſt *ſpecificativum*, quatenus eſt plerumque nobis regula, ſeu principium ad diſcernendum ſpecies noſtrorum actuum, vel quia objectum formale unorum eſt notabiliter diverſum ab alterorum, vel quia ſi eſt penitus idem, ſub diverſis tamen expreſſionibus movet ad unos, & ad alteros: ſed cave ne intelligas eſſe ſpecificativum *intrinſecum* actuum noſtrorum: quia hi, ſicut cætera omnia ſpecificantur intrinſecè à ſuamet differentia eſſentiali; non autem à ſuo objecto formali, à quo ſine dubio diſtinguuntur realiter ſimpliciter, ut diſtinguitur à Divina bonitate amor ille, quo diligimus Deum, quia eſt bonus. Poteſt tamen objectum formale dici ſpecificativum intrinſecum non quatenus ſit conſtitutivum eſſentiale actûs; ſed quatenus hic per ſuammet eſſentiam connectitur cum illo, aut ſaltem tendit, pergit, ſeu reſpicit illud, ſive ſit verum, ſive merè apparens, ut contingit, quoties fallimur in noſtris operationibus. Scias tamen objectum formale non eſſe unicum ſpecificativum noſtrorum actuum, nam ſpecificantur etiam à modo, quo reſpiciunt illud, nec non à ſuis principiis, ut diſces in Philoſophia.

93. Tertium eſt. Objectum formale interdum eſt *remotum* v. g. illud, quod proximè immediatè movet ad aliquem actum moventem ad alium, v. g. quando quis ex timore æternæ damnationis elicit actum Fidei, aut Charitatis: tunc enim damnatio æterna eſt motivum, ſeu objectum formale remotum, ſed minùs proprium Fidei, aut Charitatis, quia eſt objectum formale proximum illius timoris, qui timor impellit ad actum Fidei, aut Charitatis, & hoc ſolet etiam vocari objectum formale *extrinſecum*, quod licèt ſit ultimum reſolu-

lutivum actûs, non ſpecificat illum, ut patet in actibus dictis, qui non deſinunt eſſe Fidei, aut Charitatis licèt extrinſecè, remotè reſolvantur in objectum illius timoris, ex quo concipiuntur. Interdum eſt objectum formale *proximum*, quod etiam vocatur *intrinſecum*, & eſt objectum formale proprium, nempè quando non movet ad alium actum priorem, ſed immediatè, ac directè ad illum, de quo eſt ſermo, ſicut veritas tranſcendentalis movet ad aſſenſum, & bonitas Divina ad ſui amorem. Utrumque objectum formale, nempè remotum, ſeù extrinſecum, & proximum, ſeu intrinſecum, & proprium poteſt eſſe vel adæquatum, vel inadæquatum, & partiale; erit adæquatum, & totale, quando ipſum *ſolum* moveat; erit inadæquatum, & partiale, quando non ipſum ſolum, ſed complexum ex ipſo, & alio moveat. Rurſus objectum formale proximum poteſt eſſe intrinſecum *terminativè*, vel extrinſecum: erit terminativè intrinſecum non quando actus ille intellectûs, aut voluntatis, de quo fuerit ſermo, conſtituatur eſſentialiter per illud, (quia hoc nunquam contingit in actibus creaturarum), ſed quando in ſuomet tendendi modo exprimat objectum illud formale v. g. *ſunt æternæ pœnæ, quia Prima Veritas hoc dixit*. Erit objectum formale extrinſecum terminativè, quando actus ille, tametſi formaliter in ſe ipſo exprimat, ſeu non reflectat ſupra illud objectum formale, verumtamen illud præſupponat immediatè, ac proximè ut in hoc Enthimemate: *eſt homo, ergo eſt animal:* hoc ſecundum præſupponit immediatè, ac proximè illud primum.

94. Quartum eſt. Omne objectum formale eſt objectum motivum: id namque eſt character objecti formalis, nimirum quòd ut præcognitum formaliter, vel ęquivalenter per judicium, vel per apprehenſionem moveat, inclinet, impellat interdum non relinquendo libertatem, interdum relinquendo illam, impellat inquam potentiam ad actum, cujus eſt objectum formale. At verò non omne objectum motivum eſt objectum formale: quia nil, quod dumtaxat eſt finis, eſt objectum formale: ſed objectum motivum multoties eſt finis dumtaxat, ut quandò exis domò ut viſites ægrotum, illa viſitatio dumtaxat eſt finis illius exitus: & quando ut obtineas à Principe honores, ac dignitates, facis talia, & talia egregia facinora, honores illi dumtaxat ſunt finis actionum illarum: & quando, ut æternam beatitudinem adipiſcaris, temperas te à peccatis, æterna beatitudo eſt finis illius temperantię &c. ergo objectum motivum multoties non eſt objectum formale ſaltem proximum, & immediatum. Pr. Major.

jor. Nil quod præcisè cauſat, *ut ſit*, hoc eſt quod præcisè movet ad conſecutionem,cauſat *quia eſt*:nam,& ut vides,hi duo ſunt valdè diverſi modi cauſandi; ſed omne, quod dumtaxat eſt finis, præcisè cauſat, *utſit*, movendo ſcilicèt ad ponendum media obtinendi ergo ſui conſecutionẽ:quia hoc eſt eſſe præcisè finem, nempe movere ad ſui conſecutionem per media : omne autem, quod eſt objectum formale, non cauſat, *ut ſit*, ſed *quia eſt* : v. g. bonitas divina non, ut ſit in rebus, ſed quia eſt, movet voluntatem ad ſui amorem: veritas tranſcendentalis, non ut ſit, ſed quia eſt, movet intellectum ad ſui aſſenſum &c. ergo nil, quod dumtaxat eſt finis, eſt objectum formale : unde habes obiter diſtinctionem inter illud,quod movet, ut finis, & illud, quod movet, ut meritum ad præmiandum,nam etiam volitio præmiandi habet pro objecto formali ſpecificativo meritum, ex hoc *quia eſt* ſuo modo cauſat, & movet voluntatem præmiandi.

95. Quintum eſt. Cùm dixerimus omne objectum formale eſſe objectum motivum, oportet non confundere objectum motivum *poſitivè*, & motivum *negativè* : quemadmodum enim ex cauſis phyſicis unæ influunt poſitivè in ſuos effectus, ut ignis in calorem, aliæ influunt purè negativè, & inſtar removentis prohibens, ut vulgò dicitur,quatenus ipſæ non producunt effectum, ſunt tamen neceſſariæ, ut ille producatur; ita ut ſine ipſis non producatur, ut approximatio ignis ad lignum v. g. quæ approximatio non producit calorem, ſine ipſa tamen ignis non producet calorem, & ob hanc cauſam dicitur cauſa negativè caloris, quia removet diſtantiam ignis, quæ diſtantia prohiberet, ſeu impediret productionem caloris : item, ut cognitio objecti, quæ ſanè non producit phyſicè *poſitivè* amorem, ſeu volitionem illius; ſed tantùm negativè, quatenus cognitio hæc removet ignorantiam objecti, quæ ipſius amorem, volitionemque impediret, quia *nil volitum quin præcognitum*, ut verum axioma docet : quemadmodum inquam res ita eveniunt in cauſis phyſicis: ita inter motiva, una movent *poſitivè* ſicut bonitas divina poſitivè movet ad ſui amorem, & tranſcendentalis veritas ad ſui aſſenſum : unde quando dicimus *amo Deum quia bonus eſt. Credo Deo, quia eſt verax*, illud quia utrobique ſumitur in ſenſu poſitivo, & ſignificat objectum formale.

96. Alia movent tantùm *negativè* : id que dupliciter : vel quatenus removent impedimentum motionis, & præparant intellectum, aut voluntatem ut moveatur, ut bona exiſtimatio Petri præparat voluntatem tuam, ut movearis ad ipſi benefaciendum, unde dici poteſt illa bona exiſtimatio movere negativè ad benefaciendum: in quo

etiam

etiam ſenſu dicitur communiter, *Pia affectio juvat ad credendum*, qui enim benè affectus eſt erga alium, faciliùs credit, quæ bona ſunt illius, unde illa pia affectio movet *negativè* ad credendum: vel quatenus retrahit quidem ab aliquo actu noſtro, ſed hoc ipſum retrahere eſt motivum alliciens, & neceſſarium ad illum eundem actum: ſic arduitas, quæ utique neceſſaria eſt in objecto Spei (ſiquidem ſpes non eſt de rebus facilibus, ſed de arduis, ut ſuo loco dicitur) retrahit quidem ab ſpe, ſeu conatu generoſo illius rei; ſed hæc ipſa remora, aut retractio eſt neceſſaria ad ſpem, & quaſi calcaria admovet generoſo animo, ut aggrediatur rem illam difficilem, ſeu arduam: ſic heroicæ actiones hoc ipſo, quòd heroicæ ſint retardant animum, ſed ſimul hoc ipſo incitant animum generoſum, unde movent *negativè*, quatenus ita movent, ut ſimul retrahant, aut ita retrahunt, ut ſimul propellant. Idem contingit in conſcientia retrahente à peccato, quoniam ita ſe habet pro priori ad hoc, ut ab ipſo retrahat; eſt tamen neceſſaria hæc retractio, ut actus ille ſit peccaminoſus, ſi fiat, quoniam ut ſit peccaminoſus, debet fieri *contra conſcientiam prælucentem*.

97. Idem in concluſione obſcura, & in ea, quæ ſit merè probabilis: quoniam obſcuritas ipſa, aut mera probabilitas motivi invitantis ad aſſenſum concluſionis reddit quaſi frigidum intellectum, ne velociter moveatur ad aſſenſum: ſed hæc eadem frigiditas ſeu retractio, quæ conſiſtit in dicta obſcuritate, ſeu mera probabilitate, eſt prorſus neceſſaria, ut aſſenſus concluſionis ſit obſcurus, aut merè probabilis, quia aliàs non foret obſcurus, ſed clarus, non foret merè probabilis, ſed certus. Stat ergo, quòd inter motiva, una movent *poſitivè*, altera *negativè* dumtaxat. Quando itaque dicimus omne objectum formale alicujus actûs intellectûs, aut voluntatis eſſe motivum ejuſdem, loquimur de motivo non *negativè* tantùm, ſed *poſitivè* movente, ut in exemplo bonitatis reſpectu amoris, & veritatis reſpectu aſſenſûs diximus.

98. Deniq; ſicut inter cauſas phyſicas unæ ſufficiunt ad effectum, ſed non requiruntur (ut ignis A, qui ſufficit ad producendum calorem, ſed non requiritur, quandoquidem ignis alius poteſt eum producere) aliæ requiruntur, ſed non ſufficiunt per ſe præcisè, ut ſiccitas v. g. quæ requiritur, ut ignis comburat lignum, ſed non ſufficit, niſi ignis ſit applicatus: unde fit, quòd neque omne, quod requiritur ad aliud, ſufficiat per ſe ad illud, neque omne, quod ſufficit per ſe, requiratur ad illud: ita inter motiva, una ſolent ſufficere per ſe, ſed non requiruntur (v. g. motivum inviſendi amicum ſufficit, ut egre-

diaris domo; ſed non requiritur, nam vulgò dicitur, quòd hunc eundem egreſſum facere poteras ex motivo alio): alia requiruntur, ſed non ſufficiunt per ſe, ut motiva tantùm negativè. Quando ergo dicimus, objectum formale eſſe objectum motivum, loquimur de motivo ſufficiente, ac requiſito ad actum intellectûs, ſeu voluntatis ſumptum ſaltem quoad ſpeciem, ut bonitas Divina movet, ac ſufficit ad amandum Deum, & veritas objecti movet, ac ſufficit ad credendum illud: quòd ſi actus, de quo fuerit ſermo, habuerit duo objecta formalia adæquata, & totalia, ut multi credunt fieri poſſe, philoſophandum eſt ſicut ſuo loco dicemus. Et hactenus de objectis formalibus.

§. II.

99. OBjectum purè materiale, quod etiam ſolet vocari objectum *terminativum*: item *objectum quod*: item *ratio formalis quæ*; eſt illud, in quod tendit, ſeu de quo tractant actus, ſive intellectûs, ſive voluntatis non propter ipſum, ſed propter aliud: & quanquam hi actus habeant etiam per ſuam eſſentiam tendere in objectum, in quod tendunt, & hac de cauſa dici poterat, quòd etiam objectum materiale eſt ſpecificativum actûs; verumtamen caſtigatè loquendo non eſt; tùm quia actus ſpecie diſtincti, quales ſunt Fidei, Spei, ac Charitatis poſſunt tendere in idem objectum materiale, nempe in eundem Deum; ergo non ſemper ſpecificantur actus ab objecto materiali ſpecificativè ſumpto: tum quia objectum hoc ſolet latiùs patere; objectum verò formale eſt magis contractum, ac determinatum: ergo magis idoneum, ut ab ipſo ſpecificetur actus, quàm ab objecto materiali. Porrò loquimur de objecto *purè materiali*, quia noſtri actus multoties tendunt etiam expreſsè in ſuum objectum formale, quod ideò poteſt dici eſſe quoque objectum materiale; ſed non *purè materiale*.

100. Hoc eſt duplex, unum *remotum*, alterum *proximum*: objectum materiale proximum eſt illud, de quo immediatè, ac directè tractat aliqua Scientia, ut tractat Logica de actibus intellectûs, & Prudentia de actibus voluntatis: objectum materiale remotum eſt illud, quod eſt objectum illius, de quo immediatè tractat ars, ſeu ſcientia, ut ſunt actiones exteriores, quas volumus, aut nolumus, de quibus volitionibus, aut nolitionibus immediatè tractat Prudentia, ut eſt virtus tranſcendentalis: item res omnes, quas poſſumus definire, &

ſuper

ſuper quibus poſſumus argumentari (quæ res vocantur *conceptus objectivi*) quia illæ ſunt objectum definitionis, argumentationis &c., de quibus immediatè tractat Logica. Rurſus objectum materiale proximum eſt duplex: unum adæquatum, videlicèt complexum, acervus, ſeu aggregatum ex omnibus illis, de quibus immediatè tractat ars: inadęquatum eſt unum quodque ex his: unde ſicut non poteſt dici verè, & propriè *Homo eſt corpus*. *Homo eſt anima*: quia homo eſt complexum ex corpore, & anima ſimul: ita non poteſt dici verè, ac propriè: *Logica eſt doctrina definiendi*: *Logica eſt doctrina ſyllogizandi*: quia Logica eſt complexum ex omnibus eis doctrinis ſimul: omnibus inquam habitualiter ſumptis, ideſt complexum ex omnibus eis habitibus, & facultatibus ſimul exiſtentibus in eodem intellectu: actus enim ipſi Logicæ rarò, vel nunquam exiſtunt ſimul in eodem intellectu, quia ſunt tranſeuntes, & quando unus intellectus concipit unum actum, ſuperſedit alio: habet namque virtutem cognoſcitivam valde limitatam, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus* juxtà verum proloquium, quod non procedit de ſolo ſenſu externo, ſed etiam cum proportione de intellectu ipſo, qui etiam eſt valde limitatus.

101. Objectum inadæquatum eſt duplex: unum vocatur *attributionis*, ſeu *primarium*, ſeu *finis* ipſius facultatis, & eſt illud, quod ita tractat, explicat, diſputat illa facultas, ut reliqua omnia, de quibus tractat, ordinentur ad illud; illud autem non ordinetur ad aliud per actus illius facultatis: alterum vocatur objectum *attributum*, & eſt quodcumque aliud, de quo tractat illa facultas, ſive ſit unum ſolum, ſive duo, ſive complexum ex omnibus diſtinctis ab objecto attributionis.

102. Sed hic cave æquivocationes, quæ oriri poſſunt ex frequentiſſimis modis loquendi hac ſuper re. Cùm Logica, & idem de omnibus aliis Scientiis, Artibus, ſeu Virtutibus, non ſit capax *operandi propter finem*, ſiquidem non eſt perſona: item cùm unæ partes ipſius non ſint *ex natura ſua* poſitivè ordinatæ, aut deſtinatæ ad alias, ſicut materia eſt ordinata ad formam, ſicut ignis naturâ ſuâ eſt calidus, aut nix naturâ ſuâ eſt frigida: quandoquidem doctrina, ſeu regulæ definiendi v. g. poſſunt ſubſiſtere in intellectu abſque ulla violentia ſine doctrina, ſeu regulis demonſtrandi, item ſine definitione ipſa, & ſine demonſtratione: cùm inquam hæc ita ſint, quando audias Logicam ordinare, ſeu dirigere cœtera omnia, de quibus agit, ad tale, vel tale objectum attributionis, v. g. ad demonſtrationem, hæc duo, & non aliud intelligere debes: unum eſt, hominem ipſum logicum,

Digitized by Google

non verò Logicam ipſam tractare cœtera illa omnia jam docendo, jam diſcendo, jam diſputando illa eo fine, atque intentione, ut habeatur plena doctrina, & ſcientia demonſtrationis, quia Logicus, non verò, Logica capax eſt operandi propter finem: alterum eſt, unas partes Logicæ, licèt ex natura ſua non ſint deſtinatæ ad demonſtrationem v. g., ex natura ſua eſſe idoneas, ſeu eſſe utiles, ſeu eſſe etiam neceſſarias ad demonſtrationem. Unde ordinatio, ſeu directio ad objectum attributionis ſumpta radicaliter, ac in actu primo eſt intrinſeca, & eſſentialis partibus Logicæ; ſumpta verò actualiter, ac in actu ſecundo eſt extrinſeca, & proveniens à voluntate Logicorum ordinantium illas ad demonſtrationem: ſicut ſaxa, trabes, lateres ſunt quidem ex ſua natura capacia, ut ordinentur ab artifice ad domum conſtruendam; quòd autem hic, & nunc ordinentur, non eſt ipſis eſſentiale, ſed quid extrinſecum à voluntate artificis proveniens.

103. Ex dictis toto hoc capite habes 1. generalẽ explicationẽ objecti materialis, & objecti formalis, quæ duo frequenter occurrunt in tota Philoſophia, & Theologia, & ex quorum prava intelligentia pravę ęquivocationes naſcuntur. Habes 2. Objectum formale non benè explicari, dicendo eſſe illud, *quia*, quo reſpondemus interroganti *cur*. Etenim interroganti cur hoc agis, cur hoc vis, cur hoc credis, multoties reſpondemus per *quia* ſignificans cauſam efficientem phyſicam, *Video, quia oculos habeo apertos, & cum omnibus diſpoſitionibus ad videndum*: multoties per *quia* ſignificans cauſam moralem efficacem, *feci hoc, quia juſſus fui*: multoties per *quia* ſignificans cauſam finalem, *fugio peccata, quia tendo in Cœleſtem Patriam*: multoties per *quia* ſignificans meram applicationem phyſicam, vel intentionalem, *Amo hunc, quia cognoſco eſſe bonum*: multoties per quia ſignificans rationem ex ſe retrahentem ab illa actione, *Volo talem rem hoc ipſo, quia ardua, & periculoſa eſt*. Atqui nullum ex his eſt objectum formale; ergo multoties illud *quia*, per quod reſpondemus, non ſignificat objectum formale: ergo hoc non benè explicatur dicendo eſſe illud, quo reſpondemus interroganti *cur*.

104. Eſt ergo objectum formale actûs, propriè, ac preſsè loquendo, titulus ille, ſeu ratio formalis, intrinſeca, vel extrinſeca objecto materiali ipſum directè, ac immediatè conſtituens capax, vel dignum illius actûs in particulari, & in ea ſpecie; & quando illi *cur* reſpondemus per *quia* id ſignificans, tunc reſpondemus per objectum formale noſtri actus. Dicitur *intrinſeca*, vel *extrinſeca*, quia objectum formale interdum diſtinguitur realiter, interdum non diſtin-

guitur

guitur ab objecto materiali, ut diximus num. 5. Imò aliquando ita eſt extrinſecum objecto materiali, ut neque per receptionem, aut unionem phyſicam ſit in ipſo, ut non eſt in pœnis Inferni complexum ex Authoritate, & Verbo Dei teſtificantis illas, & propter quod tanquam propter objectum formale credimus Fide Divina illas pœnas. Dicitur, *ipſum directè, ac immediatè*, ad excludendum titulos alios, ſeù rationes generales, quæ ſolent movere ad talem, vel talem actum non immediatè, ac in particulari, ſed in communi. Dicitur *capax*, vel *dignum*, quia lux, & color ſunt objectum formale viſionis corporeæ, & aliud præſtare non ſolent, quàm conſtituere parietem, v. g. cui offunduntur, capacem ut videatur oculis corporeis.

105. Sed exemplo faciliùs capientur hæc. Rogaris cur credis Incarnationem Verbi? Si reſpondeas, *quia volo*, ut reſpondere potes, quandoquidem liberè, ac voluntariè credis, non reſpondes per objectum formale Fidei, ſed per principium morale ſubjectivum, qualis eſt volitio reſpectu aliarum humanarum actionum. Si reſpondeas, *quia Deus opitulatur mihi ad credendum*: non reſpondes per objectum formale Fidei, ſed per rem indiſpenſabiliter neceſſariam ad credendum, quia ſine ſpeciali auxilio Dei non poſſumus credere, prout oportet, ut docet Eccleſia. Si reſpondeas, *quia jubemur omnes id credere*, non reſpondes per objectum formale Fidei; ſed per aliud principium morale, ſeu motivum credendi, nam certè præceptum Divinum eſt optimum motivum credendi, quod præcipit Deus. Si reſpondeas, *quia aliter damnabor*, non reſpondes per objectum formale Fidei, ſed timoris. Si reſpondeas, *quia placet Deo, quòd id credam*, reſpondes per objectum Charitatis. Si reſpondeas, *quia verum eſt intrinſecè Verbum incarnaſſe*, non reſpondes per objectum formale illius Fidei, prout eſt talis ſpecificus aſſenſus Fidei Divinæ, ſed prout eſt aſſenſus in genere, cujus objectum formale eſt veritas tranſcendentalis ſui objecti materialis.

Trid. Seſ. 6. Can. 1.

106. Si reſpondeas, *quia honeſtum, & meritorium eſt credere hoc*, non reſpondes per objectum formale Fidei: nam cùm illa honeſtas, & meritum ſint tituli, & rationes valdè univerſales, non poſſumus ex illis deprehendere particularem ſpeciem Virtutis, ad quam ſpectat ille aſſenſus: ergo non ſunt ſpecificativum illius. Si reſpondeas, *quia tot, ac tanta ſunt argumenta perſuadentia Incarnationem, ut non niſi temerè poſſimus de illa dubitare*, non reſpondebis per objectum Fidei, ſed per ipſius externam applicationem,

1. ad Corinth. cap. 3. ideſt per extrinſecum miniſterium præparans animum ad credendum. Quemadmodum enim, *neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*; veruntamen juxta ordinariam providentiam Deus non dat intrinſecum incrementum frugibus, niſi præcedat intrinſecum miniſterium, ideſt præparatio, ac diſpoſitio plantandi, & rigandi: Ita quamvis ſolus Deus in Schola Pſal. 93. interiore cordis *erudiat hominem*, *ac de Lege ſua doceat eum*; veruntamen juxta providentiam ordinariam hoc non facit, niſi præcedente extrinſeco miniſterio, quod per argumenta, quæ dicuntur credibilitatis, præparet, ac diſponat animum, ut interiorem vocem Dei ſuſcipiat, atque percipiat. Ergo reſpondere per hæc argumenta extrinſeca non eſt reſpondere per objectum formale Fidei, ſed per ipſius externam applicationem, quia *Fides ex auditu*.

107. Denique ſi reſpondeas, *quia Deus prima veritas impotens fallere, aut falli hoc dixit*, tunc reſpondebis per objectum formale Fidei; quia ſicut Divina Bonitas abſolutum eſt objectum formale Charitatis, ipſam ſpecificans, ideſt ipſam apud nos diſtinguens ab omnibus aliis Virtutibus; ita infinita authoritas Dei aliquid aſſerentis, aut negantis eſt objectum formale Fidei Catholicæ, ipſam ſpecificans quaſi teſſera, vel character, quo hanc Fidem diſcernimus ab omnibus aliis Virtutibus. Ex his ergo, in quibus magis notum, & certum eſt objectum formale, debemus ſumere regulam ad ſtabiliendum quidnam, & quodnam ſit objectum formale quorumlibet aliorum actuum intellectûs, ac voluntatis, ſive naturalium, ſive ſupernaturalium, ſive bonorum, ſive malorum, ſive indifferentium in ſua ſpecie, quales ſunt actus Logicæ, & aliarum Artium. Habes 3. Ut aliquid ſit objectum formale alicujus actûs, ſive intellectûs, ſive voluntatis, ſive boni, ſive mali &c; non eſt neceſſarium, quòd ſit intrinſecum ipſi actui; *quatenus per ipſum tangatur*, *ſeu exprimatur*: nam objectum materiale præmiſſarum ſine dubio eſt objectum formale Concluſionis, ut ex præmiſſis illatæ. Atqui hæc Concluſio non ſemper exprimit objectum præmiſſarum, quia non ſemper reflectit ſupra illud explicitè, ac formaliter, ut dicemus in Lib. de Anima: v. g. hic diſcurſus eſt formalis, *exiſtit unio*: *ergo exiſtunt extrema*, tametſi hæc Concluſio non reflectat ſupra ſuum antecedens, & ſic concipiatur, *ergo exiſtunt extrema*, *quia exiſtit unio*; ergo. Itaque ut aliquid ſit objectum formale proximum alicujus actus, ſufficit unum de duobus: vel quòd actus ille exprimat cauſaliter tale objectum formale expreſſè reflectendo ſupra illud, ut

in

in exemplo nupero: vel quòd producatur talis actus intellectus, aut voluntatis per actionem eſſentialiter præſupponentem notitiam illius non repellendo illius motionem, ut aliquando contingere poteſt, ut ſi diceres: *Volo tibi dare hoc non propter tuas preces*, (ecce repulſam motionem præcognitarum precum), *ſed propter aliud motivum*. His præmiſſis faciliùs explicabuntur præſentes difficultates.

CAPUT V.

Quodnam ſit, & quodnam non ſit Objectum materiale, & formale Logicæ.

108. SUppoſito hîc non eſſe ſermonem de Logica habituali: quia hæc, ut ſupra diximus, non eſt actus intellectûs, ſed qualitas quædam relicta ex frequente repetitione actuum, unde preſsè loquendo non eſt capax habendi in ſe, & quoad ſe objectum materiale, aut formale, attributum, vel attributionis; ſed Sermonem eſſe de Logica actuali, cujus proprietates per figuratam locutionem tribui ſolent Logicæ habituali: ſuppoſito item Sermonem non eſſe de Logica reflexa, quales ſunt hæ quæſtiones, quæ proemiales dicuntur, quia certè objectum ipſarum eſt Logica ipſa directa, cujusnatura, & proprietates hîc diſputantur; ſed eſſe Sermonem in hac quæſtione de Logica ipſa directa, ideſt de complexo reſultante ex omnibus regulis, ac principiis Dialecticæ: his inquam ſuppoſitis, ſit Concluſio: Objectum materiale *remotum* utriuſque Logicæ, ideſt Minoris, atque Majoris ſunt omnia, quæ concipi poſſunt ab intellectu; objectum autem materiale *proximum* Logicæ Minoris, hoc eſt Dialecticæ, ſunt ſoli conceptus formales, non autem voces, aut conceptus objectivi. Logicæ verò Majoris objectum materiale *proximum* ſunt etiam multi conceptus objectivi.

109. Prob. primam partem. Omne, quod eſt objectum illius, quod eſt objectum materiale proximum Logicæ, eſt objectum materiale remotum ipſius, ut diximus cap. antecedente: ſed omnia, quæ concipi poſſunt ab intellectu, ſunt (ideſt poſſunt eſſe, *quia verba in definitione, atque propoſitionibus neceſſariæ veritatis non dicunt actum, ſed potentiam*), ſunt objectum illius, quod eſt objectum ma-

materiale proximum utriuſque Logicæ. Prob. ſi loquamur de Minore, objectum materiale proximum ipſius ſunt definitiones, diviſiones, argumentationes, nec non oppoſitiones, converſiones, æquipollentiæque propoſitionum; ſed omnia, quæ poſſunt concipi ab intellectu, poſſunt eſſe, aut objectum, quod definiatur, aut quod dividatur, aut res, ſuper qua argumentemur, aut res, circa quam formemus converſiones, oppoſitioneſque propoſitionum &c.; ergo omnia, quæ poſſunt concipi ab intellectu, ſunt, vel poſſunt eſſe objectum illius, vel illorum, quæ ſunt obiectum materiale proximum Dialecticæ.

110. Si loquamur de Logica Majore, hæc agit proximè immediatè de cognitionbius facientibus univerſale, facientibus genus, facientibus ſpeciem &c. Sed omnia, quæ cognoſci poſſunt ab intellectu, poſſunt eſſe objectum alicujus cognitionis facientis univerſale, quod vel ſit genus, vel ſpecies &c. Quia nihil eſt cognoſcibile ab intellectu, nec Deus ipſe, ut ſuo loco dicemus, quod ſub aliqua cognitione non poſſit univocari cum aliis, ita ut illa cognitio verè faciat univerſale, & conſequenter habeat pro objecto rem illam: ergo ſive loquamur de Logica Minore, ſive de Majore, omnia penitus ſunt objectum materiale ambarum, licèt æquivocè, & relatè ad diverſas cognitiones.

111. Prob. Secunda Pars, ideſt objectum materiale proximum Logicœ minoris eſſe ſolos conceptus formales, ideſt ſolas cognitiones, ſive actus intellectuales, non autem voces, aut *conceptus objectivos*, ideſt res ipſas diſtinctas à cognitionibus, puta hominem, arborem &c. Objectum materiale proximum cujuslibet actus, & conſequenter cujuslibet facultatis coalitæ ex multis actibus eſt illud, de quo immediatè, directè, atque explicitè tractat ille actus. Atqui omnes actus Logicæ minoris, ideſt omnes ſuæ regulæ, ſeù præcepta tractant immediatè, directè, atque explicitè de ſolis conceptibus formalibus ideſt de ſolis cognitionibus, non autem de vocibus, (quia licet hæ, vel ſcripta, vel alia ſigna externa requirantur, ut Logica tradatur, & diſcatur modo humano: ſicut etiam ad Philoſophiam, & Theologiam requiruntur, eſt tamen proprium aliûs facultatis inferioris, ſcilicèt Grammaticæ, agere de illis), nec de conceptibus objectiuis. Prob. Proferantur in medium omnes regulæ, ſeù actus Dialecticæ; & deprehendetur omnes illos tractare directè, ac explicitè vel de ſola definitione (ſub terminis utique univerſalibus complectentibus omnes, & ſingulas definitiones; non ſub terminis

ſin-

Digitized by Google

ſingularibus uniuſcujuſque definitionis, quia *Scientiæ non ſunt de ſingularibus, ſed de univerſalibus*, ut ſupra explicavimus), vel de ſola diviſione, vel de ſola argumentatione, vel de ſola converſione, vel de ſola oppoſitione, vel de ſola æquipollentia propoſitionum &c. Sed omnia iſta ſunt conceptus formales, ſeu cognitiones, ut conſtat, quia licèt etiam omnia iſta ſoleant fieri verbis, atque ſcripturis, hoc eſt per accidens, ut nos homines reciprocè intelligamus; ſed primam ſuam originem trahunt ex internis cognitionibus, quas iſtis ſignis externis manifeſtamus, & quas ſolas immediatè, ac directè docent regulæ Logicæ: ergo.

112. Explicatur. Eſto homini ignaro loquendi, & ſcribendi infundere Deum totam Logicam actualem, & habitualem: iſte ſanè haberet Logicam, & mente poſſet illam exercere: ſicut etiam poſſunt exercere Angeli, qui utpotè non habentes organa ad locutiones, & ſcriptiones ſimiles noſtris, non poſſunt loqui, aut ſcribere ſicut nos. At homo ille nec haberet verba, aut ſcripta ſimilia noſtris, nec ullam ſcientiam illorum, ut ponimus: ergo ſine Scientia verborum poteſt ſubſiſtere tota Logica actualis, & habitualis: ergo illa non ſunt objectum materiale proximum, ſed tantùm remotum Dialecticæ, ſicut cætera omnia.

113. Hinc 1. Tota Logica minor eſt Ars, ſeù Scientia *reflexa*: quia cùm tota conſtet regulis, quæ ſanè ſunt actus intellectûs, habet pro objecto definitiones, diviſiones &c. quæ etiam ſunt actus intellectûs: ergo in Logica contingit, quòd uni actus intellectus cadant, ſeu reflectant ſupra alios; unde naſcitur, quòd quandò inter diſputandum alludit aliquis ad talem, vel talem cognitionem noſtram, dicitur loqui in ſenſu logico, ideſt reflexo, non verò in ſenſu phyſico, & directo; ideſt non loqui de rebus prout ſunt in ſe ipſis coram Deo, ſed prout à nobis malè, obſcurè, & inadęquatè cognoſcuntur.

114. Hinc 2. Quanquam una ex regulis Logicæ ſit definitum converti cum definitione, quod non convenit conceptibus formalibus, quandoquidem hi realiter diſtinguuntur invicem; ſed objectivis: unde videtur inferri, Logicam minorem agere directè, ac explicitè de conceptibus objectivis etiam: nihilominus iſta regula in iſto ſenſu non eſt actus proprius Logicæ, ſed corollarium, ſeu conſequentia ex regula propria Logicæ, quæ hunc ſenſum reddit: ex conceptu formali, qui eſt definitum, arguitur ad conceptum formalem, qui eſt definitio, & è converſo: & in hoc ſenſu ambo con-

ceptus formales valent ad convertentiam, non quatenus unus identificetur cum altero; ſed quatenus ex uno reciprocè arguatur ad alterum, ut ex hujus conceptus formalis veritate,à qua præſcindit Logica, *eſt homo*, arguitur veritas hujus alterius, à qua præſcindit etiam Logica: *ergo eſt animal rationale*, & vice verſa; unde conceptus ipſi formales mutuò etiã convertuntur in hoc ſenſu. Ex hac autem reflexa, convertentia inter conceptus ipſos formales ſequitur, ut corollarium, convertentia ipſa directa inter conceptus objectivos, de qua agunt Logici occaſione illius, quę propriè ad Logicam ſpectat, cùm hæc ſecunda ad Animaſticam ſpectet, cujus eſt probare veritatem cognitionum conſtitui per conceptus ipſos objectivos.

115. Hinc. 3. Verum eſt, quòd purus Grammaticus nec poteſt conſtituere ſyllogiſmum vocalem, nec examinare ſit nec nè benè conſtructus, nec combinare, ac diſponere terminos propoſitionum, ut ex his fiant definitiones, argumentationes &c. ſed hoc non probat Logicam tractare hæc immediatè, ac directè: aliàs etiam deberet tractare modum ſcribendi, quia merus ſcriba non poteſt rectè fabricare ſyllogiſmum ſcriptum, aut examinare ſit nec nè bonus; Itaque cùm ſyllogiſmus vocalis, & ſcriptus ut ſit bonus non quidem bonitate materiali vocum, aut characterum, ſed bonitate formali artificioſi diſcurſus, debeat eſſe conſonus ſyllogiſmo mentali, in cujus locum ſufficitur, & ille ſyllogiſmus neque ſpectet ad artem loquendi, neque ad artem ſcribendi, ſed ad ſolam Logicam: hac de cauſa neque merus Grammaticus, neque merus Scriba poſſunt illa facere; eſt ergo Logica neceſſaria ad faciendum illa non immediatè, ac directè, ſed tanquam conditio ſine qua non. Quòd ſi loquaris de Logica, *prout eſt inter homines*, ideſt prout diſcitur ab unis, & traditur ab aliis hominibus, hæc poteſt dici habere pro objecto materiali proximo voces, & ſcripta, quia non niſi mediantibus alteru tris diſcitur, & traditur ab hominibus, ſicut etiam Philoſophia, Theologia, & cœteræ omnes ſcientiæ humanæ.

116. Hinc 4. Sicut actiones exteriores dicuntur ſpectare mediatè, ac indirectè ad Prudentiam eo, quia prſupponunt interiores actus animæ, qui ſoli immediatè, ac directè ſpectant ad Prudentiam: ita dici poteſt voces quodammodo ſpectare ad Logicam, nec non ſcripta, ſed *mediatè, ac indirectè*: quatenus præſupponunt conceptus formales, qui ſunt definitiones, argumentationes &c. qui ſoli immediatè, ac directè ſpectant ad Logicam. Et in hoc ſenſu intelligi poteſt S. Tho. aliquando dicens, voces eſſe objectum materiale Logicæ:

cæ:

cæ: nempè mediatum, atque indirectum, & quaſi corollarium illius, quod eſt objectum proximum, & immediatum Logicæ, cum qua majorem affinitatem habent voces, quàm reliqui comceptus objectivi, quia illæ, ſecus hi ſupponunt per ſe loquendo cognitiones, hoc eſt conceptus formales, de quibus immediatè, ac directè tractat Logica.

117. Prob. Jam ultima Pars concluſionis ſcriptæ num. 108. videlicèt multos conceptus objectivos eſſe objectum materiale proximum Logicæ majoris. Omnis facultas, quæ tractet immediatè, ac directè decem prædicamenta, ſeù cathegorias, ad quas rediguntur omnia poſſibilia, tractat immediatè, ac directè conceptus objectivos, & conſequentèr hi ſunt objectum materiale proximum illius: ſed Logica immediatè, ac directè tractat ea prædicamenta, ſeù cathegorias rerum, illas explicando, atque dividendo; quoniam certè hoc fit ab aliqua facultate, & non à Phyſica, ſeu Metaphyſica, ſeu alia niſi à Logica majore: ergo. Major eſt certa, nam illæ cathegoriæ, ſeu prædicamenta tota ſunt referta conceptibus objectivis, ideſt rebus diſtinctis à noſtris cognitionibus v. g. hæc arbor prædicamentalis, quæ tota ad Logicam ſpectat; *Ens reale* aliud eſt à ſe (ut ſolus Deus) aliud eſt ab alio (ut creatura) *Ens ab alio* aliud eſt ſubſtantia, (quæ definitur *Ens per ſe*), aliud eſt accidens), quod definitur *Ens in alio*). *Subſtantia alia* eſt corporea, alia ſpiritualis, (quarum definitiones ſuo loco dabimus). *Subſtantia corporea* alia eſt vivens, ut homo, alia non vivens: ut ſaxum. *Vivens* alia eſt ſenſitiva, ut animal; alia non ſenſitiva, ſed purè negativa, ut arbor. *Senſitiva*, ideſt animal aliud eſt rationale, aliud irrationale. *Rationale* aliud eſt Petrus, aliud eſt Joannes &c. En deſcenſum, ſive arborem prædicamentalem ad Logicam majorem ſpectantem, quamvis definitiones horum terminorum ſpectent ad alias facultates; conſtructio tamen, diviſio, & combinatio ſpectat immediatè, ac directè ad Logicam, ſicut & reliqua prædicamenta: ſpectat, inquam, non quoad omnia attributa, & reales proprietates horum omnium, ſed quoad hanc ſolam dictam coordinationem: ſed iſta omnia, & ipſorum realis objectiva coordinatio ſunt conceptus objectivi, ſiquidem ſunt penitus diſtincta à noſtris cognitionibus: ergo.

118. 2. Logica major immediatè, ac directè tractat de univerſalibus in genere: item de univerſalibus in particulari, docendo illa eſſe prædicabilia in ſenſu reali, & vero de multis: item de his univerſalibus primò intentionaliter ſumptis explicando quid ſint, & quid

quid non ſint, ut poſtea videbis in ſuo loco: ſed hæc omnia quamvis ſubſtent conceptibus formalibus, ſive cognitionibus, attamen non ſunt meri, & præciſi conceptus formales, ſed etiam ſunt ipſi conceptus objectivi, hoc eſt ipſæ naturæ, ſeu prædicata, quæ verè enunciantur de multis: & maximè quando ſermo eſt de illis primò intentionaliter ſumptis ſecundùm ea, quæ habent independenter à noſtris cognitionibus, tametſi nequeamus de illis loqui independenter à noſtris cognitionibus, ſicut nec independenter à noſtris verbis. Videtur igitur fatendum, Logicam majorem tractare immediatè, ac directè conceptus objectivos, licèt non ſecundùm omnem eorundem inſpectionem, (ſiquidem nec Theologia, nec aliæ facultates, quæ ſine dubio ſunt de conceptibus objectivis, tractant illos ſecundùm omnem prorsùs inſpectionem,) ſed ſecundùm aliquam; nempè ſecundùm jam dictam: & licèt non tractet illos, ut penitùs ſeparatos à conceptibus formalibus, quod tamen eſſe falſum conſtat ex tractatu de Prædicamentis, ubi per conceptus formales, ac voces, nec non dependenter ab utriſque tractat de omnium rerum coordinatione, ut independente à conceptibus formalibus, & vocibus: ſicut per conceptus formales, & voces tractat Theologia de Deo, ut independente ab utriſque.

§. II.

119. Secunda Concluſio. Objectum formale Logicæ non eſt Ens rationis objectivum: ſed multorum actuum Logicæ: objectum formale eſt ſola ipſa veritas tranſcendentalis inſtrumentorum ſciendi (puta definitionem, diviſionem, argumentationem, converſionem &c.) Aliorum autem, veritas earum præmiſſarum, ex quibus evidenter eliciuntur hi alii actus proprii Logicæ. Ut capias primam partem concluſionis, adverte duo; unum eſt, Ens rationis ſolere eſſe duplex, nempè *effectivum*, & *objectivum*: Ens rationis effectivum eſt illud, quod efficitur ab intellectu, qui paſſim vocatur ratio, ſeu mens; cùmque omnes cognitiones efficiantur ab intellectu, ideo omnes cognitiones ſunt ens rationis effectivum: & in hoc ſenſu non negamus, ſed potiùs aſſeveramus Ens rationis eſſe objectum formale multorum ſaltem actuum Logicæ: & in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Thomas in textibus objici ſolitis, probandi ergo Ens rationis eſſe objectum formale Logicæ: concedendum eſt de Ente rationis effectivo, & negandum de obje-

objectivo, quod dumtaxat diſputamus modò. Hoc Ens rationis objectivum definitur ſic: *quod tantùm habet eſſe objectivè in intellectu*, ideſt quod neque exiſtit in rebus, nec exiſtere poteſt, quod eſt chimæra, quod eſt impoſſibile, quod eſt mera deluſio intellectus noſtri: unde dici ſolet impendere tempus entibus rationis, qui chimæras, & impoſſibilia cogitat, & mentem his illuſionibus paſtam habet.

120. Alterum eſt multos graves Doctores opinari omnem denominationem extrinſecam conſtitui per ens rationis. Denominatio extrinſeca dicitur illa, quæ provenit à forma nec identificata realiter, nec unita phyſicè cum ſubjecto, ſed penitus extra hoc exiſtente v.g. *rem eſſe viſam, eſſe cognitam, eſſe amatam &c*: quia rem eſſe viſam provenit immediatè, ac directè à viſione tanquam à forma; hæc autem viſio non eſt identificata, ac unita cum pariete v.g. viſo, ſed eſt in ſubjecto vidente: ſimiliter rem eſſe cognitam provenit à cognitione, quæ non eſt in objecto cognito, ſed in perſona cognoſcente: ſimiliter rem eſſe amatam provenit ab amore, qui non eſt in amato, ſed in amante, utpotè actus vitalis hujus: hæ atque ſimiles vocantur denominationes extrinſecæ. Non ita rem eſſe calidam, aut frigidam, quia hæc proveniunt reſpectivè à calore, & frigore, quæ ſunt qualitates phyſicè unitæ ſubjecto calido, aut frigido.

121. Ajunt ergo Authores illi omnem denominationem extrinſecam imbibere ens rationis, quia putant omnes nos, ſive velimus, ſive nolimus apprehendere formam illam extrinſecam *ut intrinſecam illis ſubjectis*: vel ſaltem apprehendere ex illa forma extrinſeca naſci, ſeu derivari aliquid inhærens illis ſubjectis: cùmque ambo ſint impoſſibilia, & mera ludibria mentis noſtræ, ecce jam putant ſe habere in omni denominatione extrinſeca aliquod ens rationis: ex hoc autem principio generali conſentaneas deducunt conſequentias ſparſas per Theologiam, Philoſophiam, v.g. dicunt Sacramenta conſtitui, ac ſignificare gratiam per ens rationis: quia cum aqua, & Verba Baptiſmi non habeant per ſe ab intrinſeco dare gratiam hominibus, ſed dumtaxat ex Divina inſtitutione: & hæc inſtitutio, ſeu lex, ſeu volitio, ſeu Decretum, ſeu Voluntas Divina nec identificetur realiter, nec phyſicè uniatur cum illa aqua, & Verbis, jam habetur eſſe extrinſecam illam denominationem Sacramenti: & conſequenter apud ipſos habetur illa in ſuis viſceribus importare aliquod ens rationis: ſimiliter philoſophantur paſſim.

122. Et ſimiliter in re præſenti: definitionem, diviſionem &c. eſſe

eſſe factas juxta regulas Logicæ, eſt una ex denominationibus extrinſecis, quia regulæ definiendi v. g. neque identificantur, nec phyſicè uniuntur cum ipſis definitionibus, ut conſtat: ergo definitionem eſſe juxta regulas dictæ Logicę minoris jam includit aliquod ens rationis: hoc ajunt eſſe objectum formale ipſius Dialecticæ, ſeu Logicæ minoris. Sed eſt falſum propter duas rationes, ex quarum unaquaque naſcuntur aliæ.

123. 1. Falſum eſt omnem denominationem extrinſecam imbibere intra ſe ens rationis: ſeu conſtitui per ens rationis: tum quia omne, quod in ſuis viſceribus imbibit chimæram, eſt chimæra, & eſt impoſſibile: imbibet namq; duo contradictoria ſimul: ſed omne intrinſecè conſtitutum per ens rationis objectivum imbibit in ſuis viſceribus chimæram: ens quippe rationis objectivum utpotè exiſtens tantùm in intellectu, ideſt nec exiſtens, nec exiſtere potens à parte rei, eſt chimæra, & merum ludibrium mentis: ergo omne intrinſecè conſtitutū per ens rationis eſt chimæra: ergo ſi omnis denominatio extrinſeca cõſtituitur per ens rationis omnis illa erit chimęrica; ergo chimęra eſt, rem aliquam eſſe viſam, eſſe cognitam, eſſe amatam &c: imò cùm Deum eſſe creditum à nobis, & eſſe amatum per charitatem, ſint denominationes extrinſecæ, quia certè noſtra Fides, & amor neque identificantur, neque uniuntur phyſicè cum Deo, ſequetur eſſe rem prorſus chimæricam, phantaſticam, & mentis illuſionem, quòd Deus ſit creditus, aut amatus à creaturis: quod abſit.

124. Si propterea dicas denominationes extrinſecas includere ens rationis *fundamentale*, ſed non *formale*: detorquebis rem præſentem ad impropriiſſimam locutionem: fundamentum quippè ad aliquid non niſi impropriè eſt illud aliquid: alias dicere poſſemus, injuriam eſſe vindictam, cùm illa ſæpiſſimè ſit fundamentum ad hanc, item innocentiam eſſe pravam ſuſpicionem, cùm multoties innocentia fundamentum præbeat pravæ ſuſpicioni: item Deum, & poſſibilia omnia eſſe chimæras, ſeu entia rationis, cum intellectui debili noſtro fundamentum præbeant, quod non tam eſt datum, quam acceptum, ad hoc, ut de ipſis cogitet res prorſus abſonas, & chimæricas.

125. Confirmatur in exemplo Fidei, ac charitatis nuper dato: nihil Sanctum, ac rationabile præbet fundamentum omni prorſus intellectui humano ad apprehenſionem hæreticalem, ac blaſphæmam, quidquid ſit de aliquo, vel aliquibus intellectibus non benè diſpoſitis. Sed Deum eſſe creditum per Fidem Catholicam, & eſſe amatum per charitatem Theologicam ſunt quid Sanctum, ac rationabile:

bile: ergo hæc duo non præbent fundamentũ omni prorſus intellectui humano ad blaſphæmam hæreticalem apprehenſionem, præbeant nec ne alicui non benè diſpoſito: ſed omnis apprehenſio de eo, quòd noſtra Fides, vel amor, vel aliquid aliud ex eis derivatum identificentur, aut phyſicè uniantur cum Deo ipſo, eſt apprehenſio hæreticalis, & blaſphæma: quoniam Sacroſancto Dei honori repugnat, quòd noſtri actus vitales, quales ſunt Fides, & amor cum ipſo identificentur, aut in ipſo, qui eſſentialitèr eſt inalterabilis recipiantur; ergo Deum eſſe creditum, & amatum non præbet fundamentum omni penitus intellectui humano ad dictam apprehenſionem: ergo hæ denominationes extrinſecæ non includunt ens rationis adhuc fundamentale.

126. Et ratio eſt: Nihil coexiſtens firmiſſimo, atq; infallibili judicio de eo, quòd res non eſt, & prorſus contemptum ab intellectu præbet huic actù, verè, & ſimplicitèr fundamentũ ad cogitandum, quòd res ſit: ſed hæ dictæ denominationes extrinſecæ coexiſtunt firmiſſimo judicio, & infallibili in quocunque intellectu Catholico de eo, quòd nec per identitatem, nec per unionem, aut receptionem ſit in Deo noſtra Fides, aut amor, aut aliud ex his derivatum: & quęcumque apparentia hujus rei prorſus contemnitur tanquam ludibrium mentis ab eo intellectu: ergo hæ dictæ denominationes extrinſecæ non præbent actù, verè, & ſimplicitèr fundamentum omni prorſus intellectui ad cogitandum noſtram Fidem, vel amorem, vel aliquid ex eis derivatum eſſe in Deo, aut per identitatem, aut per unionem, vel receptionem.

127. Ratio autem generalis ad probandum denominationes extrinſecas non imbibere ens rationis objectivum, eſt mera explicatio terminorum. Aliud eſt, quòd apprehendamus formam extrinſecam, vel aliquid derivatum ex illa, *ut intrinſecam* ſubjecto, quatenus apprehendamus *illam eſſe intrinſecam* ſubjecto, apprehendentes ſcilicet identitatem, ſeu unionem phyſicam illius cum ſubjecto: (& hoc apprehendat qui volet) aliud *ut intrinſecam*, quatenus apprehendamus illam *per modum*, ideſt *per ſpeciem* earum formarum, quæ ſunt intrinſecæ aliis ſubjectis. Si contingeret primum; interveniret ens rationis objectivum: ſed unde probant hi DD. eſſe prorſus neceſſarium, quòd (velimus nolimus) apprehendamus viſionem v. g. noſtram eſſe intrinſecam parieti, quem intuemur: Fidem, ac charitatem noſtram erga Deum eſſe intrinſecas ipſi Deo, cùm ſciamus certò indubitantèr illas, utpotè accidentia, & actus vitales creatos, nec eſſe, nec poſſe eſſe intrinſecas Deo per identitatem, aut receptionem? Sed eſto, quòd ſi

ve

ve velimus, ſive nolimus, apprehendere debeamus eas formas *eſſe intrinſecas* ſubjectis denominatis: hinc quo jure ſequitur denominationem ipſam conſtitui per ens rationis? Numquid res conſtituuntur eſſentialitèr per noſtras apprehenſiones, aut per illud quod nos apprehendimus? Quantum ſolent diſtare res à noſtris apprehenſionibus, ut paſſim experimur! Ergo tametſi contingeret ſemper omni intellectui humano illud primum, non ſequeretur, denominationes extrinſecas conſtitui in ſe ipſis per ens rationis, ſed ſolùm ſequeretur, intervenire ens rationis quando nos illas cognoſcimus: ſic quando agnoſcimus illas, & quaſcumque alias, intervenit vitalis noſtra operatio, nempè ipſa noſtra cognitio; aſt neque illa, neque objecta alia conſtituuntur in ſe ipſis per noſtram vitalem operationem, quæ ſit cognitio.

128. Secundum itaque eſt, quod evenit, nempè nos apprehendere ſolitos eſſe formas extrinſecas per modum, ideſt per ſpeciem formarum, quæ ſunt intrinſecæ ſuis ſubjectis, ut eſt calor ſubjecto calido, albedo ſubjecto albo, frigus ſubjecto frigido &c. Sed hoc non probat nos formare entia rationis quotieſcumque eas denominationes extrinſecas cognoſcimus; aliàs quotieſcumque cognoſcimus Deum etiam per actum Fidei ſupernaturalis, & infallibilis, quoties cognoſcimus Angelos, animas rationales, ſubſtantiam quamcumque, actus noſtros vitales, accidentia omnia ſupernaturalia, haberemus cognitiones effingentes, atque formantes entia rationis. Cùm enim non cognoſcamus intuitivè, ac per ſpecies proprias, niſi paucula iſta accidentia materialia, quæ oculis, auribus, tactu, aut alio ſenſu externo percimus, cœtera illa omnia agnoſcimus abſtractivè, ac per ſpecies valdè improprias, & alienas, & per modum, ſeu ſimilitudinem rerum aliarum: ergo ſi hoc ſufficeret ad fingendum, ſeu formandum ens rationis, ſequeretur, omnes cognitiones prædictarum rerum eſſe meras fictiones, & formatrices chimærarum, ſeu entium rationis.

129. Ratio autem eſt. Quoties cognitio neque attingit rem chimericam, neque rem poſſibilem attingit per expreſſionem eſſentialitèr falſam, & illi rei repugnantem, non efformat ens rationis: quia non ſunt niſi hi duo modi formandi entia rationum: at fieri poteſt, quòd cognitio habeatur per ſpeciem rei valdè diverſæ, atque alienæ à ſuo objecto, & tamen quòd neque attingat rem chimæricam, neque attingat rem poſſibilem per expreſſionem, ſeu tendentiam eſſentialiter falſam, atque rei illi repugnantem, ut patet in exemplis nuper datis: & patet inſuper ex eo, quòd non ſit neceſſarium, omnem cognitionem exprimere in ſe ipſa, & in ſuo modo tendendi qualitatem ſpeciei, & alio-

aliorum principiorum, ex quibus naſcitur: ergo fieri poteſt, quòd cognitio habeatur per ſpecies valdè alienas,& improprias, quin fingat, ſeu efformet ens rationis.

130. Obiic. tria. Omnis extrinſeca denominatio eſt ens rationis, quia denominatio fit per rationem, hoc eſt per intellectum. Reſp. id eſſe verum de extrinſeca denominatione *intentionaliter ſumpta*, id-eſt de actu illo intellectus, quo cognoſcimus ſubjecto competere talem, aut talem denominationem: ſed idem contingit denominationibus intrinſecis, & inſuper non venit ad rem, quia iſta cognitio non eſt ens rationis *objectivum*, quod dumtaxat diſputamus: ſed ſubjectivum. Eſſe tamen falſum de ipſa denominatione extrinſeca realitèr ſumpta prout eſt in ſe ipſa, quia hæc præcisè conſiſtit in eo, quòd viſio corporea v. g. ſit viſio parietis (idem reſpectivè de aliis denominationibus extrinſecis,) ſed quamvis non reflexè cognoſcas viſionem eſſe viſionem parietis, illa re vera eſt viſio parietis: ſicut quamvis non reflexè cognoſcas nivem eſſe albam, illa re vera eſt alba, & ſic in aliis: ergo quamvis non detur iſta cognitio, quæ eſt opus rationis ſeu intellectûs, ſubſiſtit denominatio extrinſeca ſumpta objectivè: & realitèr: ergo ſic ſumpta non conſtituitur per iſtud opus rationis.

131. Secundum eſt. Denominatio, ſeu forma extrinſeca non eſt aliquid reale in ſubjecto denominato: ergo aliquid rationis. Nego conſequentiam:quia quod ſimplicitèr non eſt in ſubjecto,neque eſt aliquid reale *in illo*, neque aliquid rationis *in illo*: at formæ extrinſecæ non ſunt ſimplicitèr in ſubjecto denominato, ſed prorſus extra illud: quia in hoc ſtat,quòd ſint formæ extrinſecæ: & quia actus, quo credimus Deum prorſus eſt ſine phyſica unione ad ipſum, ſicut etiam actus, quo Deum diligimus: ergo formæ extrinſecæ nec ſunt aliquid reale, nec aliquid rationis *in ſubjecto denominato*, niſi forte relativè ad intellectum ſiniſtrè penitus cognoſcentem res.

132. Tertium.Illud,quòd ex forma derivatur in ſubjecto denominationis, v. g. ex viſione in pariete viſo,vel eſt aliquid reale, vel morale, vel neutrum. Reſp. negando ſuppoſitum, ſicut tu negares ſuppoſitum hujus dilemmatis :*ille homo qui eſt lapis, vel eſt aliquid reale, vel non?* Cùm enim ambo extrema ſupponant eandem falſitatem, ambo ſunt falſa, & conſequentèr non ſunt contradictoria: idem reſpondemus nos: quia ex forma extrinſeca nihil derivatur in ſubjecto denominato: unde nec eſt reale, neque morale, neque neutrum, quia hæc omnia ſupponunt aliquid derivari, cùm tamen nihil derivetur, licèt apprehendatur à nobis per ſpeciem rei derivatæ, ſicut apprehen-

ditur Æternus Pater per ſpeciemSenis juxta Hieroglyphicum Danie-
Daniel. 7. lis,*antiquus dierum ſedit*,& rurſus,*Capilli capitis ejus quaſi lana munda*: ſumus tamen certiſſimi,quod Æternus Pater non ſit Senex corporeus: & ſicut apprehendimus Angelos per ſpeciem, ſeu ſimilitudinem robuſtorum juvenum juxta Hieroglyphicum illũ, *Apparuerunt duo Iuvenes*
2. Mach. 3. *virtute decori*, *optimi gloria* &c. Judicamus tamen certò omnino, ac indubitantèr Angelos non eſſe corporeos juvenes, ſed puriſſimos Spiritus: igitur ſolum contingit,quòd exiſtente Deo v. g. & noſtro amore ipſius habetur in rebus hec denominatio extrinſeca, *Deus amandus*, quin ex noſtro amore derivetur in Deo quidpiam reale, morale, aut neutrum: hæc autem denominatio ſumpta in abſtracto pro ſola forma eſt prorſus extrinſeca Deo, ſumpta pro ſolo ſubjecto eſt prorſus intrinſeca Deo, ſumpta in concretò, & adæquatè eſt ſemi intrinſeca, & ſemi extrinſeca, quia reſultat ex Deo, qui profectò ſibi eſt intrinſecus, & ex noſtro amore, qui profectò eſt Deo extrinſecus.

§. III.

133. Altera ratio promiſſa eſt: eſto in omni denominatione extrinſeca intervenire ſemper, ac neceſſariò ens, ſeu figmentum rationis: eſto etiam quòd ipſa denominatio conſtituatur intrinſecè per hujuſmodi figmentum, ſeu ens rationis: nihilo tamen minus Dialectica, ideſt actuales regulę, actualiave præcepta ipſius non habent pro objecto formali tale ens rationis. Licèt enim definitionem v. g. eſſe factam *juxta regulas definiendi* ſit denominatio extrinſeca ipſi definitioni, ut revera eſt; & licèt id includeret aliquod ens rationis,verumtamen regulæ definiendi non habent pro objecto definitiones, *ut directas*, ſeu *ut factas juxta ipſas regulas*; quemadmodum licèt Deum eſſe creditum, & eſſe amatum à nobis ſint denominationes ipſi Deo extrinſecæ; veruntamen, quia noſtra Fides non eſt de Deo *reduplicativè ut credito per nos*, ſed de Deo ſine iſta reduplicatione: & noſter amor non eſt Dei, *reduplicativè*, *ut amati per nos*, ſed Dei ſine iſta reduplicatione: ideo neque noſtra Fides, neque noſter amor Dei habent pro objecto formali ullum ens rationis.

134. Explicatur. Nam ex harum, & ſimilium reduplicationum abuſu multa naſcuntur abſurda. Aliud eſt, quòd intueamur parietem: aliud quod intueamur parietem, *ut intuitum*. Primum eſt verum, ſecun-

ſecundum eſt falſum, quia non intuemur noſtrammet intuitionem: Item aliud eſt, quòd audiamus voces; aliud, quòd audiamus voces, *ut auditas*. Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum ob ſimilem rationem. Item aliud eſt, quòd amemus objectum ita, ut ex noſtro amore, & objecto reſultet hoc totum *objectum amatum*: aliud, quòd amemus objectum, *ut amatum*. Primum eſt verum, & ſic fit exercitè reduplicatio, ſed non ſignatè: ſecundum eſt falſum: & ſimiliter philoſophari potes in rebus ſimilibus.

135. Idem impræſentiarum: aliud eſt, quòd regulæ definiendi procedant de definitione ſpecificativè, ac ſecundùm ſe ſumpta, & hoc eſt verum, ſed in definitione ipſa ſecundùm ſe ſumpta non apparet ullum Ens rationis, quod ſit objectum formale earum regularum: Aliud, quòd procedant de definitione, *ut facta juxta ipſas regulas*: & hoc eſt falſum, quia regulæ non reflectunt ſupra ſe ipſas: unde quanquam hic includeretur aliquod ens rationis, non ſequeretur illud eſſe objectum formale earum regularum: aliud demum, quòd illæ regulæ procedant de definitione, *ut factibili* juxta ipſas regulas: & hoc eſt verum, aut falſum juxta ſenſum, quem habuerit illa reduplicatio *ut*: ſi ſignificet eam falſitatem ita eſſe neceſſariam ad hoc, ut Logica agat de definitione, ut ſi hæc non eſſet factibilis, regulæ Logicæ non agerent de ipſa: ſi inquam id ſignificet, eſt verum; ſed hoc ſolum probat eam factibilitatem ſub his terminis eſſe conditionem ſine qua non: ſed non probat eſſe objectum formale.

136. Quemadmodum ſi paries non eſſet viſibilis, certè non videretur; ſed hoc non probat viſibilitatem quomodolibet ſumptam eſſe objectum formale viſionis, ſed talem determinatam viſibilitatem conſiſtentem in luce, & colore offuſcis parieti: & quemadmodum ſi objectum non eſſet amabile non amaretur; ſed hoc non probat amabilitatem quomodolibet ſumptam eſſe objectum formale amoris, ſed talem determinatam amabilitatem, nempè quæ conſiſtat in actuali bonitate objecti.

137. Sin verò illa reduplicatio, *ut* ſignificet eam factibilitatem eſſe objectum formale prædictarum regularum, eſt falſum: tum propter nupera exempla: tum quia cùm definitio v. g. non ſit factibilis juxta regulas Logicæ eo modo phyſico, ac materiali, quo domus eſt factibilis juxta regulas Architecturæ, nimirum per conjunctionem, ſeparationem, coordinationem, combinationemque unarum partium cum aliis, ſiquidem definitio eſt unus actus intellectus ſimplex, & indiviſibilis: inde eſt, quòd non eſt aliter factibilis juxta regulas Logicæ

niſi quatenus intellectus eis benè imbutus, & apprehendens multoties varios actus intellectus potiùs prorumpit in hunc v. g. ***Animal rationale***, quàm in hunc, ***Animal implume, bipes***: ergo tota factibilitas definitionis juxta regulas Logicæ ſtat phyſicè coram Deo in ipſa productione mentalis definitionis facta ab intellectu conſcio regularum definiendi: ergo ſi objectum formale harum eſſet ea factibilitas, ſive ut alii dicunt *dirigibilitas paſſiva*, objectum formale Logicæ nihil aliud eſſet, quàm *productio mentalis definitionis* facta ab intellectu conſcio regularum definiendi: ſed hoc eſt falſum.

138. Prob. oſtendendo ſecundam, ſed primariam partem Concluſionis ſcriptæ num. 115. nimirum objectum formale Logicæ (ideſt actualium regularum, ſeu principiorum Logicæ, nam hæc ſola, ut advertimus, capacia ſunt habendi objectum formale; ſecus habitus, ſeu qualitates, ſeu facilitates genitæ ex repetitione harum regularum: vel ſaltem, ſi hæ quoque qualitates habent objectum formale, habebunt idem, quod illæ regulæ, ex quibus generantur, & ad quarum uſum facilitant) objectum inquam formale Logicæ eſſe veritatem ipſam tranſcendentalem inſtrumentorum ſciendi, aliquando verò veritatem præmiſſarum, ex quibus illæ regulæ probantur. Omne judicium ſive ſit ſpeculativum, ſive practicum, ſive qua ſpeculativum, ſive quà practicũ habet pro objecto formali veritatem ſui objecti materialis: ſed omnes regulæ, & principia Dialecticæ ſunt judicia quædam circa inſtrumenta ſciendi interdum purè ſpeculativa, ut ſunt plerumque definitiones inſtrumentorum ſciendi, interdum practica, ut ſunt illæ regulę, ſeu principia, quæ enunciant qualitates, ſeu conditiones, quas debent habere inſtrumenta ſciendi; ergo omnes regulæ, ſeu principia Dialecticæ, ſive qua ſpeculativa, ſive qua practica habent pro objecto formali veritatem non quidẽ veritatem alius diſparatæ rei; aut veritatem in genere; ſed veritatem talem, ac talem in ſpecie v.g. veritatẽ, quòd rectitudo definitionis poſcit genus, & differentiam &c. Pergimus: vel ergo ſermo eſt de illis regulis, quæ ſunt per ſe notæ, atque evidentes: vel de illis, quæ inſtar Concluſionum probantur, & eliciuntur ex aliis præmiſſis? Si primum; objectum formarum illarum eſt tranſcendentalis veritas inſtrumenti Sciendi, quòd fuerit objectum materiale illarum, quia objectum formale cujuslibet judicii, ſeu propoſitionis per ſe notæ eſt tranſcendentalis veritas ſui objecti, v. g. hujus. *Bis tria ſunt ſex: omne totum eſt majus ſua parte &c.* Si ſecundum; illæ regulæ erunt Concluſiones deductæ ex eis præmiſſis; objectum, autem formale omnis Concluſionis ut deductæ ex præmiſſis eſt ve-

veritas ipſa præmiſſarum, quia hæc eſt, quæ immediatè, directè, ac poſitivè movet intellectum ad concluſionem.

139. Totus hic diſcurſus videtur legitimus ſuppoſita majore, quæ facilè explicatur, atque probatur. Omnis amor, ſive efficax, ſive qua inefficax, ſive qua ſolius complacentię, ſive qua altæ appretiationis habet pro objecto formali bonitatem (ſive realem, ſive apparentem) ſui objecti, nempè quia licèt inter amores ſint variæ ſpecies, hæ nunquam mutant objectum formale bonitatis, ſed ſolum faciunt, quòd in ordine ad alia ſubjectivè tantum, & quaſi materialiter differant amores; in objecto autem formali ſemper conveniunt. Idem dicimus in illa majore: judicia multifariàm differunt inter ſe, quia pręter alias multas differentias una ſunt purè ſpeculativa, altera ſunt practica, tendentiaque in opus aliquod; verumtamen differentia hæc eſt merè ſubjectiva, & quaſi materialis; ſed omnia conveniunt in objecto formali veritatis, quia veritas ſive realis, ſive apparens eſt illud unum, quod intellectus quærit in ſuis judiciis.

140. Et prob. illa ma. præſertim propter judicia practica: hæc non minus, quàm ſpeculativa habent veritatem moventem intellectum ad illa v. g. quia definitio verè coram Deo debet conſtare genere, ac differentia, eſt in Logica practicum illud evidens judicium, *omnis definitio debet conſtare genere, & differentia*: ſimiliter quia verè coram Deo diviſio debet diſtribuere totum in ſuas partes, eſt in Logica illa regula, ſeu illud evidens judicium, *diviſio eſt oratio totum in ſuas partes diſtribuens*: & ſimiliter de aliis: ergo ideò formaliter tanquam propter objectum formale concipit intellectus judicia practica, quia illa ſunt vera, ſicut ideo formaliter tanquam ab objecto formali amamus aliquem finem amore practico, ideſt inſtigante ad ponendum media, quia finis ille apparet nobis bonus.

141. Ubi pro æquivocationibus reſecandis adverte 4. Aliud eſt, quòd judicia *ut practica* habeant aliam definitionem, alias proprietates, & qualitates, quàm judicia *ut ſpeculativa*: & hoc eſt verum. Aliud, quòd habeant in ſenſu reali, quidquid ſit de noſtris reflexis præciſionibus, diverſum objectum formale in genere: & hoc eſt falſum, quia omnia judicia, ſive in genere, ſive in ſpecie, ſive in individuo, ſi ſint judicia affirmativa, habent in ſenſu reali pro objecto formali, aut veritatem intrinſecam, & traſcendentalem ſui objecti materialis, aut veritatem illius antecedentis, ſeù illius motivi, ex quo concipiuntur, ut contingit in actibus Fidei Catholicæ, qui habent pro objecto formali veritatem authoritatis, ac doctrinæ

Di-

Divinæ, quæ complexa veritas eſt motivum illud, ex quo proximè, adæquatè, ac poſitivè concipimus illos actus. Negare igitur objectum formale proximum adæquatum actuum Dialecticæ in ſenſu reali, ac directo eſſe veritatem inſtrumentorum ſciendi ex eo, quòd multi actuum illorum non ſint ſpeculativi, ſed practici, videtur mera tergiverſatio. *Dicimus in ſenſu reali, ac directo*; quia ſi datur locus reflexionibus, & præciſionibus mentalibus, cùm hæ poſſint eſſe multiplices, multiplicia quoque eſſe poſſunt objecta formalia.

142. Secundùm. Non agimus modò de fine, quem homo Logicus poteſt ſibi præfigere in actibus Logicæ: quoniam iſte poteſt eſſe multiplex, & in diverſis diverſus, ut dicemus capite ſequente: & idem poteſt contingere in virtutibus ipſis Theologicis, nam poteſt homo concipere actum Fidei, aut actum Charitatis ex fine, vel fugiendi pœnas Inferni, vel ex fine obediendi Legi Divinæ, vel ex fine augendi merita propria. Cœterùm cùm iſti omnes ſint fines extrinſeci, non obſtant, quominùs Charitas theologica habeat pro objecto formali ſolam bonitatem Divinam, & Fides ſolam authoritatem Dei loquentis. Similiter impræſentiarum: ob multos fines poſſunt Logici concipere regulas, ac concluſiones Dialecticæ; ſed iſti erunt fines extrinſeci, aut reflexi: non tamen obſtabunt quominùs objectum formale proximum adæquatum cujuslibet regulæ, ſeu actûs, ſeu concluſionis Logicæ ſit in ſenſu reali veritas ſpecifica illius, quod dicit: quia non obſtabunt, quominvs illæ regulæ, ſeu actus, ſeu concluſiones ſint judicia; de ratione autem judicii eſt habere in ſenſu reali pro objecto formali veritatem practicam, vel ſpeculativam rei illius in particulari, aut in generali, de qua in particulari, aut generali eſt judicium practicum, vel ſpeculativum: ſicut de ratione amoris eſt habere pro objecto formali bonitatem abſolutam, vel reſpectivam in generali, aut particulari rei illius, de qua in generali, vel particulari eſt amor abſolutus, vel reſpectivus.

143. Tertium. Non negamus falſitatem quoque poſſe eſſe objectum formale multorum actuum Logicæ, nimirùm illorum, qui fuerint negativi, ideſt diſſenſus circa ſuum objectum materiale: ſicut enim malitia eſt objectum formale odii, quia movet ad hoc, ſicut bonitas ad amorem; ita falſitas eſt objectum formale diſſenſûs, ſeu negationis: quia ſicut veritas, vel per ſe patens, vel aliundè probata movet proximè adæquatè intellectum ad aſſenſum; ita falſitas vel per ſe patens, vel aliundè probata movet proximè adæquatè intellectum ad diſſenſum, ſive negationem; unde actus negativi,

qui

qui ſunt in Logica: v. g. ſyllogiſmus non debet conſtare *medio indiſtributo*, habent pro objecto formali falſitatem illius, quod negat: quia tamen invaluit mos aſſignandi pro objecto formali actuum intellectus veritatem, ſicut bonitatem pro objecto formali actuum voluntatis; idcirco terminis illis concedimus concluſionem. De cætero autem cum intellectus non minus prodeat in actus negativos, quàm in affirmativos: ſicut voluntas non minùs concipit actus fugæ, quàm proſecutionis, oportet non confundere objectum formale unorum, & aliorum: veritas, & bonitas eſt objectum formale proſecutionum; falſitas, & malitia averſionum, & fugarum.

144. Quartum. Non dicimus veritatem in genere eſſe objectum formale Logicæ: quoniam genus illud eſt valdè univerſale, ac non ſufficeret ad ſpecificandum Logicam; nec quamlibet ſpeciem veritatis: ſed determinatam, & ſpecialem veritatem inſtrumentorum ſciendi, quę licèt ſint multiplicia; attamen in ordine ad finem *rectè diſſerendi* univocantur, & faciunt unam ſpeciem ſi non phyſicam ſaltem moralem: quemadmodum licèt præcepta, & articuli, quibus conſtat Religio Catholica, ſint multa, & diverſa; nihilominus faciunt, & conſtituunt unam in ſpecie Religionem Catholicam: rurſùs cùm Logica non ſit una qualitas ſimplex, ac indiviſibilis, ut ſupra diximus, ſed ad placitum, ac inſtitutionem hominum compoſita ex multis actibus, regulis, principiis, ac concluſionibus, & unaquæque ex his habeat ſuum objectum materiale, & unumquodque habeat ſuam veritatem vel per ſe notam, vel aliundè probatam, idcirco quando dicimus hanc veritatem eſſe objectum formale Logicæ, non debes intelligere unam ſingularem individuam veritatem, nec unam concluſionem ſingularem Logicæ, ſed multas veritates, ac multos actus Logicæ cùm accommoda diſtributione, itaut objectum formale actus Logici A agentis de definitione; v. g. non ſit veritas diviſionis, ſed veritas ipſius definitionis, & quidem illius determinati prædicati, ſeu proprietatis, quæ de definitione enunciatur per illum ſingularem actum Logicum: & ſimilitèr de aliis. Denique nec dicimus objectum formale eſſe veritatem ſub his terminis *veritas, verum*; ſed ſub illis, ſub quibus effertur actus ipſe Logicus; v. g. objectum formale hujus regulæ Logicæ: *definitio debet eſſe clarior definito; eſt major ipſa claritas definitionis ſupra definitum*: & ſimilitèr de aliis.

145. Sed objicies: objectum formale facultatis, quæ tota eſt reflexa, debet eſſe aliquid reflexum, quoniam omnis facultas ſpecifica-

ficatur à ſuo objecto formali. At Dialectica tota eſt reflexa: veritas autem ſuarum regularum non eſt quid reflexum; ergo hæc non eſt objectum formale Dialecticæ. Confirmatur. Nequit eſſe objectum formale Dialecticæ id, cujus naturam, & proprietates ipſa non curat; ſed non curat naturam, & proprietates veritatis, quia cura hæc ad Animaſticam ſpectat; ergo. Nego majorem, cujus adjuncta probatio eſt vera, ſed inſufficiens: aliàs objectum formale Virtutis, quæ tota eſt creata, deberet eſſe aliquid creatum, ſiquidem Virtutes ſpecificantur etiam à ſuis objectis formalibus. At tres Virtutes Theologales totæ ſunt quid creatum, ut conſtat: ergo objectum formale ipſarum deberet eſſe quid creatum. Quod Theologię repugnat docenti objectum formale ipſarum debere eſſe quid Divinum: v. g. Fidei eſſe authoritatem ipſam Dei docentis, Charitatis eſſe bonitatem abſolutam Dei; itaque facultates ſpeculativæ, atque Virtutes ſpecificantur non quoad omnia, ſed quoad *diſcretionem* inter unas, & alias à ſuis objectis formalibus, & etiam à modis, quibus reſpiciunt illa. Nego item majorem confirmationis: quia actus Charitatis, quo diligis ſuper omnia Deum propter ſemet ipſum, certè non diſputat naturam, & proprietates bonitatis Divinæ, ſed illam ſupponit; & tamen habet pro objecto formali bonitatem Divinam. Ratio eſt: ut aliquid ſit objectum formale actus A, ſufficit, quòd ille proximè poſitivè adæquatè moveatur ex illo. At poteſt moveri ex illo, tametſi illius naturam, & proprietates non diſputet, ſed aliundè ſupponat notas: ergò.

CAPUT VI.

Quodnam ſit Objectum attributionis Logicæ.

146. CUm hìc audis Logicam intellige hominem ipſum logicum juxta id, quod advertimus cap. 4. n. 102. Rurſus hìc ne intelligas Logicam Majorem, quia de hac non diſputamus modò; ſed Minorem, ſeu Dialecticam, cujus objectum attributionis nunc examinatur, & loco citato fuit definitum: quia tamen hìc eſt multum de modo loquendi, ut notant Authores, ne vocibus hæreamus, realitates diſtinguemus. Sit itaque concluſio. Vel loquimur de objecto attributionis, quod ſit finis proximus, intrinſecus, & naturalis Logicæ; vel de objecto attributionis, quod ſit finis extrin-

trinſecus, remotus, & ex placito hominum. Si primum; nihil eſt aſſignabile *ſimplex*, *ac indiviſibile* phyſicè, quod in individuo, vel in ſpecie, aut genere infimis ſit objectum attributionis Logicæ, ſive actualis, ſive habitualis. Si ſecundum; multa poſſunt eſſe objectum attributionis Logicæ, ſed abſolutè, & ſimplicitèr ex uſu communi, & placito hominum eſt demonſtratio.

147. Prob. 1. parſ. Quoties facultas, Scientia, aut ars non eſt una res ſimplex, ac indiviſibilis; ſed complexum quoddam reſultans ex plurimis, ac heterogeneis actibus, item ex plurimis, ac heterogeneis habitibus, toties finis intrinſecus proximus, & naturalis (conſequenterque objectum attributionis ſumptum in hoc ſenſu) non eſt quidquam phyſicè ſimplex, ac indiviſibile: at Logica, ut diximus cap. 1. non eſt res aliqua ſimplex, ac indiviſibilis; ſed compoſitum quoddam ad placitum, & inſtitutionem hominum reſultans ex plurimis, atque heterogeneis actibus (ſi ſermo ſit de Logica actuali) docentibus unis definire, aliis dividere, aliis convertere propoſitiones &c: item reſultans ex plurimis, ac diverſis habitibus (ſi ſermo ſit de Logica habituali) quorum uni generantur ex unis illorum actuum, & alii, ex aliis, nempè voluerunt homines unire, ac coordinare omnes illos actus, & habitus: & imponere hoc nomen *Dialectica* complexo ex illis reſultanti: ergo non eſt aſſignabilis res ulla ſimplex, ac indiviſibilis, quæ in individuo, aut in ſpecie, vel genere infimis ſit finis proximus, intrinſecus, ac naturalis Logicæ, & conſequenter, quæ ſit objectum attributionis illius in hoc ſenſu.

148. Prob. Ma. Quoties ſunt multi fines intrinſeci, ac naturales inadæquati, non eſt aſſignabilis finis intrinſecus, & naturalis, qui ſit phyſicè ſimplex, ac indiviſibilis: nam multi fines inadæquati faciunt unum adæquatum compoſitum ex illis omnibus, & conſequenter qui non eſt ſimplex, ac indiviſibilis: ſed quoties facultas componitur ex multis actibus, ſeu habitibus dantur multi fines inadæquati. Prob. Unuſquiſque actus ex illis habet ſuum finem proximum intrinſecum, ac naturalem diſtinctum à fine aliorum: ergo ſi dantur plurimi actus dantur plurimi fines proximi, ac naturales, quorum unuſquiſque eſt partialis, & inadæquatus reſpectu totius Scientiæ, tametſi totalis, & adæquatus ſit reſpectu illius actus, ſeu habitus ſingularis. Prob. ant. & loquamur de his duobus actibus Logicæ, *definitio debet conſtare genere, & differentia*: *Syllogiſmus debet conſtare tribus terminis ſolis*, idem dicturi de omnibus aliis.

149. Finis proximus, intrinſecus, ac naturalis primi actus eſt illa

Hh deno-

denominatio, ille effectus formalis, hoc eſt *illud totum*, quod reſultat ex ipſo actu, & intellectu, cui unitur, nempè hic effectus formalis *ſciens quibus debeat conſtare definitio.* Finis autem intrinſecus, ac naturalis actûs alterius eſt hic, *ſciens quibus debeat conſtare Syllogiſmus* Quoniam finis proximus, intrinſecus, ac naturalis cujuſvis formæ præſertim accidentalis (quales ſunt omnes actus, & habitus Logicæ) cùm ſit entitas incompleta, eſt effectus ille formalis, ſeu denominatio, ſeu totũ, quod reſultat ex ipſa, & ſubjecto, cui unitur v. g. finis intrinſecus, naturalis, & proximus albedinis, eſt *Album*: formæ viventis eſt *Vivens*, & ſimiliter de omnibus formis: at *eſſe ſcientem, quibus conſtare debeat definitio, & eſſe ſcientem quibus conſtare debeat Syllogiſmus*, ſunt res valdè diverſæ: ergo unuſquiſque ex illis duobus actibus habet finem intrinſecum, proximum, & naturalem diverſum à fine alterius: ſimiliter philoſophandum de habitibus: cùm enim illi etiam ſint formæ accidentales, ac entitates incompletæ, finis proximus, intrinſecus, ac naturalis ipſorum eſt effectus ille formalis, qui reſultat ex unoquoque illorum, & intellectu, cui unitur, v. g. *eſſe ſcientem habitualiter, quibus conſtet definitio; eſſe ſcientem habitualiter, ſeu bene, ac cum poſſeſſione, quibus conſtet ſyllogiſmus*: quæ ſunt duæ res valdè diverſæ licèt ſolum diſtinguantur inadæquatè, quando alludant ad eundem intellectum.

150. Neque dicas primò: finem intrinſecum, ac naturalem prædictorum actuum eſſe, *quod intellectus ſciat illa*, *quod intellectus habeat facilitatem*, quoniam actus ipſi ſunt illa ſcientia actualis, & habitus ſunt illa facilitas: ergo haberent ſe ipſos pro fine intrinſeco, & naturali, aut unionem ſui ipſorum cum intellectu (quæ tamen uniones etiam ſunt invicem diſtinctæ) non ergo loquendum eſt iſto modo in abſtracto; ſed in concreto, ut nos locuti ſumus: quia finis intrinſecus, ac naturalis formæ præſertim accidentalis non eſt forma ipſa, ſed totum illud, quod reſultat ex ipſa, & ſubjecto, cui inhæret v. g. *intellectum eſſe ſcientem*, *eſſe facilem*, *& promptum*: quæ locutiones in concreto facilè æquivocabuntur cum aliis in abſtracto, niſi accuratè diſcernas. Neque dicas 2. præter hunc finem intrinſecum, ac naturalem, quem aſſignavimus, habere actus, ſeu habitus Logicæ alium intrinſecum etiam, videlicet demonſtrationem, aut aliud quidpiam: hoc enim jam fuit refutatum cap. 4. num. 17. ubi explicuimus, quem ordinem ſeu relationem habeant actus, & habitus Logicæ cum demonſtratione v. g. & quem non habeant.

151. Hinc objectum attributionis adæquatum Logicæ, ſumptum pro fine proximo, intrinſeco, & naturali ejuſdem, eſt complexum,

ſeu

ſeù congeries, ſeu multitudo reſultans non quidem ex omnibus actibus, ſeu habitibus Logicæ; ſed ex omnibus denominationibus, ſive effectibus formalibus Logicis, v. g. reſultans ex denominationibus *Scientis definire, Scientis argumentari, ſcientis convertere propoſitiones &c.* Et hæc multitudo, ſeu complexum non reſpondet indiviſè toti Logicæ, quaſi hæc foret res aliqua ſimplex, ac indiviſibilis: nec reſpondet omnibus, & ſingulis partibus Logicæ, quaſi pars docens definire habeat pro fine intrinſeco illud complexum, ſive multitudinem actuum: ſed reſpondet toti Logicæ diſtributione accommoda, hoc eſt una pars illius complexi reſpondet inſtar finis intrinſeci, ac naturalis cùm parte Logicæ, & alia pars illius complexi reſpondet alii parti Logicæ, & ſic cum proportione.

152. Hinc 2. Ne apprehendas hanc Logicam inſtar acervi lapidum, quorum uni neque ex natura ſua, neque ex hominum placito, & inſtitutione dicunt actualem ordinem ad alios. Sed apprehende illam inſtar ædificii artificioſi, & ex Architecti voluntate ſic, vel ſic erecti. Sicut enim hoc eſt unum, non quia ſaxa, trabes, lateres, terra, ligna, ferrum, quibus conſtat, dicant in vicem ullum ordinem poſitivum ſubordinationis poſitivæ, ac naturalis (quando quidem trabes illę v. g. nullam phyſicam paterentur violentiam tametſi non conjungerentur cùm illis parietibus, cùm quibus hic, & nunc conſtruunt domum) ſed quia, ex una parte iſta omnia ſunt intrinſecè capacia, ut ſic, vel ſic combinentur interſe, & ex altera parte Architectus quia voluit, ſic, & ſic illa combinavit in ordine ad pulchritudinem, vel commoditatem inhabitantium, vel in ordine ad alios fines. Ita Dialectica eſt una Scientia, ſeu Ars, ſeu facultas, ut jam monuimus, non quia Doctrinæ actuales, ſeu habituales circa definitionem, & ſimiles circa diviſionem, & ſimiles circa argumentationem dicant invicem ullum poſitivum ordinem poſitivę, ac naturalis ſubordinationis (quia nullam paterentur violentiam phyſicam Doctrinę actuales, & habituales circa definitionem, tametſi intellectus imbutus illis nunquam cogitaret demonſtrationem v. g., ſed illis uteretur ad fines alios, ut poterat) ſed quia ex una parte ſunt intrinſecè capacia, ut juvent ad rectam aliquam, & evidentem argumentationem: & ex altera parte Ariſtoteles primus Profeſſor Dialecticæ, & cęteri poſteriores Logici quia voluerunt, & ex mero ipſorum placito atq; inſtitutione utuntur illis omnibus doctrinis in ordine ad finem eliciendi evidentem aliquam argumentationem jam hanc, jam illam, jam ſic, jam aliter diſpoſitam, jam in hac jam in alia materia

quam ſubminiſtrent facultates aliæ. 3. Ne objicias paritatem ex objecto formali proximo ad tale, vel tale objectū attributionis diſtinctum ab eo, quod aſſignavimus pro uno quoque reſpectivè actu, & habitu Logicæ: quoniam omnis prorſus cognitio judicativa intrinſecè, ac eſſentialiter habet eſſe ex aliquo objecto formali, quod pro affirmativis eſt veritas objecti materialis, pro negativis eſt falſitas ejuſdem, ſicut bonitas eſt objectum formale omnis amoris, & malitia odii omnis. Cęterùm non omnia ſive materialia, & externa, ſive ſpiritualia, & interna, quæ ordinantur per homines ad aliquem finem, habent perſuammet eſſentiam ordinari actù ad finem illum, ut conſtat. Neque objicias paritatem aliarum legum, & Præceptorum, quæ habere videntur pro fine rem illam, quæ pręcipitur: etenim confundes præceptum cùm perſona præcipiente: hoc, non illud eſt capax operandi propter finem. Aliud igitur eſt, quòd lex, & præceptum intrinſecè tendat in rem præceptam: ſitque valdè conducens ad illum, & hoc eſt verum; ſed tantum probat habere illam pro objecto materiali: aliud verò, quòd intrinſecè tendat in illam, tanquam in ſuum finem intrinſecum, ita ut non poſſit carere illa ſine violentia ſibi phyſicè illata, & hoc eſt falſum. Sic panis, vinum, aqua, piſces, carnes, ſuaptè natura ſunt idonea humanę nutritioni, atque ob hunc finem illis utuntur homines: cęterùm illa non habent pro fine intrinſeco ſuę naturę humanam nutritionem.

§. II.

153. SEcunda pars concluſionis erat: ſi loquamur de objecto attributionis ſumpto pro fine extrinſeco, ac remoto, & explacito hominum, multa poſſunt eſſe objectum attributionis Logicæ: quoniam hæc eſt capax, ut homo utatur illa in ordine ad multos, & diverſos fines, ut conſtat. Cœterùm abſolutè, ac ſimpliciter ex uſu communi, & placito hominum ſola demonſtratio eſt objectum attributionis Logicæ. Probatur. Complexum ex actibus, ſeu habitibus, quod vel ex ſua natura, vel ex hominum uſu communi, & inſtitutione eſt facultas rectè diſſerendi, habet ex ſua natura, vel ex hominum uſu, & inſtitutione pro fine, ſeu objecto attributionis ipſum, quod eſt *rectè diſſerere*: non enim aliundè melius quàm ex definitione facultatis poſſumus explorare ipſius objectum attributionis: atqui Logica minor, ſeu Dialectica eſt complexum quoddam ex actibus, ſi loquamur de Logica actuali, ſeu ex habitibus,

bus, ſi de habituali, quod ex ſua natura, vel ex communi hominum uſu, & inſtitutione eſt facultas rectè differendi, ut conſtat ex ſuo Authore Ariſtotele ajente *munus Dialecticæ eſſe diſputare*,& ex S.Auguſtino Primario Profeſſore hujus facultatis ajente *quid aliud eſt Dialectica, quàm peritia diſputandi*, & rurſus. *A diſputatione Dialectica nomen accipit: ita græce Dialecticus multo uſitatius,& tolerabilius latinè dicitur Diſputator; quod ſi uſus admitteret, latinè Dialectica, Diſputatoria diceretur*: ergo Logica, ex ſua natura, vel ex hominum uſu, & inſtitutione habet pro fine, ſeu objecto attributionis hoc, quod eſt *rectè diſſerere*.

1. Rhet. c.1.& 2. Auguſt. 17. cõtra Creſconiũ cap. 18.& 14.

154. Atqui non ex natura ſua, ut toties diximus. Tumquia doctrina definiendi, v. g. nullam pateretur phyſicam violentiam tametſi plene poſſideretur ab intellectu nil penitùs curante demonſtrationem, ſicut poſſidetur ab Angelis nequeuntibus facere demonſtrationes circa res purè naturales, & idem potiore jure de Deo. Tum quia finis proximus intrinſecus, & naturalis cujuslibet formæ præſertim accidentalis eſt totum illud, quod reſultat, ex ipſa, & ſubjecto, cui unitur naturaliter. Totum autem quod reſultat ex doctrina definiendi v. g. etiam reduplicativè ut doctrina, non eſt *demonſtratio*, ſed *ſciens definire*; Imò totum etiam, quod reſultat ex doctrina demonſtrandi, non eſt demonſtratio ipſa directa, & ſignata, ſed *ſciens modum demonſtrandi*, quando quidem Angeli, & infinitè melius ipſe Deus fungitur doctrina, ut doctrina definiendi, ac demonſtrandi, quam utique poſſunt docere nos, & tamen Deus, quippe qui omnia intuetur, nec cognoſcit nec cognoſcere poteſt per demonſtrationem, quia hęc eſt diſcurſus, & Deus nec diſcurrit, nec diſcurrere poteſt, ut docet Theologia. Unde licet doctrina reduplicativè, ut doctrina dicat ſpecialem ordinem, ſeu reſpectum, ſeu relationem ad illud, de quo eſt doctrina; ea tamen relatiò non eſt *naturalis connexionis* cum illo; ſed vel ſolius veritatis, vel etiam conducentiæ; atque utilitatis ad illud faciendum prout fuerit ſubjectum, cui ineſt ea doctrina.

155. Ergo logica ſolum ex uſu, ac inſtitutione hominum habet pro fine ſive objecto attributionis hoc, quod eſt *rectè diſſerere*. Sed non rectitudine ſolius probabilitatis, aut ſolius certitudinis ſine evidentia (qualem certitudinem habent actus fidei noſtræ, qui cum certiſſimi ſint atque infallibiles utpotè innixi Doctrinæ Dei, non ſunt evidentes; Sed plerumque obſcuriſſimi, arduique intellectui noſtro) Ergo habet pro fine ex hominum uſu hoc, quod eſt *rectè diſſerere* rectitudine evidentiæ. Sed hoc eſt demonſtrare rem. Ergo ex hominum uſu atque

que

que inſtitutione habet pro fine, ſivè objecto attributionis demonſtrationem. Prob. hæc ultima Minor. Tum quia omnia, quæ docet logica Minor, & quibus uti conamur tametſi non ſemper aſſequamur, ad argumentandum ſunt evidentia metaphyſicè, ut conſtat conſideranti regulas, concluſiones, & principia, quæ ſunt in Dialectica, ſi intelligantur, ut oportet. At hujuſmodi evidentiæ primariò ac directè ſunt idoneæ Syllogiſmo evidenti, & demonſtrativo potiùs quàm Syllogiſmo merè probabili, aut certo quidem, ſed obſcuro. Ergo.

156. Tum quia licet Dialectica agat etiam de Syllogiſmo merè probabili, & de obſcuro: hoc ideo eſt, ut opituletur inopiæ intellectus humani, cui non facile occurrunt demonſtrationes, & ne in ſuis diſcurſibus hæreat, docetur à logica modum diſputandi ſaltem probabiliter, vel obſcurè, ut contingit in eis modiſ diſputandi ſcriptis diſp.2. diſtinctis ab eis quatuor directis, atque perfectis, *Barbara, Celarent, Darii, Feriò*. Finis autem primarius, ad quem per logicam aſpirant homines, tametſi raro aſſequantur, eſt Syllogiſmus evidens ac demonſtrativus. Tumquia ad recte faciendum rem aliquam non ſolum conducit ſcire ipſam; ſed etiam ſcire ſua contraria, ideſt ſcire modum, quo res illa non debet fieri. Atqui Syllogiſmus merè probabilis, & Syllogiſmus certus, ſed obſcurus contrarii ſunt (ideſt oppoſiti, ſicut differentiæ ejuſdem generis) Syllogiſmo demonſtrativo. Ergo ad faciendum demonſtrationem conducit etiam notitia amborum. Ergo doctrina Logicæ circa ambos conducit etiam ad demonſtrationem. Idem dicimus, & potiore jure de Syllogiſmo fallace, ac Sophiſtico. Ergo omnibus, quæ ſunt in Logica, poteſt uti intellectus ad demonſtrationem rectè faciendam. Vt enim experientiâ conſtat omnia, quæ quomodolibet conducunt ad aliquem finem: ſivè conducentiâ poſitivâ, ſive negativâ, ſive immediatâ, ſive mediatâ, ſive directâ, ſive indirectâ poſſunt, & multoties ſolent ex hominum uſu, atque placito dirigi, ſeù ordinari ad eum finem proportione ſervatâ.

157. Habemus ergo objectum attributionis, ſivè finem extrinſecum logicæ ſumptum ex hominum placito, uſu atque inſtitutione eſſe ſolam demonſtrationem. Hinc 1. communis illa definitio, quam & nos ſupra dedimus, *facultas recte diſſerendi* eſt ex cauſa finali, & quidem extrinſeca. Vt enim ſuo loco advertimus definitio multoties traditur per cauſam finalem etiam extrinſecam, ut quando dicimus, *Homo eſt creatura facta, ut in æternum fruatur Deo ſuo ultimo fine*: ſicut etiam per cauſam exemplarem, ut cùm dicimus, *Homo eſt creatura facta ad imaginem, & ſimilitudinem Dei*: eſt ergo illa Dialecticæ

cæ definitio data per cauſam finalem extrinſecam: nec mirum, quia multoties clariùs cognoſcimus rem per ſuam cauſam finalem, aut exemplarem, aut efficientem, aut etiam per ſuos effectus, aliave connotata, quàm per ſuum genus, & differentiam.

158. Quænam ergo eſt definitio Dialecticæ per prædicata intrinſeca, & eſſentialia? Reſp. *Complexum ex multis actibus* (ſi ſermo ſit de Logicâ actuali) *vel ex multis habitibus docentibus definire, dividere &c.* quod ſi hinc inferas objectum attributionis intrinſecum, ſeu finem naturalem Dialecticæ eſſe Definitionem, Diviſionem &c, aut modum ſciendi, definiendi, dividendi &c. Reſp. ut ſupra. aliud eſt hoc totum *ſciens definire &c.* aliud Definitio: aliud modus definiendi, ſciendi &c. Illud primum eſt objectum attributionis intrinſecum, ut diximus. Definitio ipſa, diviſio, argumentatio &c. ſunt objectum attributionis, ſeu finis extrinſecus, & quidem proportionatè, ſeu diſtributione accommoda, quatenus definitio v. g. eſt finis partis definitivæ, diviſio partis ſeu doctrinæ dividendi, & ſic de aliis: doctrinâ quippè definiendi poteſt homo pro ſuo libito uti ad definiendum, & quamvis non utatur quia non vult, vel quia aliunde non poteſt, non idcircò doctrina illa patietur phyſicam illam violentiam quam patietur ignis ſine calore, aut materia ſine forma ſicut illam violentiam non patitur in Angelo doctrina, quam habet ædificandi domos conſtituendi ſyllogiſmos circa res naturales &c. ut inculcavimus numer. 9. Modus denique ſciendi per definitionem, per diviſionem, per argumentationem &c. ſi ſumatur in concreto erit objectum attributionis naturale, ſeu finis intrinſecus Logicæ, quia ſumptus in concreto eſt hic effectus formalis *Sciens definire. Sciens dividere. Sciens argumentari &c.* ſi ſumatur in abſtracto eſt doctrina ipſa definiendi v. g. quæ profectò non eſt objectum attributionis ſeu finis intrinſecus ſui ipſius.

159. Hinc 2. Quando dicimus objectum attributionis extrinſecum, atque ex hominum placito eſſe demonſtrationem, non dicimus eſſe talem, aut talem ſingularem demonſtrationem in individuo, aut in ſpecie; ſed in genere: ſicut objectum attributionis extrinſecum etiam, atque ex communi uſu hominum cæterarum artium v. g. Architectonicæ, non eſt hæc, aut illa domus in individuo, aut in ſpecie; ſed in genere: ideſt, eſt *Domus*: quia Scientiæ, ac Artes non agunt de ſingularibus, ſed de Univerſalibus. Nec obſtat quod objectum attributionis facultatis practicæ debeat eſſe factibile *prout eſt objectum illius*; Res autem in genere non ſunt factibiles, quia genera

nera non dantur à parte rei, ſicut nec ullum univerſale: non obſtat inquam: illud namque *prout* intelligi debet primò intentionaliter, non verò ſecundò intentionaliter, ac cum alluſione ad modum tendendi, quem habent actus illius facultatis; aliàs cum hi ſint ſpirituales, & vitales, & accidentales, objectum attributionis fieri deberet ſemper ſpirituali, & vitali, & accidentali modo: objectum ergo attributionis Artis eſt factibile, quatenùs ſciens homo per regulas univerſales quomodo fieri debeat omnis domus v. g. aut omnis demonſtratio facit juxta illas hanc ſingularẽ domũ, aut hanc ſingularẽ demonſtrationẽ, quãdo occurrit occaſio faciendi illam; quocirca ſingula ſingularia ſunt objectũ attributionis, non ſanè explicitũ quaſi de illo ſub propriis terminis ageret facultas; ſed implicitum, quatenus includitur in objecto generalis, & univerſalis regulæ propriæ artis illius: ſicut eſt de Fide hoc, & illud, & illud ſingulare, quamvis de ipſis non procedat nominatim divina revelatio, ſi tamen includuntur in ea veritate univerſali, quam docet revelatio divina.

160. Hinc 3. Demonſtratio non eſt quid ſimplex ac indiviſibile; ſed compoſitum reſultans ex una, vel duabus præmiſſis, & concluſione, & tranſitu intellectus ex aſſenſu præmiſſarum ad concluſionem ipſam. Rursùs in quavis demonſtratione inter alia ſunt 1. Materia, circa quam procedit. 2. Veritas propoſitionum, quibus conſtat demonſtratio. 3. Evidentia illarum. 4. Artificium, ſeu coordinatio, ſeu diſpoſitio, vi cujus ex præmiſſis ſequitur evidenter metaphyſicè concluſio. 5. Concluſio ipſa. 6. Notitia, ſeu peritia faciendi demonſtrationes. Quando dicimus demonſtrationem eſſe objectum attributionis, ſeu finem extrinſecum, ac ex hominum placito, non loquimur de materia, de qua procedit, non de veritate, non de evidentia propoſitionum, quibus conſtat: quippè tria hæc plerumque non ſpectant ad Logicam, ſed ad illam ſcientiam, artem, ſeu facultatem, in qua facta eſt demonſtratio: illius enim facultatis eſt explorare materiam illam, nec non veritatem, ac evidentiam illarum propoſitionum: v.g. ſi demonſtratio facta, vel facienda ſit in materia Medicinæ, aut Aſtronomię non ſpectat ad Logicam materia illa, nec veritas, aut falſitas, evidentia, aut obſcuritas illarum propoſitioum.

161. Dicimus itaque objectum attributionis Logicæ, hoc eſt finem extrinſecum ex hominum uſu, & placito, eſſe demonſtrationem tum quoad artificium, ordinem, & combinationem, qua coordinari debent præmiſſæ, quæ aliundè ſint veræ, ut evidenter inferatur concluſio, tum quoad hujus evidentem illationem, qua illatio-

tione poſita concluſio erit evidens, (quia ex vero non ſequitur niſi verum), & conſequenter eſſe demonſtrationem in concreto, prout dicit totum evidentem diſcurſum; quia finis, quem Logicæ præfinierunt homines, & ad quem utuntur illa, eſt *rectè diſſerere*, *rectè diſputare*, ut conſtat ex definitione, atque ex Ariſtotelis, ac S. Auguſtini Teſtimoniis prolatis: ſed rectè diſſerere, ſeu diſputare, nec ſtat in ſolis præmiſſis abſque concluſione, nec in ſola hac ſine illis, ut conſtat ex praxi ipſa diſputandi; ſed ſtat in complexo ex præmiſſis, illatione, ac concluſione, quia ille ſolus diſputat, qui hæc tria facit formalitèr, aut virtualitèr: ergo. Nec refert, quòd unum ex his ordinetur ad aliud, v.g. præmiſſæ ad concluſionem: quoniam finis complexus, cujus una pars ordinatur ad aliam, poteſt eſſe indiviſibiliter finis alius tertiæ rei: ſic animal, cujus una pars ordinatur ad alteram, v. g. corpus ad animam, & hæc præſertim ſi fuerit materialis, ordinatur ad illud, eſt ſimul, ac indiviſibilitèr finis generationis, qua generatur animal illud.

162. Denique quoad notitiam ipſam demonſtrationis dicimus; quemadmodum aliqua alia ars poteſt excogitari ab unis, & diſci ab aliis eo ſolo fine, aut ſaltem primario, ut habeatur notitia de modo conſtruendi objectum illius artis, quin ad praxim tranſeatur, ſicut Angeli, & multò meliùs Deus habet notitiam de modo conſtruendi demonſtrativum diſcurſum, quin eam notitiam poſſit unquam reducere ad praxim. Ita Logica potuit excogitari ab Ariſtotele, & tradi, diſcique à ſubſequentibus hominibus eo ſolo, aut ſaltem primario fine, ut ſciretur modus demonſtrandi, ſiſtendo hìc, & non progrediendo ad faciendum unquam demonſtrationem ullam, ideſt diſcurſum penitus evidentem; cùmque in his humanis artibus non ſit aliud objectum attributionis, quàm ille finis, ad quem communi uſu, & placito hominum dirigitur complexum ex omnibus regulis, actibus, & concluſionibus illarum, nam finis intrinſecus illarum jam explicatus eſt num. 3. & iterum num. 9: inde fit, quòd objectum attributionis Logicæ potuit eſſe ſola notitia modi arguendi, ſeù diſputandi evidentèr ſiſtendo hìc, & non progrediendo unquam ad evidentem ipſam diſputationem,

163. Cęterum quemadmodum id, quod potuit contigiſſe in aliis artibus, non contigit de facto. Ita nec in Logica, quæ ſanè excogitata eſt, ac de facto diſcitur ab hominibus, non eo ſolo, aut primario fine, *ut præciſè ſciatur modus* diſputandi evidentèr, ſed *ut actu diſputetur evidenter*, quando ſe offerat occaſio: quod expe-

rientiâ ipsâ conſtat ; & inſuper ex eo, quod definitio ex cauſa finali Logicæ non eſt *Facultas ſciendi rectè diſputare* : ſed *Facultas rectè diſputandi*.

Et hæc ſufficiant pro Dialectica, ſeu Logica Parva. Cœtera uſu, ac experientia invenies, aſſequeris, & poſſidebis.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX.

Primus numerus Diſputationem; Secundus marginalem ſignificat.

A

Abindiſtributo nil, quomodo intelligendum? Diſp. 2. num. 184.

Abſtrahere quid ſit 1. 202.

Actus Fidei, ac ſcientifici, quo ſenſu eſſentialiter veri. 1. 3. Actus immediatè liberi ex ſua eſſentia excludunt rationem ſtrictè à priori ſui ipſorum. 1. 128. Actus Intellectûs, & actus voluntatis quomodo differant quoad tendentiam in objectum. 1. 40.

Ampliatio termini ſingularis. 1. 111.

Anima quomodo formet in hac vita cognitiones. 1. 8. 33. & 52.

Appellatio treminorum cautè obſervanda. 1. 88.

Argumentatio quid ſit? 1. 155. Quinque poſſunt in ea conſiderari. Ibid. A priori, & à poſteriori &c. 1. 158. Argumentationes eruendæ ex bona conſequentia. 2. 35. Ex definitione. 2. 21. Ex diviſione. 2. 27. Ex ſuppoſitionibus. 2. 49. Argumentationum quot modi in genere, & qualiter ſinguli inſtruendi? Ibid. per totum caput primum. 2. 2. Argumentum ab Authoritate, quale eſſe debet? 2. 5. Argumentum ab abſurdo quale? 2. 9. Argumentationum infallibilium ſeptēdecim fontes. 2. 12 Arguendum ex principiis Prudentiæ, quando non ſuppetīt evidentiæ. n 2. 13. Argumentautiones eruedę ex terminorum ſuppoſitione, quot, & quales? 2. 49. Ex converſione propoſitionum quot, & quales? 2. 71. Ex modalium converſione. 2. 91. Ex habitudine Logicâ propo ſitinum. 2. 99. Ex contradictione 2. 110. Ex contrarietate 2. 126. Ex oppoſitione privativâ 2. 130. Ex relativa 131. Ex ſubcontrarietate 2. 132. Ex ſubalternatione 2. 135. Ex ęquipollentia 2. 143. Ex veritate copulativa 2. 145. Ex disjunctiva 2. 150. Ex conditionali 2. 159. Ex identitate, ac diſtinctione 2. 170.

Ars quid ſit? 3. 47.

Aſſenſus præmiſſarum quomodo ne-

neceſſitet ad aſſenſum concluſionis? 1. 177.

B

Bruta quomodò ſunt capacia ſignorum. 1. 12.

C

Cauſalis propoſitionis eſſentia, & proprietates. 1.116.

Conceptus ultimatus, & non ultimatus quid ſint? 1.16. Conceptus formales, ſive cognitiones non ſemper habent ex ſola ſua eſſentia ſignificare, quod ſignificant. 1.27.

Conditionalis propoſitionis eſſentia, & propoſitiones. 1.120.

Conditionales propoſitiones non ſunt inutiles ſpeculationes. 1.126. Quo ſenſu nil ponant in eſſe? ibid. Quo ſenſu ſint utiles, quando hypotheſis eſt impoſſibilis? 1.127. Diſcrimen inter illativam, & purè conditionalem. 1. 129. Conditionalis non ſemper convertitur in aliam aſſumentem pro hypotheſi contradictorium conditionati, & pro conditionato contradictorium conditionis. 1.130.

Confeſſarius quando, & quomodò poteſt uti reſtrictione mentali? 1.23. Diſcrimen inter ipſum, & reum judici reſpondentem. 1. 24.

Conſequens, & conſequentia quid ſint, & quas habeant proprietates? 1.130. Quot prębeat legitimas argumentationes. 2. 35. Ubi an ex oppoſito conſequentis &c.

Conſtitutivi, & connotati diſcrimen. 1. 195.

Conſuetudo humana, aut belluina. 1. 11.

Contradictoriarum ſiſtema logicum non eſt perfectum. 2.100. Quę ſint contradictorię? 2.102. Omnis, & aliquis non, non ſunt contradictoriæ formales. 2.103. Contradictoriæ nec pro diverſis inſtantibus poſſunt verificari. 2.114. Contradictoria objectiva, quo ſenſu poſſint exiſtere pro diverſis inſtantibus? 2. 117.

Contrarietas quid, & quotuplex? 2. 124.

Converſio Logica quid, & quotuplex? 2. 71. Ipſius energia eſt irreſiſtibilis. Ibid. 71. non ſunt univerſales illę regulę *ſimpliciter feci &c.* Ibid. 71. Modus legitimus converſionis valet etiam in Divinis. Ibid. 75. Sophiſmata contra has regulas. 2. 79.

Converſa, & convertens non valent reciprocè. 2. 87.

Co-

Copulativa propoſitio quid ſit, quando eſt affirmativa,& quomodò aſſignanda contradictoria? 1. 111.

D

DEfinitio quid ſit,& quas habeat proprietates? 1. 142. qumodò ſit definitio ſui ipſius Ibid. Regulæ ipſiûs. 1. 147. Definire idem per idem, quo ſenſu ſit vitium?Ibid.Quo ſenſu debet converti cum definito?Ibid. Quot bonas argumentationes præbeat? 2. 21.
Demonſtratio, per quam acquiritur Scientia, poteſt eſſe à poſteriori. 3. 34.
Denominationes extrinſecæ non imbibunt Ens rationis. 3.123.
Deus initio Hominibus infundit notitiam verborum, & ſignificationis, quam voluit ipſe. 1. 17. Loquitur nobiſcum,quando infundit nobis cogitationes ſupernaturales; ſecus quando cõcurrit admerè naturales 1.63.
Dilemma quid ſit? 1. 163. Quas exigit conditionales? Ibid.Per diſtractionem quomodò arguatur? 2. 3.
Disjunctivæ propoſitionis eſſentia, & proprietates. 1. 114.
Diſtinctiones importunæ inter argumentandum quadrifariàm impugnari poſſunt. 1. 154.

E

ENs rationis non eſt objectum formale Logicæ. 3. 119. Nec includitur in omni denominatione extrinſeca. Ibid.
Enthimema quid ſit? 1. 161.
Enunciatio, & prædicatio, quo differant? 1. 7.
Æquivalentia, ſeu æquipollentia propoſitionum quid ſit;&quomodò fiat? 2. 140.
Evidentia immediata, & abſtractiva. 3. 32.Evidentia phyſica non neceſſitat ad aſſenſum. 1. 171. Evidentia probabilitatis, & Evidentia veritatis poſſunt conjungi. 1. 181. Exempla argumentationis, ſeu à paritate qualia eſſe debent? 2. 10.

F

FIdei noſtræ reſolutio inſinuatur. 3. 105.
Figuræ Ariſtotelicæ cum ſophiſmate. 2: 171.
Formaliter quot, & quas habeat ſignificationes? 1. 190. Ex Falſo aliquando verum. 1. 137.

Ha-

H

HAbitudo Logica propoſitionum quot præbeat argumentationes? 2. 99.
Habitus acquiſiti quid ſint, & an dentur. 3. 5. Diſcrimen ab infuſo. 3. 6. Non omnis Habitus docens eſt utens activè. 3. 10.
Habitus quot ſint apud Ariſtotelem? 3. 42.
Homines primitivi quomodo cœperunt colloqui? 1. 20. Homines omnes quomodo ſunt æquales ingenio? 3. 3.
Hypotheſis objectiva, & hypotheſis formalis quid ſint? 1. 120.

I

ILlatio quotuplex ſit? 1. 157.
Imperium voluntatis quando prærequiritur, & quando non ad aſſenſum? 1. 185.
Inductio quid ſit? & quas poſtulet conditiones? 1. 165.
Inſtrumenta Sciendi quæ, & qualia? 1. 140.
Inſtantiæ quales eſſe debent? 2. 4.
Intentionaliter primò, ac ſecundò quot, & quas habeat ſignificationes? 1. 193.
Iris quomodo eſt ſignum non futuri diluvii? 1. 13.
Judicia quo ſenſu ſint eſſentialiter vera, aut eſſentialiter falſa? 1. 36. Quomodò differant ab actibus voluntatis quoad tendentiam in objectas? 1. 40.

L

LOgica omnes quæſtiones ſupra illam reflexas invenies ante Diſputat. 3. Logica habitualis, ſecus actualis adæquata exiſtit ſimul in eodem Intellectu. 3. 7. Docens, & utens quo differant? 3. 8. Non omnis docens eſt utens. 3. 9. Logica quomodo influat in concluſiones aliarum ſcientiarum? 3. 14. Non eſt ſimplex qualitas. 3. 17. Quo ſenſu ſit una? 3. 23. Quo ſenſu ſit neceſſaria ad ſcientias alias acquirendas 3. 75. Ipſius objectum materiale, & formale. 3. 108. Logica minor tractat ſolos conceptus formales; Major objectivos. 3. numer. 111. & ſeq. Illius objectum attributionis. 3. 146.
Loquendi modi ſunt multi. 1. 21. Quid eſt loqui? 1. 26. Loqui *cum*, & loqui coram excommunicato non tolerato. 1. 61.

Ma-

M

Maris procellæ, quam proportionem habeant cum ventis? 1. 9.
Materia propoſitionis quid, & quotuplex. 1. 108.
Medium quo pacto debeat non mutari, ſed eſſe unicum? 2. 186.
Modalium converſio quas argumentationes præbeat? 2. 91. Quid ſint Modales, & quot? 2. 91.
Motus Firmamenti cur eſt tempus? 1. 6.
Motivum quid ſit? 3. 94.

N

Negatio *non* eſt malignantis naturæ, quid ſignificet? 1. 3.
Negativus modus arguendi quotuplex? 2. 2. Ex puris negativis nil quomodo intelligendum? 2. 2.
Nomen quid ſit? 1. 1. Nomen infinitum quid? 1. 2.
Non negativum, & infinitans. 1. 3. Quot ſenſus reddere poteſt? ibid. Unde diſcernendum inter negativum, & infinitum? ibidem.

O

Objectum in genere. 3. 86. Materiale, & Formale. 2. 89. Quandoque diſtinguuntur quandoque non. 3. 90.
Obliqua conſtitutiva, verè ſunt Conſtitutiva mera, & non ſunt Conotata. 1. 72. obliqui, & recti diſcrimen Scholaſticum. 1. 196.
Oppoſitio quid, quotuplex: quot, & quales præbeat argumentationes. 2. à num. 99. ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis quomodo, & quando? 2. 37.

P

Paritates quales eſse debent? 2. 10.
Partes integrantes quid ſint. 1. 153.
Pia affectio quo ſenſu jubet ad credendum. 3. 96.
Practicum quid ſit? 3. 58.
Præmiſſarum multiplex qualitas. 1. 156. Præmiſſæ quomodo neceſſitent ad aſſenſum conclu-

cluſionis? 1. 177.
Prædicatio, & enunciatio quo differant? 1. 7.
Prædicata contradictoria ſecus propoſitiones poſſunt verificari ſimul. 2. 112.
Prima principia quid ſint? 3. 43. Prima principia quo ſenſu ſint eſſentialiter vera, & quo potuerint eſſe falſa. 1. 35.
Prioritates Scholaſticæ quid ſint? 1. 198.
Propoſitiones, quæ videntur identicæ, & ſunt de ſubjecto non ſupponente. 1. 92. Quomodo aſſignandum ipſis contradictorium? 1. 93. Quantitas, & qualitas Propoſitionum. 1. 106. Propoſitio quæ videtur identica, & falſa eſt. 2. 53. Propoſitiones copulativæ, ac disjunctivæ. 2. 145. Conditionales quem ſenſum reddant, & quot argumenta præbeant. 2. à num. 159. ex puris particularibus nil, quomodo intelligendum? 2. 162.
Præſcindere quid ſit. 1. 202.
Prudentia quid ſit? 3. 47. ad Prudentię principia recurrendum, quando non ſuppetunt evidentiæ. 2. 13.

Q

Quia, vox valdè æquivoca, & multorũ ſenſuum capax. 1. 116. Quia reſponſio capax multarũ ſignificationũ. 3. 103.
Quidditas quid ſit. 1. 144.
Quod, & *quo* quid ſignificent, quando ſermo eſt de ſubjecto, ac prædicato. 1. 69.

R

Ratio formalis *qua*, vel *ſub qua* quid ſit? 3. 89.
Recti, & obliqui diſcrimen Scholaſticum. 1. 196.
Reductio Syllogiſmorum. 2. 189.
Reduplicativè, *qua*, *ut*, quid ſignificent? 1. 203.
Reſolutio Fidei inſinuatur. 3. 105. Reſolvi rem in aliquod, quid ſit, & quando reſolvitur in conſtitutiva. 1. 65.
Reſtrictio non purè mentalis quomodò excuſetur à mendacio? 1. 23.
Reſtrictio termini debet cadere ſupra illum immediatè. 1. 102. & tunc prævalet contra ſigna univerſalia. Ibid.
Retorſiones quales eſſe debent. 2. 4.

SA-

S

Sapientia quid ſit. 3. 45. Scientia quid, & quotuplex. 3. 31. Poteſt aliquis actus eſſe circa ſingularia, ut talia. 3.36. Scientiam perfectè poſſideri quid ſit? 3. 84.
Signum quid, & quotuplex. 1.8. Signa, quibus Angeli, & Animæ ſeparatæ colloquuntur. Ibid. Solent eſſe ficta. 1.10. Signa quid ſint apud Philoſophum. 1. 198.
Significatio vocum unde ſumenda. 1. 21.
Singularis terminus cujus ampliationis eſt capax. 1. 11 1.
Si per poſſibile, vel impoſſibile, quid ſignificet hæc phraſis. 1. 207.
Syllogiſmus quid ſit? 1.166. quotuplex in genere? 1. 168. Syllogiſmorum reductio. 2. 189. Syllogiſmi copulativi, ac disjunctivi. 2. à n. 145. ubi ſophiſmata contraria. Syllogiſmi conditionales. 2. 159.
Sophiſmata contra regulas Converſionis. 2. 79. Sophiſma probans duas contradictorias eſſe ſimul veras. 2. 108.
Specificativè, ſecundùm ſe quid ſignificent? 1. 205. Specificativum actuum quid ſit? 3. 91.
Speculativum quid ſit? 3. 58.
Stratagemmata quomodo liceant, aut non liceant? 1. 62.
Subjecti non ſupponentis propoſitiones. 1. 92.
Suppoſitio terminorum quid, & quotuplex? 1. 89. quas argumentationes præbet. 2. 49. Suppoſitiones diſtributiva, copulativa &c. 2. à num. 50.
Suſpenſivus, & purè hypotheticus modus cognoſcendi neceſſarius ad Prudentiam. 1. 126.

T

Tempus extrinſecum quid ſit. 1. 6.
Terminus quid ſit, & quotuplex. 1. 65. Terminorum appellatio cautè notanda. 1. 88. eorumdem ſuppoſitio quid, & quotuplex. 1. 89. Termini tranſcendentes qui ſint, & cur. 1. 81. non poſſunt infinitari 1. 82. Tres ſoli termini in ſyllogiſmo, quomodo intelligendum. 2. 188.
Tonitru definitio. 1. 145.

Ven

V

VEntus quomodo indicat procellas Maris. 1. 9.
Verbum quid ſit? 1.6. Verba quo ſenſu ſignificent ad placitum Hominum, & an omnia? 1.17. Verborum ſenſus unde eruendus. 1. 21.
Veritas propoſitionum unde ſumenda. 1.107. ex vero verum 1. 137. 138. Quomodo aliquando falſum. Ibid: Veritas copulativa, & disjunctiva quot arguendi modos dent? ubi contraria ſophiſmata. 2. à n. 145. Veritas conditionalis. 2. 159.
Voluntatis imperium quando prærequitur, & quando non ad aſſenſum. 1. 185.

Digitized by Google

		Eratta	*Corrige*
Diſp.	1	fine	ſine
1.	5	effe	eſſe
num.	6	ſignificat	ſignificat :
marg.	9	Eſſectus	effectus
	40	ſorent	forent
	42	anmæ	animæ
	42	præjivia	prævia
	51	eera	vera
	58	qnia	quia
	88	propoſiojonem	propoſitionem
	132	bomo	homo
	139	metaphyſicè	metaphyſicæ
	140	vitrato	nitrato
	151	definito	definitio
	155	diviſiones	diviſionis
	169	prohabiles	probabiles
	155	unimal	animal

Debes in bac Diſputatione 1. *corrigere à numero marginali* 75. *uſque ad finem, ubi ſuppones* 74. *& ſic deinceps.*

Diſp.	9	Argumentio	argumentatio
2.	42	canſequentia	conſequentia
num.	65	efficacies	efficaces
marg.	74	D;utna	Divina
	81	extſtens	exiſtens
	84	carpus	corpus
	104	coutradictorias	contradictorias
	129	quo	quæ
	174	Darepti	darapti
	179	qropoſitiones	propoſitiones
Diſp.	4	copias	capias
3.	34	cunelufio	concluſio
num.	80	cujuſvis ſint,ita colligare	vel cujusvis, ſint ita colligatæ
marg.	84	ſophimatibus	ſophismatibus
	84	& in poſitiva	& poſitiva
	136	offuſcis	offuſis
	143	negat	negant
	151	cum parte	uni parti
	152	hoc, non illud	hæc, non illud.

Digitized by Google

Digitized by Google

00566173 8
by Google